A.L8

11W

See W A Wallace
Galileo + His Sources pp 12-22

H.P.

Francisci Carrete

INTRODVCTIONIS IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM

LIBRI QVATTVOR:

IN QVIBVS PHILOSOPHIAE humanæq; Scientiæ ortus, natura, partes, & attributa, multorumq; Philoſophorum ſcholę, ac errata explicantur, atq; recta philoſophandi ratio docetur:

LVDOVICI CARBONIS A Coſtacciaro, Academici Partheny, & Sacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publici Magiſtri:

CVM DVPLICI INDICE.

Quibus acceſſit Catalogus ampliſſimus Expoſitorum omnium librorum Philoſophiæ Ariſtotelis, aliorumq; Scriptorum de rebus ad vniuerſam Philoſophiam pertinentibus.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, MXCIX.

Apud Marcum Antonium Zalterium.

Est autem vnus dies, bene, & ex præceptis Philosophiæ actus, peccanti immortalitati anteponendus.

M. Tullius Tusculana 5.

Ad summam, sapiens vno minor est Ioue, diues
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum.

Horatius lib. 1. Epist. ad Mecæn.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS.MO

D. HIERONYMO BERNERIO S. R. E. Cardinali dignissimo,

Ludouicus Carbo, *S. D.*



QVAE fortunæ vocantur bona, ea qui cum possint, & debeant, cum alijs non communicãt, ij contra humanas, diuinasque leges, vt tu, Cardinalis Amplissime optime nosti, facere censentur: &, vt in sacris legitur litteris, qui abscondunt frumenta, maledicentur in populis. Contra vero, qui eadem bona, suis præsertim

laboribus comparata, & Gentium iure propria, virtutis beneficio communia faciunt, ij laudantur, & quasi pro dijs inter homines habentur. Hæc si vera sunt, vt certe quidem sunt, illi profecto nō erunt laude digni, qui animi bona suis parta vigilijs inclusa tenent: qui vero vel docendo, vel libros edendo, publici iuris fieri enixe curāt, ij, & amore, & laudibus, & honoribus afficiendi erunt: & quidem eo magis, quam qui externa bona communicāt, quo pluris ingenij partus, quam agrorum fructus faciendi sunt. Et, vt qui rerum suarum aliquid, etiam minoris momenti, alijs impertiunt, nō damnantur, si id animo bono faciant, nec quod datur, respuitur; ita, nec qui ingenij sui exiguos fructus edunt, vituperari debent, & quod iuuandi desiderio præbent, contemnendum non erit; modo sit eiusmodi, quod vtilitatem aliquam reip. sit allaturum: quem vnum finem, qui suas lucubrationes diuulgant, propositum habere eos oportet. Hæc dum

intra

intra domesticos parietes bonos variosque auctores lego, & lecta asseruo, asseruataque commentando in varia opuscula digero, mecum interdum cogito; non ita obtrectatorum voces publicamq; censurã timeo (nec enim desunt Momi) edere vt nihil velim. Nam qui hoc præclarum munus, quod præstare possent, inani timore perterriti refugiunt, ij præsentibus illiberales, posteris inuidi, & Deo qui concessi talenti vsuram requirit, existunt ingrati. Contra vero, qui aliquid non inutile in lucem proferunt, maiorum industriam æmulantur, de omnibus bene merentur, atque præsentes & posteros ad idem faciendum extimulant: ij cum videant quantis vigilijs, quantisque laboribus in hoc vnum incubuerint, vt res necessarias & salutares humanę reipub. cui nemo est, qui totum quod potest, non debeat, relinquerent. Denique, si litteratorum atq; insignium hominum tabulæ pinguntur, & signa fiũt, vt his inspectis, ad eorum præclara faci-

nora imitanda, qui eos ſpectant, commoueantur; cur non etiam ingenij monumenta, quaſi viuæ animi imagines, per quas melius homines cognoſcuntur, quam ſi picti, vel ficti ſpectentur, litteris conſignanda non erunt? Quod qui faciunt, non ſolum æternam nominis ſui gloriam ſibi comparant, quam omnes, velint, nolint naturæ inſtinctu concupiſcunt, ſed etiam erga Deum gratos, & erga homines beneficos ſe eſſe oſtendunt. Valeant igitur illi, qui cum in otio eſſe, vel ſibi ſolis ſapere volunt, eos vituperant, qui plures, & varios ingenij ſui partus poſteritati relinquere conantur. Cum ergo his annis, tum naturæ, tum morum Philoſophiam priuate docendo, quaſdam pręfationes præmittere ſolitus eſſem, quas diſcipuli auide, ſed interdum non integre excipiebant, eas vt ederem ſæpiſſime efflagitarunt; cum viderent non eſſe vulgares, ſed ſcitu dignas & maxime fructuoſas: quorum precibus tandem ſatisfaciendum fuit. Eas itaque in quat-

tuor

tuor libros quodã ordine digessimus, & sub nomine Introductionis in vniuersam Philosophiam nunc foras damus. Quod sane opus magis absolutum atque perpolitum exiret, si maioris momenti opera, quorum editio nos vrget, impedimento non fuissent. Cum itaque hanc meam lucubrationem in publicum venturam, Patrono non vulgari egere animaduerterem, te vnum e multis, qui occurrebant, Illustriss. Princeps, elegi, cui prudenter nuncupare possem, ac deberem. Primum quidem, quia in te uno, illæ omnes sunt partes, quæ in optimo Patrono desiderari possunt, auctoritas, doctrina, & probitas: cum, & uitæ integritate, & doctrinæ copia, atque gradus amplitudine, Illustrissimi appellationem iure sis consequutus. Tu igitur quid hoc meum opus ualeat, tua singulari doctrina cognoscere, contra obtrectatores auctoritate defendere poteris, & ad hoc faciendum tua te probitas commouebit. Quantum autem

in te auctoritatis, doctrinæ, ac probitatis sit, nunc plane demonstrarem, si quæ vix integro volumine dici, vnius nuncupatoriæ angustijs, comprehendi possent. Dicerem itaque de tua honorifica nobilique progenie, vt qui optime noui quam sit Illustris Berneriorum familia, ac etiã de patriæ, hoc est Corregij splendore; quam vrbem viri litteris insignes illustrarunt, præsertim F. Ioannes Bernerius Patruus tuus, sacræ Theologiæ Magister egregius, qui inter alios discipulos habuit F. Felicem Perettum, qui postea Sixtus Quinctus fuit; sed, nec familiam, nec patriam nemo vnquam te magis. Nam, cum a primis annis non solum in patria, sed etiam Bononiæ humanioribus litteris operam nauasses, atque interim ita vixisses, vt omnia præterquã seruire Deo vana esse didicisses, id quod etiam in matura ætate pauci intelligunt, ei in optima, & integerrima Dominicanorum religione, te totum deuouisti. Vbi tantum in humana diuinaque sapientia

pientia profecisti, vt & regendo, & docendo sæpe honorifice præfueris: Quibus in muneribus, eiusmodi de te specimen dedisti, vt Genuæ sanctæ Inquisitionis officium grauissimum obtinere merueris; in cuius administratione, te vere virum esse, ac maiorum munerum dignissimũ plane monstrasti. Ideoq; ad Vrbẽ accersitus, non multo post aduentum, Asculanorum Episcopus creatus fuisti; cuius loci cura, non nisi grauioribus, & maioris auctoritatis viris dari consueuit. In hoc etiam difficillimo munere ita te gessisti, vt intra paucos menses a Sixto Quincto hominũ æstimatore acerrimo, tuarum virtutum splendore ac meritis, non humano fauore moto, in Cardinalium numerum fueris adscriptus; non vt numerum augeres, sed vt tua singulari sapientia eximiaque prudentia vniuersæ Ecclesiæ consuleres, præsertim in consultationibus grauissimis sanctæ Inquisitionis. Quod, si qua ratione, in omnibus tuæ vitæ partibus, quæ a te gesta sunt,

expli-

explicare vellem, ut, quam facile cupideque litteras didiceris, quam perspicue, & quanta cum pietate cum alijs communicaueris, qua cum vigilantia Inquisitionis munus administraueris, atque quanta prudentia Episcopatum rexeris, & denique, qua ratione Purpurati personam sustineas, amplissimus ad dicendum pateret campus, in quo fuse lateque excurrere posset oratio. Sed quoniam hæc paucis explicari non queunt, ne aliquid de eis detrahere uelle uidear, silentio præteribo, vel potius venerabor; quo quæ maiora & diuiniora sunt, omnis venerari consueuit antiquitas. Illud tamen priuatim de doctrinæ tuæ magnitudine testimonium referam, quod cuidam oratori Veneto in Comitijs quibusdam publicis Dominicanæ familiæ, interroganti, qui nam in vniuerso ordine doctrinæ principatum teneret, responsum fuit, R. P. Corregius. De auctoritate illud dixerim, Parmensium & Mantuanorum Duces tua

pru-

prudentia, atque consilio in grauissimis rebus saepe usos fuisse. Sed hæc fortasse cum alijs communia, hoc uero quod ad uitæ integritatem attinet, solummodo tuũ, quod ad Ecclesiæ regimen e Cœnobio euocatus, ita, & habitu, & uitæ genere uiuas, atque nuncupata uota serues, non secus, ac si intra Monasteri claustra degeres: id quod eos qui norunt, in admirationem rapit: cum nihil unquam rerum externarum, ut concessione & usu quodam alij facere consueuere, tuum feceris: sed quidquid tibi sumere posses, uel prudenter negligas, uel pie in pios usus eroges. Tu itaque post aurum nõ abijsti, tu in pecuniæ thesauris non sperasti; ac proinde singularem quandam laudem tibi iure comparasti, quia mirabilia fecisti in uita tua. Tu in sæculari uita iuuenem prudentem, bonarumque litterarum amantem, in religiosa integerrimum, & obseruantem, in Episcopali, ut cum Paulo uno uerbo omnia dicam, irreprehensibilem

te


te exhibuisti. Illa deinde me ad hoc opus tibi nuncupandum caussa mouit, quod elapso anno, cum Venetijs fuisti, aditum ad te mihi perhumaniter patefecisti; quod ego uehementer optabam, ut quanta obseruantia te colerem, tibi declararem. In quo congressu, tantum in te humanitatis, pietatisque esse animaduerti, quantum in alio nunquam. Huc accessit tua erga me animi sincera significatio, qua me mirum in modum tibi deuinxisti, ut etiam omnes, qui tecum agunt, deuincire soles. Quare, multum debeo Perillustri & Reuerendissimo D. Ioan. Bap. Cucinæ Sec. Apost. Vtr. Sig. Referendario, & ut nunc mihi hæc scribenti, non sine summa animi mei lætitia; nuntiatum est, Romanæ Rotæ Auditori dignissimo, ex quattuor a Rep. Veneta propositis, iure selecto; cum per eum ad te mihi aditus patuerit. Is enim, cum te ob singularem tuum in eum amorem, aut potius pietatem, unice colat; te domi suę magnifice hospi-

tio

tio exceperat. Gaudeo itaque quod eum, quem aliquando ut diſcipulum me magnopere amantem, & obſeruantem ego dilexi, nunc uero ut Dominum obſeruo, tu Cardinalis Ampliſſi. amandum & ornandum ſuſceperis, quotidieque ornes; ut qui optime noſti, quantum ob ſuā probitatem dignus ſit, qui ametur, atque ornetur. Cum ergo cuperem aliqua publica teſtificatione oſtendere, quantum te colam, ac tibi debeam, hoc meum munuſculum ad te mittere uolui: quod etſi exiguum ſit; tamen, ſi animum quo tibi offertur, ſpectaueris, ut ſane ſpectare debes, ſi quemadmodum in cæteris rebus facis, in hac etiam Deum imitari uolueris; tibi nihil unquam maius datum fuiſſe, aut dari poſſe facile exiſtimabis. Excipe igitur, Princeps opt. hoc obſeruantiæ erga te meæ pignus, maximo quo tibi offertur animo, ut fiat maximum, & tua tutela dignum. Quod ſi, ut ſpero, feceris, me nouo debitionis uinculo deuincies: ego uero

nouo

nouo beneficio affectus Deum precabor, ut diu in suæ Ecclesię utilitatem te incolumem conseruet, & ad altiora prouehat.



INDEX CAPITVM ſingulorum librorum.

Libri primi.



Vſcepti operis ratio,& partitio.c.1.p.1.
De nomine philoſophiæ,atque philoſophi.c. 2. p.2.
Afferuntur & explicantur variæ philoſophiæ definitiones.c.3. 7.
Quid ſit Philoſophus,quod eius officiũ, c.4. 13.
De Sophiſtarum nomine,natura,& moribus,& qui vere dicantur Sophiſtæ.c.5.15.
De materia Philoſophiæ ſubiecta, eiuſdemque fine. cap.6. 19.
De philoſophię ortu,atque origine c. 7. 23.
Qua ratione humana Philoſophia ab hominibus inuenta fuerit. c.8. 33.
Philoſophiæ humanę ſtudium non eſſe damnandum, nec Chriſtianis interdicendum.c.9.41.
Quam vtile, quamque fructuoſum ſit philoſophiæ ſtudium.c.10.54.
Soluuntur argumenta allata ad impugnandum philoſophię ſtudium c.11.77.
Philoſophiæ ſtudium eſſe maxime delectabile.c.12.81.
Quam ſit neceſſarium humanę Philoſophię ſtudium in humana vita,& in rep.Chriſtiana.c.13. 88.
Vtra philoſophiæ pars ſit fructuoſior, ſpeculatiua, an practica.cap.14.93.
Chriſtianæ & humanæ philoſophiæ cõparatio.c.15.103
An paucis philoſophandum ſit.cap. 16.112.

Libri

Libri Secundi capita.

QVid sit scientia, & cuius sit artificis agere de scientia. cap. 1. 121.
Scientiam dari posse, atque dari contra Academicos Aporeticos demonstratur. c. 2. 125.
De origine scientiæ, siue vnde humana habeatur scientia. c. 3. 137.
De caussis scientiam conficientibus, & quibus modis, atque instrumentis acquiratur. c. 4. 149
Quid sit scientia & quarundam dubitationum explicatio circa naturam scientiæ. c. 5. 157.
De humanæ scientiæ perfectione. cap. 6. 165.
De vnitate sciẽtiæ, an sit vna simplex qualitas. c. 7. 171
Vnde sumatur totalis sciẽtiæ vnitas, & qua rõne scientia dicatur vna. cap. 8. 183.
Explicantur quattuor scientiæ attributa, euidentia, veritas, certitudo, & nobilitas. cap. 9. 192
De diuisionibus scientiæ. cap. 10. 196.
Qnid sit proprie praxis, & habitus practicus. c. 11. 204.
An distinctio scientiæ in practicam & speculatiuam sumatur ab obiecto, vel a fine, & vtra magis proprie dicatur scientia. cap. 12. 215.
An esse practicum & speculatiuum sint duę differentiæ essentiales scientiæ. cap. 13. 221.
An Physica, Metaphysica, & Mathematica sint tres sciẽtiæ distinctæ totales, an vero vnius scientiæ partes. cap. 14. 229.
An Physica, Mathematica, Metaphysica, & scientia de Deo, & Intelligentijs essentialiter distinguantur, sintque vnuiuocæ scientiæ. cap. 15. 246.
De scientiarum comparatione ratione ordinis, inuentionis, doctrinæ, & naturæ. cap. 16. 252.
De scientiarum, siue partium philosophiæ comparatione ratione nobilitatis, & certitudinis. c. 17. 258.
Quid & quotuplex sit subalternatio. cap. 18. 262.
De conditionibus ad veram subalternationem requisitis.

ſitis.cap.19.268.
Quibus modis ſubalternans,& ſubalternata. c 20.273.
An ſcientia ſubalternata cognoſcat ſua principia. c. 21. 276.
Quæ ſcientię ſint ſubalternantes, & quæ ſubalternatæ. c.22.282.
Dubitationes quædam circa ſcientias Mathematicas. c.23.288.
De nomine & definitione opinionis.cap.24 302.
De opinionis diuiſione.Cap.25. 305.
Quomodo opinio differat ab alijs habitibus,& qui habitus intellectus dicantur imperfecti.cap.26.320.
An formido ſit neceſſario cum opinione coniuncta. c.27.325.
An rationes probabiles aliquid conferant ad producendam ſcientiam,& cur afferri ſoleant. cap.28.320.
An opinio & ſcientia poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, eodem tempore, reſpectu eiuſdem rei. cap. 29.324.

Libri Tertij capita.

DE Ionica & Italica philoſophia. cap. 1.333.
De quibuſdam Ionicæ, & Italicæ Philoſophia ſucceſſoribus.cap.2. 338.
De Ionica Philoſophia in varia genera diſſecta, deque Academię ortu.cap. 3.343.
De Academiarum varietate & ſucceſſione cap.4. 347.
De Pyrrhonia ſecta, cæteriſque Academiæ formis. c.5. 352.
De Platonis vita & ſcriptis. cap.6.358
Quid de Platonis doctrina, ſcriptiſque ſentiendum ſit.c.7.362.
De Ariſtotelis vita,eiuſque moribus.cap.8.368.
De libris Ariſtotelis.cap.9.372.
Quid de Ariſtotele, & eius doctrina ſentiendum ſit. c.10 367.

De Aristotelis interpretibus, eorumque selectu. cap. 11.186.

Recensentur nonnulla Aristotelis errata, & a quibusdã calumnijs defenditur.cap. 12. 392.

De Epicureæ, atque Stoicæ sectæ auctorib.cap.13.397

De quibusdam illustrioribus Peripateticis, & Aristotelis interpretibus. cap. 14. 402.

Cur M.Tullius libros Academicos scripserit, quid ipse de rerum comprehensione senserit, & eiusdem a quibusdam calumnijs defensio.cap. 15. 407.

Libri Quarti capita.

QVam sit necessaria præparatio, siue institutio, ad sapientiam acquirendam.cap.1.419.

Traduntur nonnulla præcepta communia ad recte philosophandum, pro philosophiæ magistro.cap.2.427.

Traduntur alia præcepta pro homine Christiano philosophiam profitente.cap.3.457.


Traduntur nonnulla præcepta pro discipulis philosophiæ cursum conficere volentibus cap.4 448.

Recensentur antiquorum philosophorum grauiores in re philosophica errores.cap. 5.452.

Quã turpe sit philosophando inhoneste uiuere.c.6.460

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A


Bstractiones scientiarũ tres. car. 251
Abstractio triplex. car. 185
Academia qui locus, & ubi. 345. academiarum uarietas. 347. & seq.
Academia aporetica, & noua, & vetus quæ. 350. media 451. quarta academia 353. quincta. ibid. sexta a quibus 354. eius diuisio in alias ibi. academia Aegyptiaca quę, 355. Romana quæ. ibi. Nona academia 355. Decima, 356 academiarum genera. 356. & seq. Academia, de qua quid sentiendum 417
Academicor. varia genera 347
Actio quid sit & significet. 200, quotuplex 201
Actus humani dupliciter ordinantur 214
Actus sciendi ab anima producitur 146
Adamus omnes habuit scientias a Deo 29. & 30
Admiratio philos. caussa 36
Aegyptiaca academia q̃ 355
Agentiũ duo genera 153
Alexãder Aphrodisæus 404
Amor concupiscentiæ & amicitiæ 207
Anaxagoras qui fuerit, eiusdẽ opiniones. 339 quando floruit. 340 eius discipuli. ibi.
Anacharsis factum. 447. eius statua. ibi.
Anaximenis opiniones 335
Aĩa nõ est ante corpus. 141
Animarum trãsmigratio non datur. 145
Animi morbi plures quã corporis, & curari posse 58. Animi sanitas in quo sita ibi. Animorum ægritudo vnde 59
Antiochus quis fuerit 353
Aporetici cur ueritatem negauerunt 131
Arabes expositores quo loco habendi 390
Arcesilæ opinio de scientia. 344. 350. eius decreta 32
Archimedes lætabatur, ex re de nouo inuenta. 84
Aristoteles praxim in uoluntate posuit. 212. qua ratione loquutus est. 363. Aristoteles Platoni præfe endus. 366. Aristotelis vita, & moribus. ubi natus & quãdo. 367 Præceptores 368. Mens vocatus, & veritatis Philosophus. ibi. Quando docere, cępit, & quid 369

Discipuli.369. Eius mors. ibi. in quo notatus, ibi. & 370.uocatus sepia.ibid.cur accusatus & defensus.ibi.de libris Arist.372. & seq. qui libri exoterici, qui acromatici.373. Aristot. libri qũo ad nos puene int, 375. Aristoteles oĩbus Græcis præferendus 377. Quid de Aristotelis doctrina sit sentiendũ.ibi & seq. Plinij iudicium de Aristotele 378. Quantum tribuendũ Aristoteli.378 & 380.cur suũ præceptorem superauerit, 379.cur minus excusandus quam Plato 381. Aristotelis lector quali ingenio debeat esse p̃ditus 382. Aristotelis opera non omnino incorrupta.383.quæ obseruanda sint ab eo qui velit Arist.legere.383.& seq. Aristoteles cur tanto in honore habeatur 384 & seq. Aristoteles minus errauit quam Plato & Stoici 385. Aristotelis interpretes q legendi.387.& sequen. Aristoteles quomodo explicandus, 387. qui interpretes præferendi 388. Aristotelis errata quę 392.& seq. Aristoteli nonnulla errata attributa, a quibus purgatur.394. Aristoteles an negauerit prouidentiam.396 Aristotelis meliores interpretes qui. 402.& seq. Aristotelis opinio de humana scientia 344

Atistobulus quis fuerit. 404

Arithmeticæ inuentio 25

Ars quid sit 219

Artes oẽs iuuantur a Phil.74

Artes mechanicæ quæ, cur sic dictæ 220

Artes liberales quæ.220. cur sic dictæ ibi.

Artifices dicuntur scire 37

Astrologia est scientia speculatiua.276. quomodo differat ab Astronomia.284.obiectum.298.quomodo differat a Physica 301

Auctoritas magis valet, quam ratio probabilis 314

Auerroes quanti faciendus in philosophia 391.& seq.

D. Augustinus conuersus est ob cognitionem philos.72

Auicennæ opinio de caussa scientiæ 140

Auicenna quo loco inter expositores Aristotelis habendus 391

B.

Beatitudo humana in quo sita 93.& seq.

Beatitudo perpetua 71

Beatitud. cõdõnes q̃.93. 115

Beatitudo quotuplex 90.&91

Beatus quis, & quantum dicatur 116

Boetius quis fuerit, & quando flo-

floruerit 405
Bona fortunæ quomodo expetenda 116
Boni natura quæ 102

C.

CArneadis opinio de sciétia 351
Castitas necessaria philosophanti 442
Certitudo quid, quotuplex 193. vnde pendeat 194
Cæsar petebat noctu sapientiam a Mercurio 448
Christianæ & humanæ philosophiæ comparatio, & quomodo vna ab alia superetur 103. & seq.
Cicero quas veritates de Deo docuerit. 51. Cicero ubi se vicerit 51. eius doctrina 73 Vide M. Tullius.
Clitomachus q̃s fuerit. 353
Cirenaici qui fuerint 349
Contradictio qualis esse debeat 132
Cratippus quis fuerit 404
Cretenses cur mendaces dicti 132
Criteriū q̃d, ĩ quo situm 425
Cynici qui fuerint 349

D.

DEfinitio facit scire per caussam 163
Dei prouidentia & cura erga res creatas 65. & 66. Deus quos sibi adoptet 66. Deus cur mundum fecerit 114
Deus potest esse caussa scientię. 155. scientia de Deo qualis 236. 250. Deus nullo modo mētiri potest. 304 contra Deum nō est disputandum, & quomodo. 440. Deus sine Deo cognosci non pōt. 449. de Deo errores varij 452
Dei ignorantia caussa malorum 100
Delectatio cur a natura instituta 81
Demetrius Phaleræus qui, quanti factus ab Athenien sibus, eius doctrina 403
Democritus quis fuerit, a quibus eruditus 340. cur se occæcauerit. 340. eius doctrina. ibi. eius elogium, ibi.
Dęmon imitator Dei 18
Dialectica quæ apud Platonē 422. Dialectica distincta ab alijs scientiis. 202. Dialecticæ materia, 21.
Discipuli quę vitia vitare debeāt 440. Discipuli errant nō interrogando q̃ nesciūt 450. Discipulus instructus ad philosophiā accedat 450
Dispositio ad producendum aliquiid duplex. 321
Disputatio q̃uo facienda. 448
Diuisio qualis esse dēat 225
Diuitæ & bona fortunæ cur non expetenda. 54. & seq.
Diuitiæ nō hēndæ ĩ bonis 80
Diuites qui 80
Docilitas quid sit 311

E.

ELeatica philoſophia quę 338
Eloquentia cum ſapientia cõiungenda 431. non ſpernenda a philoſopho 435
Empedocles qs fuerit,& qualis, eiuſdem opiniones. 342
Ens eſt vnum analogice 244
Epicurij opinio de ſcientia & virtute 344. eius locus 346 etiam mulierculas, admittebant ad philoſophiã. 419 Epicuri errata varia. 397. qualis eius doctrina ibid. Qualis ipſe fuerit. ibi. quo loco natus: quos magiſtros habuerit 398
Epicuri quales fuerint. 399.
Errores varij philoſophorum 452.& ſeq.
Errores de aĩa & homine 456
Errores in Philoſophia naturali 458
Errores ĩ morali philoſo. 457
Errores de cęlo & mũdo. 455
Euidentia quid. 192. non eſt idem quod certitudo, quotuplex. ib d.
Experiẽtia initiũ ſciẽtiæ. 203

F.

FElicitas quid. 8.& 93.
Fidei diuinæ non poteſt ſubeſſe falſum 312. fides certa & ineuidens, ibi. non eſt opinio. 313 fides includit piam affectionem 313
Fides humana q̃ neceſſ. 305
Finis qui dicatur. 22
Formido quid 307
Formicę induſtria. 442

G.

GAlli prius quam Græci ſcientias coluere. 29
Geometriæ inuentio. 25
Gloria paruifacienda 30
Græci a quibus didicerint. 28 græca philoſofia sẽper male audiuit. 30. Græci quomodo philoſophẽtur, Græci putarunt animas mortales 31. Gręciæ cur philoſophia multũ dẽat. 31. Græci quales ſint. 25
Græcorum ſcriptorum quis præferendus 376
Gulæ uitium fugiendum. 445
Gymnaſia attica quot &q̃ 345

H.

HAbitus ſcientiæ nõ ſũt ſimplices qualitates 177
Habitus practici diuiſio. 219
Habitus imperfecti qui 510
Habitus duplex & cur 206
Habit⁹ humanæ mentis quot 166. habitus tres 201
Habitus cur dicatur vnus. 191
Hebręorum ſapientia antiquior græca 337
Heraclitus quis fuerit & quãdo, eius ſcripta. 338. eius opiniones 339
Hieronymus Rhodius quis fuerit,&q̃ ei⁹ doctrina 404
Hippocrati laus. 367. & 377
Hiſtoria neceſſaria philoſopho

pho 424
Homerus cur laudandus 377
Hominis natura qualis esse debeat. 438. Hominis natura quibus corrumpatur. 56. hominis duplex felicitas. 90. in quo eius beatitudo posita. 92. & seq. hominis munera quæ. 118. hominis finis 8. & 115. homines natura scire desiderant. 187. hoīs natura & dignitas 449 homo qūo fiat Deo similis. 8. homini quid faciendū vt sit beatus. 8. hominis uita quæ 10. hominis vsus. 10. hominis mors metaphorica quæ 12. Homo ad quid factus. 441. Hominis finis qui & quot 22
Honor & fama cur non magni facienda 60
Horati⁹ cōtra Epicureos. 398
Honores quomodo distribuēdi 207
Humanitatis studia quæ 197

I

IGnorantia Dei caussa malorum 100
Ingenium philosophicum quale. 488
Instrumenta sciendi quæ 38. q̄ eorū vsus, & vtilitas. ibi.
Intellectus efficienter producit actū intelligēdi. 148. Intellectus cur duplex practicus & speculatiuus. 205. Intellectus humanis tres ordines 4. Intellectus practici & speculatiui obiecta, 207. cur vnus moueat, & non alter. 208
Intellectus agens ponendus, 151 & quid sit. 152
Intellectus intelligit etiam singulare 308
Intelligentiarū scientia qualis. 236. & modus procedendi in ea. ibi.
Intelligent potest esse caussa scientiæ & qūo. 155. qualis 250
Intelligentiarū cognitio qualis. 164. de Intelligentiis varij errores. 454. & sequen.
Io. Philoponus quis fuerit, & quando floruerit 408
Ionica philosophia a quo. 334 successio. es. 338 & seq. eius diuisio 343
Italica philosophia a quo, & quando 335
Itali doctrinam accepere a filijs Noe 29
Iulianus Apostata interdixit studia christianis. 75
Iuuenes cur minus apti ad Philosophiam. 420

L

LAboris laus. 441. & seq. Libri prohibiti non legēdi. 447. Litterarum inuentio an vtilis. 451
Logica, distincta ab alijs scientiis. 202. Logica non distinguit, scientiarum obiecta. 245.

245.philosophiæ pars.255. non subalternat sibi alias scientias. 283. nec ipsa alijs 284.
Logica necessaria philosophię 424
Lucretius qualis fuerit. 398
Latinis cur Philosophia debeat. 31
Luxuriæ vitiū damnatū. 442. & seq.
Lyceū qui locus fuerit. 345

M

Magistri quales esse debent 446.& seq.
M.Tullius cur Academicos libros scripserit 407. eorundem librorum ratio. ibi & seq. quibus in rebus a quibusdam damnatus 409. an fuerit Academicus. 409. 414. quomodo dissereret. 411. Tulij opinio de scientia quæ fuerit,414.doctrina, & laus. 415.& 417.defensus. 415
Mathematicę materia,& modus procedendi.235. 240. Mathematica est distincta a metaph.237.nō est prior physica.257.non est subalternata metaphys.283.Mathematicæ sciētiæ quas sibi sciētias subalternēt.284. mathem. materia q̄. 239. abstractio quę 290 quomō abstrahat a materia itellig. &quæ sit ista materia. 291. quomō abstrahat a motū. 283.quomō abstrahat a bono & fine.294.Mathematica scientia an bona 195.& seq. mathematicæ an sint vtiles & bonæ 295.quomō distinguatur a physica.296 quomodo diuidantur.296. quomodo mathem. agat de quantitate.297. Mathematicarū diuisio,ibi an cōsideret vllas caussas. 301
Mathematicus quomodo res consideret. 232
Mecanichus qui dicatur. 220
Medicina subalternata physicæ,eius duo habitus. 285. est tamen vna sciētia. 286.
Memoria non est re distincta ab intellectu. 151
Metaphysicæ materia,& modus procedendi. 235.240. cur consideret ens in particulari.286.metaphys.quomodo consideret res omnes.239.Metaphys.phys.& mathem.sunt scientiæ totaliter distinctæ. 239. Metaphysica cur dialectica apud Platonem. 422.& 23
Metaphysicus quomodo res consideret. 232
Methodus quid 38
Mundus cur factus.114.mundus quid sit. 161.& 66.
Musæ cur castæ fingātur. 444
Musicæ subiectum. 299

Natu-

N

Naturale quot modis aliquid dicatur. 141
Naturæ ordo qui. 145
Necessarium aliquid dupliciter. 92
Nobilitas scientiæ vnde sumatur. 195
Nominũ cognitio necessaria 2

O

Opinionis nomen & definitio. 302.& seq.
Opinio habet propositiones immediatas.303.q̃d 304. 305.variæ diuisiones.305. opinio an de re necessaria 307. quib. modis generet 309. quomodo differat ab alijs habitibus,310. est habitus imperfectus. 312.distinguitur a solertia & a fide ibi.includit piã affectionẽ.313.non est fides humana 314.distinguitur a scientia,& quomodo.314.an includit formidinem. 318. opinionis natura quæ.316. 317. non auget scientiam 322. opinio non contemnẽda.324. an possit esse cum scientia.324. & seq.
Opinionum diuersarnm notitia quam vtilis 406
Ordines scientiarũ uarij 252
Ordo acq̃rendæ scientiæ 175
Ordo doctrinæ qualis 257
Orpheus a quo didicerit 20
Otium vitandum.440. & seq.

P

Parca vita laudata & necessaria philosopho 445
Parmenides quis fuerit, cuius auditor.341.eius opin. ibi.
Passionum duo genera 316
Patres antiq; cur Philosophos damnarunt.46.& seq.
Paupertate qui delectati sunt. 59.& 60. paupertas virtutũ inuentrix 60
Pædia q̃d apud Aris.423.424
Pædiæ capita s̃m Arist. 426
Peritus quis dicatur, q̃d eius munus 245
Perspectiuæ subiectum 299
Philo quis fuerit 353
Philosophandum quantum, & quamdiu 112. & seq. 116. philosophari quid, ibi. philosophari paucis non est facile. 117 philosophandum quatenus.118.& 119. Philosophãdũ quãdo & ubi 449
Philosophari & male viuere, quam turpe sit 460
Philos. illustres tituli. 472
Philos.persona qualis. 472
Philosophia quid signent. 3. philosophiæ partes 5. Philosophiæ nomen quãdo inuẽuentum.5.quomodo sumatur.620. philosophiæ munus 11.descriptiones variç 11.14. & 50. Philosophia q̃uo sit commentatio mortis 12.Philosophiç materia quæ. 20. &21. finis 22. & 23.

23.72.428. ortus & origo. 23. auctores qui fuerint. 24 & seq. Philosophi quæ a diuinis litteris acceperint 27 a quibus didicerit. 27. & 28 Philosophiæ auctor Deus. 31. Philosophia quomodo tradita & cōseruata fuerit. 32. qua ratioue inuenta. 33 Philosophiæ principia quę. 33. & seq. Philosophiæ calūniandæ caussæ duæ 41. cur damnata. 44. & seq Philosophiæ studium non est damnādum. 48. Philosophia pædagogus ad Christum & magistra gentium. 49. non est interdicenda. 49. est donum Dei. 50. non est vana & omnino incerta 50. Philos. studium, quā vtile 54. & seq. medicina animorū 58. Philosophiæ vtilitates 58. 64. in quo differat ab alijs artibus 62. Philosophia bonum honestum. 64. Philosophia vtilis omnibus artis 74. Philosophiæ delectatio quanta 81. & seq. Philosophia diues 83. Philosophiæ studiū quā sit necessarium 88. & seq. 84. ecclesiæ necessaria. 95. Philosophiæ doctrina cur non reuelata 96. Vera Philosophiæ pars vtilior practica, an speculatiua. 98. & seq. Philosophia vera quæ Plat. 101. Philosophiæ humanæ cum christiana cōparatio & vna ab alia vt superetur. 103 & seq. Philosophiæ, an diu danda opera. 112. & seq. Philosophia excitat ad Dei amorem. 117. cur diuidatur in practicam & speculatiuā 220. Philos. tam practicę, tā speculatiuę diuisiones 220 & seq. Partium Philos. ordo 252. & seq. quo ordine inuētæ. 255 quo ordine docendæ. 255. ordine naturę qūo distribuendæ. Quæ partes nobiliores. 258. & seq. ordo ratione nobilitatis. ibi. ratione certitudinis 260. Philosophia Ionica quæ. 334. Italica quæ 335. Philosophia præparationē requirit. 419 Philosophia quæ apud Platonem, eiusdem diuisio secundum eundem. 423. Philosophia operā daturus quibus rebus debeat esse instructus. 450

Philosophicum ingenium quale esse debeat. 448

Philosophus quid signent 4. philosopharum appellationes uariæ. 5. Philosophi nomen. 5. Philosophus qd. 13. Philos. munera. 13. finis. 14. Philosophi, & sophistæ differentiæ. 18. Philosophus an debeat esse sophista. 19. Philosophus absolutus qui. 21. Philos. cur damnati. 44. seq.

cur

cur a Patribus dãnati. 46. & seq. Philosophi quomodo Athei habiti 54. q Philosophi a principibus honorati fuerint 62. philosophorum vita dulcis. 87. philosophi bene remp. gerunt. 93. Philos. qui vocari possit. 99
Philosophorũ sectæ vnde nomẽ sumpsere 46. philosophus in quo versari debeat. 422. philosophis recte philosophari volentis præcepta. 428. & seq. quæ vitia vitanda a philosopho. 429. Theolo. instrumenta quæ. 431. philosophus an debeat esse eloquentiæ studiosus. 434. & seq.
Philosophus Christianus qualiter philosophari debeat. 437. & seq. philosopandum quatenus. 445 philosophari recte volenti quid necessarium 447. philosophi vita qualis. 441. philosophi q diu vixerint ibi. Philosophorũ errores varij. 452. & seq. Philosophus qualis esse debet 470
Physica bona facit bonã ethicam. 470
Physicæ obiectum quod. 234 & 240. modus procedendi 101. est distincta a Metaphysica. 239 Physica, meta. & math. quomodo distinguantur. 248. & seq. Physica prior mathem. 257
Physica non est subalternata metaphysicæ 283. Physicæ q̃ scientiæ subalternẽt. 285 Physica quomõ differat ab Astrologia 301
Physicus quomodo res consideret 232
Plato quis fuerit. 23. & quę a scriptura acceperit. 27 Platonis opinio de sciẽtia 137 Plato cur philosophando errauit 145. vocauit omnes scientia virtutes. 211. vnã videtur facere sciẽtiã. 233. Platonis scripta qualis 347 Platonis schola diuisa 348. Platonis successores 399. opinio de corpore humano 354. eius error de anima. ibi. Plato cur sic dictus, qs fuerit, & qñ. 358. eius magistri. 359. eius discipuli ibi. mores ibid. ei dicata ab Arist. 360. eius scripta ad ordinẽ redacta libri qui dubij, an sint Platonis, 362. 364. de doctrina Platonis quid sit sentiẽdũ. 362. Platonis laudatores 363. & 364. Platonis errata 365. quomõ legẽdus 366. Plato postponẽdus Arist. 366. in quo perferendus. 367. Platonici qui legendi 367
Plotinus quis fuerit. 367
Porphyrius quis fuerit. 404
Potentia proxima & remota

quæ 178

Praxis q̃d ſit & ſignificet 200 204.& ſeq. praxis quid ſit & ſignificet. 200.210.214. quib. modis varietur.205. quæ operatio dicatur praxis. 211.& ſeq. quotuplex. 214.practicũ quid 225.practicũ & ſpeculatiuum qũo differant 226

Practicum & ſpeculatiuũ, an ſint duæ differentiæ intrinſecæ. 221.& ſeq.

Præcepta ad recte philoſophãdũ ꝓ magiſtro 427. & ſeq.

Præcepta ꝓ philoſoohiæ Magiſtro Chriſt. 437. & ſeq.

Præcepta ꝓ philoſophiæ diſcipulis 448.& ſeq.

Præceptor colendus a diſcipulo.439 & ſeq.

Pręceptor qualis eligẽd⁹.439

Principes qui philoſophia, & philoſophis ſint delectati 93

Principia quomodo poſſunt eſſe communia 264

Priuatio qũo ſit forma 318

Probationum gradus 445

Prudentia quid. 219.& 310

Pueri quid docẽdi eſſent. 420 quomodo educandi. 421

Purgatio hominũ duplex.421

Pſeudomena quomodo accipienda.131.& ſeq.

Pyrrho quis fuerit, quæ eius opinio de ſcientia 352.quæ eius vita. 353

Pythagoras cur ſic dictus, quis fuerit & quando 26.& 336 qui eius diſcipuli.336. eius ſymbola.ibi.eius laus. 337. obitus.337.ſucceſſores 338

Pythagoreorũ cõſuetudo 420

Q

Quantitas cur habeat ſciẽtiam diſtinctam. 242. eius natura.ibi.a quib. ſciẽtijs conſideretur. 243

Quæ artes tractẽt res omnes, & quomodo 21

Quæſtiones quæ de homine fiant 67

Quies neceſſaria volentibus philoſophari 424

Qui ſapientiæ diſcendæ cauſſa exteros adiuerint. 26.27

R

Ratio eſt philoſophiæ inſtrumentum 144.& 431

Rationes ſcientiæ tres 184

Rationes probabiles cur afferãtur, q̃n adſunt neceſſariæ. 320. & ſeq. non diſponunt ad ſcientiam 322

Relatiua ſ̃m dici qualia. 223

Reminiſcẽtia,an ſit cã ſciẽtiæ. 138.& ſeq.quorũ ſit. 142

Rerum tria genera 142

Rerum vſus quid ſit. 10

Res aliqua quando dicatur ꝑfecta 157

Romana academia quæ. 355

Romanorum mores quando corrumpendi eſſent 30

S

Sapiens vera voluptare perfunditur 82

Sapiens quis dicatur 4.5.21
Sapiens quis non dicatur. 12
Sapientes ſeptem qui 334
Sapiẽtes qui iudicati ab Apolline 25
Sapientes barbari varij 26
Sapientia petenda a Deo 448
Sapientia q̃ propriæ dicatur 4
Sapientia quot modis ſumatur 6. Sapientia cum eloquentia coniungenda 432
Sapientia communicãda 433
Sciendi appetitus q̃tus 33.34
Sapientis perſona qualis. 472
Scientia a quibus negata. 410
Sciẽtiæ omnes ab Adamo manarunt. 29 30. Scientia quo ordine acquiratur. 36. quibus inſtrumẽtis acquiratur. 37. & 38. quibus uijs acquiratur. 38. Scientia humana nõ eſt uana 50. Sciẽtia quomodo dicatur inflare. 53. q bus modis ſumatur. 122. agere de ſcenitia cuius ſit. 123. Scientias quis diſtinguere debeat. 124. ſcientiã dari poſſe, & dari. 125. non dari quibus argumentis ꝓbetur. 126. ſcire cũ quis dicatur. 127. ſciẽtiæ humanæ fundamenta. 129. ſcientia, ſiue rerũ cõprehenſio datur. 134. ſcientiæ origo. 137. & ſeq. an per reminiſcentiam. 138. & ſeq. 142. ſcĩa naturæ virib. acquiri põt. 146. ſciẽtiæ cauſſæ quæ. 150. & ſeq. quib. inſtrumẽtis acq̃ratur. 156. Scia quibus modis ſumatur. 149. ſcĩæ finis. 150. ad ſcĩam generandã q̃ req̃rantur. 154. duobus modis acq̃ritur. 154 Quid ſit. 157. & ſeq. ſcĩa duo includit 158 nõ eſt ſubſtãtia. 159. & qũo ſit ſubſtãtia. ibi. non eſt ſpecies intelligibiles, ibi. Scĩæ definitiones. 160. & ſeq. ſciẽtiæ cauſſæ 162. Scĩa qũo diſtinguatur ab aliis habitib. 164. Scientiæ ꝑfectio vnde ſumatur. 165. Scĩa qũo ꝑfecta. 167. ſcientia rerũ oĩum nõ habetur naturaliter. 167 ſcĩa humana qũo perfecta, vel imperfecta. 169. ſcĩæ humanæ imperfectio vnde ſumatur. 170. ſcĩa qũo ordine acquiritur. 175. non eſt ſimplex qualitas 176. 179. ſcĩæ vnitas triplex 183. diſtinctio vnde ſumatur. 184. ſcĩæ rõnes tres. ibi. ſcĩæ vnitas generica vnde ſumatur. 186 Vnitas ſcĩæ vnde ſumatur. 188. & ſeq. ſcĩæ diuerſæ vbi ſint. 189 ſciẽtiæ habitus cur vnus dicatur. 191. ſcĩa quã euidentiã requirat 192. requirit veritatẽ. 193. requirit certitudinẽ 194. & ſeq. ſciæ nobilitas vnde ſumatur. 195 ſcientia de malo, bona. 195. qũo vna nobilior alia 196. Scĩæ diuiſiones variæ. 196. &

& seq. scia an bene diuidatur in practicã & speculatiuã.199.& seq. Sciæ diuisiones quæ bonæ 202. Sciæ diuisi in practicam & speculatiuã vnde sumatur. 216. & seq. in scia tria cõsiderantur. 216. Sciæ pfectio an cõsistat in hoc qd sit speculatiua. 217. Scientia proprie sumpta est speculatiua, 218 Sciæ diuisioni practicam & speculatiuã qualis. 221. & seq. essentialis. 225. Scia primo dicit analogie de speculatiua & practica. 226. scia speculatiua est prior & pfectior practica 227. Vna scia q̃ dicat. 233. Sciæ vnitas vñ sumatur, & quot modis pôt dici vna. ibi. 238. sciẽtia de Deo qualis. 235. scia de ente qualis. 236. Qñ scia est totalis. 236. Vna scia nõ est oĩum rerũ. 238. scia realis speculatiua in quas partes diuidenda 240

Sciarum variæ cõparationes. 252. earum ordo, ibi. & seq. quo ordine inuẽtæ. 253. q̃ nobiliores. 258. & seq. earũ ordo rõne nobilitatis qũo ordinãdæ ratione certitudinis. 260. Scia an dicatur vni uoce de varijs sciẽtijs. 261. Sciæ debẽt esse subalternatæ. 262. Sciæ inter se iuuãt. 286. sciæ mediæ quæ & cui subalternentur. 299. an sint magis math. quã phys. 300. qũo differant a phys. 300. Sciæ necessitas vnde sumit 307. scia cur astando nomẽ acceperit apud Grecos 424

Sepulnedæ error circa libros Aristotelis 374

Similitudo cauenda 18

Simplicius qualis auctor & qñ floruerit 405

Socrates qs fuerit eius pceptores, auctor Philos. morum 24. & 342. frugi homo. 348 eius opiniones ibi qñ nat⁹, & mortuus, ibi eius discipuli. ibi. qũo philosophar. 344

Socrat. ironia laudata 412. cur hoium sapientissimus iudicatis. ibi. & 90 Socrat. hoĩes ad virtutum ortabatur. 412

Socratica differendi rõ q̃. 411

Sol quid. 66

Solertia quid. 311

Solers quis dicatur. 311

Sophistæ nomen quot modis sumatur 16

Sophista quid sit. 17 sophistæ & philosophi differẽtiæ. 18

Sophistica ars quid. 17. sophistica quomodo differat ab alijs 19. quæ eius materia 21

Species intelligibiles aqua causa producantur 151

Stoa qui locus fuerit 246

Stoicorũ varia errata in vtraque philosophia 385. Stoici, omnes admittebant ad philo-

philosoohiam. 419. Stoicorum doctrina quæ 400
Strato Lampsacenus qui 403. qualis eius doctrina ibi. quando floruerit. ibi.
Studendi tempus 449
Subalternatio necessaria, quotuplex, & quid. 262. vera subalternatio quid reqrat 264. quib. modis fiat. 264. et seq conditiones necessariȩ ad subaltarnationẽ 268 & seq. subalternãs & subalternata quomodo differãt. 273. An sciẽtia subalternata cognoscat sua principia. 276. & seq. sciẽtia subalternata ni principia noscat, nõ est vere scientia 277 quæ scientiæ sint subalternãtes & subalternatȩ 282. & seq. scientiæ practicæ subalternantur speculatiuis. 284
Substãtia prior accidẽte. 257

T

Thales quis fuerit & quãdo floruerit 334. eius discipuli. 335
Themistius quis fuerit, & quãdo fluerit. 407
Theologi qualiter philosophẽtur. 439
Theologia scientiarũ domina. 443
Theophrastus quis fuerit quãta eius doctriua 402
D. Thomas quanti faciendus inter expositores Ar st. 39 a multis laudatus. ibid.

V

Veritas tantum vna 440
Veritas omnis a Deo 78
Veritas quanti facienda & facta a Pyth, 428
Veritas quomodo sit scientiarum finis 251
Veritas quid sit. 193. quotuplex ibid.
Veritas vbi sit 127
Verum duplex 208
Virtus magis quærenda & paranda quam alia bona. 115
Virtus sola nos bonos facit. 101
Vitam aliam dari qua ratione probatur 444
Vitium quid sit 397
Vnum quid sit 248
Vnitas generica scientiæ vnde sumatur 186
Vnitas sciẽtiæ quotuplex 183
Vniuersum quid 66
Voluptas q d 57. eius mala ibi. intẽperãtiæ, & q d effect⁹ 57
Voluptas fugienda 444
Voluptatib. veris q fruaẽ 82

Z

Zenones plures 401
Zenonis opinio de scientia 344 & 357 quis fuerit 399 vbi natus ibi.
Quos â magistros habuerit 399. qualis doctrina 400. eius sectatores. 400. quibus disc[illegible]debat a peripatetici & Academicis 401

FINIS.

Maiora quæ irrepsere menda sic emendato : Hic solum ponuntur verba emendata.

PAg.ver.34.nimirum.p.22.u 37 alter.p 25 u.33.colentes.p 45. u.17. pauciores.p.48.u.13. pugnet.p.49.v. 22 authoritate sacr.p.61. u. 13.adhuc.p 75 u.20 pauci.u.37.canet.p 80.u. 10. candiduli. p. 84.u. 20.diuinarum.p.85 u 25.cernuntur.p.95.u.15.denique.p 99.u. 9. hi.p. 105.u.20. aspersa.p.135 u.12.ut ex p 139.u 24 notionem p.144.u.27. habuisse. p.149.u.20.modo quo. p.151.u.14.nam p.157.u. 24. scientiā. p.161.u.28.aliter.p. 166.u.17.seiunctæ.u 27 in poten.u 31. fuerunt.p. 174.u.10.demonstrationes.p.199.u. 20.lectu,& conf.p.200.u.31.prætto p 226.u.35.non, vacat.p.228.u.4.quam quant. p. 323. u.4 in, uacat.u. 30 uel illa.p.237.u.26.nam.p.247 u. 5.subalternante. p. 283.u.14. a.p. 286.u 26.ab.p.289.u 6.experti.u.7.affert artibus.p.325.u. 6. cum actu p. 331.u 21.separat p.336.u. 1.cuiasnam, a, vacat.p.344.u.36. uoluntate. p 379.u.15.Græci select.p.401.u.16.coryphæus.p.413.u.5 adibat.p.428 u.27.ridiculos.



INTRODVCTIONIS in vniuersam Philosophiam

LIBER PRIMVS:

In quo de Philosophię natura, caussis, proprietatibusque agitur.

Suscepti operis ratio atque partitio. *Cap. I.*




SAEPE ipse mecum, amice Lector, animo cogitaui, quæ caussa fuerit, cur hucusque multi extiterint, qui in omnes fere artes Isagoges, Institutionesve scripserunt; in Philosophiam vero omnium bonarum artium parentem, scientiarumque grauissimam, nihil tale, vnico & absoluto opere, quod sciam, adhuc in lucem datum fuerit. Et tamen, meo quidem iudicio, nulla est disciplina, quæ pluribus maioribusque de caussis, quas nunc missas facio, aliquo aditu, atque pædia indigeat, quam ea quæ cunctorum benedictorum, atque benefactorum mater iure nominatur.

Cicer. Tus. 5. lib. 1. de leg.

Cic. in Bruto.

QVAMVIS ergo, quæ de re proposita scribi possunt, nonnulla sparsim apud diuersos auctores, aliquis reperiret, omnia tamen in vnum corpus collecta, non facile inueniet; id quod, in gloriam Dei totius Philosophiæ parentis, & in eorum, qui eiusdem perdiscendæ studio flagrant, vtilitatem, nos facturi sumus. Bre-

Plat. M. Tul.



ui igitur & facili quadam ratione in hac nostra Isagoge ea omnia attingemus, quæ ijs qui totius Philosophiæ cursum conficere, & in penitiores diuinæ humanęque sapientiæ aditus penetrare volunt, scitu sunt necessaria.

Id autem præstabimus, dum de natura, caussis, attributis, partibusque Philosophiæ, humanęque scientiæ, de Philosophorum scholis, atque de recta philosophandi ratione scribemus. Hæc enim summatim sunt, de quibus nobis agendum est: quæ capita suis locis in alias distribuentur partes.

Opus itaque non ingratum, neque inutile me facturum spero: de cuius vtilitatibus non nihil in præsentia dicerem, ni cuiq; manifestum esse pro certo haberem, id aliquem posse afferre fructum, quod nos ad eam rem comparandam magis idoneos reddere potest, quæ totum illud ipsum quod est homo, perficit atque exornat, & ad nosmetipsos cognoscendos, atque ad vitam recte instituendam plurimum valet, cuiusmodi est Philosophia, de qua nostra futura est disputatio. Quid autem nomine Philosophiæ intelligendum sit, sequenti capite, ad rem ipsam aggredientes, plenissime explicabimus.

Tul. 1. de orat.

De nomine Philosophiæ, atque Philosophi. Cap. II.



Xenophon.

Lib. 1. post. t. 2. Arian.

HVMANAE doctrinæ exordium a recta nominum intelligentia sumendum esse, is sapienter dixit, qui Apollinis oraculo, hominum sapientissimus est iudicatus. Quare, iure optimo a Peripateticæ scholæ Principe inter eas notiones ex quibus humana fieri doctrina debet, nominis prænotio connumerata fuit. Cum ergo hoc pronunciatum verissimum sit, eruditionis principium, esse vocabulorum intelligentiam, Philosophiæ sapientiæve naturã explicaturus, a nominis notatione initiũ capiã.

Ea igitur rerum cognitio, qua humana mens perficitur, grauissimo nomine, primum a Græcis Sophia,

Lati-

Latine, ſapientia, poſtea nomine compoſito, Philoſophia, hoc eſt, amor, ſiue ſtudium & indagatio ſapientiæ nominata fuit: hinc Philoſophus, ſapientiæ ſtudioſus, ſiue indagator: & Philoſophor, hoc eſt ſtudeo, indago, comminiſcor, & circa aliquid intentus ſum, ſtudioſe contendo, tracto, & ſpeciatim in veritate inueſtiganda occupor. Sed quoniam hoc nomen nonnullis calumnijs eſt expoſitũ, ideo antequam ad rem nomini ſubiectam accedo, eas in medium afferam, atq; refellã. Cic. lib. 1. de leg. Bud.

PRIMVM, hoc ſapientiæ & ſapientis nomen non videtur eſſe ita ſplendidum atque magnificum, vt aliqui arbitrantur; cum huiuſmodi appellationes ad vulgares & mechanicas artes, atque artifices a ſcriptoribus non vulgaribus accommodari ſoleat: ac proinde non erit minus ſapiens pictor Apelles, quam Philoſophus Plato, & minus ſapientia, ars ſtatuaria, quam Aſtrologia. Homer. Ariſt. lib. 6. eth. c. 6.

DEINDE, ſi hoc nomen a rebus & artibus inferioribus, ad præclaras artes & illuſtres homines ſolum accommodare, atque magis ſtricte vſurpare velimus; tunc is non poterit arrogantiæ & ſuperbiæ vitium ſubterfugere, qui ſibi ſoli ſapientis nomen accommodare voluerit; cum hæc ſplendida atque diuina appellatio ſoli conueniat Deo; vt quidam, & recte quidem, ſcripſerunt. Plat. in apol.

PRAETEREA, ſi diceres, eos hanc culpam vitare, qui diſciplinam quam profitentur, Philoſophiam, & ſe Philoſophos, hoc eſt ſapientiæ cupidos vocant, id, hanc notam non delet; cum nõ ſolum iſti, qui hoc ſibi nomen tribuunt, ſed cuncti homines, ſe ſapientię cupidos eſſe, affirmare queant, ſicuti & riſiuos: cũ omnibus hominibus veritatis cognoſcendæ innata ſit cupiditas.

DENIQVE, veritas & ſapientia quam hęc diſciplina quærit, eſt in intelligentia, animove, quo ſapimus & intelligimus: quare male appellatur Philoſophia, quę vox non doctrinam & cognitionem, ſed amorem ſtudiumque deſignat, quod ad voluntatẽ pertinet. Ariſt. 1. Met. c. 1.

Ad has obiectiones tollendas hæc subijcio fundamẽta.

PRIMVM fundamentum, intellectus humanus tres habet respectus; vnum ad seipsum, alterum ad voluntatem, cui quid agendum, quidque fugiendum sit proponit, tertium ad cæteras hominis facultates & actiones, quas dirigit. Ratione primi, intellectus seipsum respicit, & per rerum cognitionem & veritatem, quæ est veluti eius forma atque absolutio, omnia, quantum fieri potest, cognoscendo, se perficit, & absoluit. Atque hæc omnium rerum notitia, veritatisque lumen, Sapientiæ nomen meruit: & speciatim ea cognitio quæ de rebus æternis atque diuinis habetur, vniuerseque omnium rerum formas ac naturas, atque omnium scientiarum prima principia nouit: ita vt speciatim ea notitia dicatur Sapientia, quę rerum sublimiam summas caussas, & omnia principia nouit, quam Theologiam, & Metaphysicam vocant; & is sapiens, qui
Lib. 1. Me. c. 2. istam cognitionem est adeptus. Ille vero qui certæ rei caussas cognitas habet, dicitur quidem sapiens, sed in tali genere: quo modo naturę speculatorem sapientem vocabimus. At vero intellectus, vt aspectat voluntatem, cuius est quasi consultor & auriga, non solum ea debet habere perspecta, quæ sola cogitatione attinguntur, sed etiam alia quibus humana vita regitur, honestatis nimirum rationes, quæ ad se & alios recte instituendos, atque tuendos pertinent: id quod sine virtutibus morum, quibus voluntas bene afficitur, fieri
Cic. 1. de leg. haudquaquam potest. Atque hæc plena rerum diuinarum & humanarum notitia cum honesta viuendi ratione coniuncta, grauissimum Sapientiæ nomen plene meretur, & is qui hanc consequutus est absolutionem plene Sapiens nominatur: & hæc est vera Sapiẽtia, hoc est sapida quædam scientia, quæ & mentem & voluntatem, totum nimium hominem, perficit, penitusque absoluit, & in optimo vitæ statu constituit. Quod autem præter nudam rerum notitiam ad humanæ mentis absolutionem vitæ candor sit necessarius, satis plane

ne is indicauit, qui cecinit, *At bene non poterat sine puro pectore viui*. Ideo sapienter Plato, hominem iustum atque prudentem, sapientem vocabat. Illa vero notitia per quam intellectus cæteras hominis operationes respicit, ac dirigit, quæ artis nomine designatur, licet interdum per abusionem sapientia nominetur, & is, qui ea est præditus, sapiens, tamen à sapientiæ & Philosophiæ consortio remouenda est. Cæterum, quibusdam ingenuis artibus id honoris concedi potest, si eas sapientiæ administras ancillasve vocemus. Atque ex his primo colligere licet, nomine Philosophiæ, si vniuerse sumatur, non designari certum quendam habitum definitæ rei, sed diuersos, quibus omnia diuina & humana, iuxta diuersas eorum rationes, cognoscuntur, vt postea docebo. Deinde, ex dictis intelligitur, vniuersam Philosophiam duas in partes esse distributam, in diuinam, siue speculantem, & in humanam, siue agentem, quibus de partibus suo loco accurate dicet. Lucr. lib. 5. M. Tull.

SECVNDVM fundamentum, qui primo ad veritatem inuestigandam, aut colendam se contulerunt, & in hac re laborarunt, apud Græcos, Sophi, hoc est sapientes fuerunt appellati, sicuti apud Persas Magi, apud Indos Gimnosophistæ, apud Gallos Druidæ, & apud Hebræos, Pharisæi, qui, vt aliqui scribunt, respondent Theologis nostris. Huius nominis postea facta est mutatio, cuius hæc extitit occasio. Cum Pythagoras a Leonte Philiasiorum principe apud qué multa docte & copiose disseruerat, interrogatus fuisset, qua maxima arte confideret, respondit, artem quidem se scire nullam, sed se esse Philosophum, hoc est sapientiæ studiosum; vnde factum est, vt veritatis inquirendæ disciplina, Philosophia, hoc est sapientiæ studium sit appellata; non quod ipsa sit studium, cupiditasque illa sciendi, cum in cognitione consistat; sed, vel id fecit modestiæ gratia, ne se vocaret sapientem, quod cognomen, vt ait Plato, soli Deo conuenit: vel quia animaduertebat quam minima & incerta sit humana scientia, Diogen. Cic. Tusc. 5. Dial. de pulchro

vel vt eorum iactantiam comprimeret, qui gloriæ & lucri caussa sapientiam profitebantur. Apud Græcos scriptores Philosophi nomine illi interdum designantur, quos vulgato nomine Monachos vocamus, quod ab humanis negocijs seiuncti, se totos rebus diuinis tradant. Cæterum hæc vox, pro eodem apud omnes sumitur, atque sapientiæ nomen, quod interdum pro sapientia, siue Philosophia imperfecta, quæ studio acquiritur, interdum pro habitu iam adepto atque absoluto, capitur. Neque est inconueniens, vt homines sibi illud nomen tribuant, quod ab ipsa arte quam profitentur, sumitur, cum per eam, vt postea dicetur, Deo similes euadant: & diuinæ literæ probos homines, non modo sapientes, sed etiam Deos vocent. Quod sane nomen ijs qui eas artes tractant per quas homo non perficitur simpliciter, satis improprie conceditur.

TERTIVM fundamentum, cum Philosophia, vt diximus, pro eodem sumatur, ac sophia, siue sapientia, ideo totidem fere modis vsurpari potest ac sapientiæ nomen vsurpatur. Sapientia primo sumitur pro cognitione omnium rerum, quæ haberi potest: secundo speciatim pro cognitione rerum diuinarum æternarumque: tertio pro cognitione alicuius certæ naturæ per suas causas: quarto pro scientia cum actione coniuncta: quinto pro cognitione alicuius artis, maxime si sit ars liberalis: postremo apud Theologos sumitur pro quodam dono Spiritus sancti. Atqui Philosophiæ nomen quattuor primis modis vsurpari solet, maxime in prima & secunda significatione; quibus modis speciatim a nobis in hac tractatione sumetur. Verum olim, illi priuatim nominabantur Philosophi, qui a communi vsu atque reip. administratione semoti, toti in rerum occultarum atq; admirabilium inquisitione erant occupati. Ideo Aristoteles Anaxagoram & Thaletem sapientes vocauit, non autem prudentes. At vero qui Philosophiam ad rerum humanarum tractationem traduxerunt, eum Philosophi nomine dignum putant, qui

Pla. dial. de Pulchr.
Lib. 6. eth. c. 7.
M. Tul. li. 1. off. in proœm.

qui in tradendis officij præceptis, & in communi vitæ fuerit occupatus. Atq; de nomine hæc satis. Obiectiones vero quas attulimus, quia ex dictis facillime soluuntur, ideo earum solutionem omittimus, vt ad alia pergamus.

Afferuntur & explicantur variæ Philosophiæ definitiones. Cap. III.


VT Philosophiæ nomen varie a varijs scriptoribus vsurpatum fuisse diximus; ita eius naturam diuersa ratione a diuersis auctoribus descriptam fuisse secundo loco dicemus. Nec cuipiam mirum videri debebit, quod ea disciplina varie descripta fuerit, quæ formas, & aspectus habet varios: cum ea sit rerum præstantissimarum natura, vt non vna simplici oratione, sed pluribus atque diuersis, ob earum præstantiam ob oculos poni soleant. Cum ergo Philosophiæ nomine diuersi contineantur habitus, diuersaque obiecta & munera, diuersique fines, subordinati tamen; ideo alij diuersa ratione ab alijs eam delinearunt. vt autem quæ circumferuntur Philosophiæ descriptiones melius intelligi possint, nõnulla fundamenta ponenda sunt.

PRIMVM fundamentum, Philosophia generatim considerata, cum varios contineat habitus, non est perfectæ definitionis capax; ac proinde solum describi atq; delineari potest. Solent autem cognitionis & actionis habitus ex tribus maxime rebus describi: ex subiecta materia, ex fine, munereve, & proprietatibus, atque ex vtroque simul: vt si definiendo morum disciplinam, diceres, esse cognitionem virtutis, humanarumve actionum doctrinam, vel rectam felicitatis acquirendæ rationem: vel denique, scientiam de virtutibus, beatitudinis adipiscedæ gratia comparatam. Quare, cum Philosophia sit quidam habitus, quo cognoscenda, & agenda

da noſcuntur, ex tribus iam dictis capitibus potiſſimum deſcripta atque delineata fuit.

SECVNDVM fundamentum, de meliorum Philoſophorũ ſnia, finis hoĩs in hoc eſt ſitus, vt quantum fieri poteſt, ſe Deo ſimilem reddat: ad cuius finis conſequutionem nos cœleſtis hortabatur Magiſter, cum dicebat, Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Ideo recte, vt eſt apud Arianum, aiebat Epictetus, εἰ γὰρ οὐκ εἰσὶ θεοὶ, πῶς ἐστὶν τέλος ἕπεσθαι θεοῖς; hoc eſt, Etenim, ſi dij non ſunt, quomodo finis eſt Deos ſequi? Et Iulianus apoſtata, vt ſcriptum reliquit Cyrillus, eandem veritatem ex Philoſophorum conſenſu confirmauit, cum dixit, Philoſophi nos imitari Deum ſuadent. Hæc ſimilitudo in eo ſita eſſe videtur, vt ſicuti Deus ſe & omnia quæ efficere poteſt cognoſcit, & cognoſcendo procreat, atque proreata moderatur, inque ſuos fines dirigit, & dirigendo ad ſe reuocat, cum rerum creatarum idem ſit principium & finis; ita & homo auctorem ſuum, ſeque cognoſcat, & ſuas atque aliorum viuendi rationes, quantum ei licuerit, prudẽter pieq; regat; vt & ipſe & alij per ipſum eo redeant, vnde defluxerunt; cum, vt quidam præclare dixit, Felicitas nihil aliud ſit, quam cuiuſque rei reditus ad ſuum principium. Homini itaque Deo ſimilem euadere, & ad felicitatem peruenire volenti, neceſſe eſt, vt res ſublimes cognitione comprehendat, prudentia humana diſponat, & religione diuina veneretur & colat, atque geminam ineat vitam, cogitantem nimirum, atque agentem; ita tamen, vt cogitatio ad actionem, quæ eſt nuda cogitatione præſtantior, referatur; vt quantum fieri poteſt, quam proxime ad Deum accedat, & diuiniorem vitæ rationem degat: quod ita eſt homini a natura inſitum, vt qui in aliam partem ſua ſtudia conferunt, optimum hominis ſtatum hi ſibi inuidiſſe videantur. Hanc viuendi rationem ij minime inire poſſunt, qui ſeſe voluptatibus, ſenſuumque obſequio dedidere: quorum mens perturbationibus agitata,

Boe. lib. 1. d cõſ.
Mat. 5.
Lib. 1. c. 12.
Lib. 5. cõt. Iul.
Ioã. Pic.
Marſ. Ficin.

tata, claram veritatis lucem intueri, virtutiſque pulchritudinem aſpectare minime poteſt: quam ſi cerneremus, ſui in nobis mirabiles excitaret amores. Mens itaque a ſenſibus ei euocanda eſt, qui uitam diuinis mentibus ſimilem, & ſuæ naturæ conſentaneam viuere cupit; ac proinde quodammodo moriendum, ſenſibus nimirum, ac mundo, ei præſertim, qui cogitationis vitam ſibi præcipue eligendam putaret. Ideo aliquando diuine prorſus a M. Tullio dictum fuit, dum de Philoſophiæ partibus, deque earum dignitate atque vtilitate diſſerebat, Phyſicæ quoque non ſine cauſſa tributus idem eſt honos: propterea quod, qui conuenienter naturæ victurus ſit, ei & proficiſcendum eſt ab omni mũdo, & ab eius procuratione. Nec vero poteſt quiſquam de bonis & malis vere iudicare, niſi omni cognita ratione naturæ, & vitæ, etiam deorum, & vtrum conueniat nec ne, natura hominis cum vniuerſa. Admirabilis ſane ſententia, & diuino illo M. Tullij ingenio digna: ad quam melius intelligendam, aliud ſubijcio fundamentum.

Tul. lib. I. offic.

Lib. 5. de Fin.

TERTIVM fundamentum, innata noſtris mentibus notione, nemo eſt qui non intelligat, omnium rerum quæ gignuntur & fiunt, præſtantiorem eſſe vſum, quam ſit cuiuſcunque rei effectio: id quod adeo verum eſt, vt ni rei vſus acceſſerit, nihil ſit neceſſe cur res vlla fiat. Quid enim frænis, calceis, vrceis, malleis, & artibus quæ iſta efficerent, opus fuit, ni eorum aliquis ſit futurus vſus? Quo fit, vt efficientes artes, non ſolum earum quæ vtuntur ſint ancillæ, ſed hoc ipſum quod ſint, ab illis omnino obtineant: atq; idem de ijs quæ a natura gignũtur, dicendum puta. Etenim, ſi quid eſſet in natura, quod nihil ageret, & nullum exhiberet vſum, cauſſa fuiſſet nulla cur gigni debuiſſet. Pro certo itaque habeatur, quidquid genitum in natura rerum eſt, ad aliquem vſum eſſe genitum, & cuiuſque rei vſum ipſa rei effectione eſſe præſtãtiorem, eundemque fuiſſe cauſſam, cur quæque res gignatur & fiat. Et quoniam

niam nec ars, nec natura quicquam facit, vt peruerse in vsum adhibeatur, sed apte & conuenienter; ideo cauendus est abusus, cum re quapiam bene & male vti fas erit. In eo autem cuiusque rei cōgruus & laudabilis vsus positus esse videtur, vt id exequatur munus, ad quod a natura fuerit procreatum. Ex quibus intelligi licet, naturæ humanæ absolutionem, & veram vitæ felicitatem in eo esse sitam, vt conuenienter se quisque ipso vtatur. Cæterum, cum homo ex tribus naturæ gradibus, vegetante, sentiente, & intelligente constet, quornm duo priores sunt ei cum rebus sensu & ratione carentibus communes; hic maxime cauendum est, ne rectum sui vsum in eo positum esse putet, vt corpus curet, sensibusque satisfaciat; cum præcipuus eius vsus ad quem alij referendi sunt, in recta rationis functione sit collocatus; quippe, ratio id ipsum est, quodcunque est homo: vt vere M. Tullius dixerit, viuere hominis esse cogitare, non ali, non frui voluptatibus, quæ qui præcipue curant, non hominem, sed plantam, & brutum viuunt. Euocanda itaque mens est, a corporis cura, & a sensuum illecebris, ei qui veritatis cibo naturæ nostræ congruo, & veris voluptatibus, quæ ex rerum contemplatione, & ex honestis vitę rationibus hauriūtur, perfrui voluerit: quod qui faciunt, ij tandem seipsis recte vtuntur. Sunt itaque rationis naturæque nostræ vsus recti duo; alter, quo homo rerum presertim sublimium atque æternarum naturas contemplatur: alter, quo vitæ suæ rationes, atque aliornm etiam, si in vita familiari atque communi versari volet, moderatur ac regit. Quare, qui vtramque viuendi rationem, quæ omnem hominis absolutionem vsumque compræhendit, sequi voluerit, is interdum totum se ad res supræmas atque diuinas conuertet, & ab aliorum aspectu se tollet; vt inde maiorem lucem capiat: non secus ac Luna, quæ interdum se totam radijs solaribus subijcit, & nostros oculos fugit: interdum vero ad communem vsum redibit, suumque lumen cum alijs com-

municabit,

municabit, vt eadem Luna facit, cum plena est luminis, quæ totam se conspiciendam præbet. Atque ex his quæ diximus facile intelligi poterit, quę sit Philosophiæ natura, quodque munus, hoc nimirum, vt eam nobis doctrinam suppeditet, qua nobis quam optime vti, & actiones nostras sine vllo errore dirigere possimus. Hoc itaque Philosophia profitetur, daturam se nobis viam & rationem, qua nobis ipsis quam rectissime vtamur. Atque hæc est illa vna sapientia, quæ nos Dei similes, eiusque vitæ æmulatores facit, quantum tamen per naturæ vires licet; per quas nunquam ad eam similitudinem ad quam cœlestis magister Christus nos hortabatur, nisi eius affulgeat gratia, perueniet vnquam nemo: Et multo minus ad cœlestem patriam, ad quam facti sumus, & per honestæ vitæ rationes pergimus; cum hic, vt diuinæ literæ docent, ciuitatem non habeamus permanentem.

Ergo nihil quoniam vita est quod amemus in ista, Auson.
Nec tamen in cassum fas est nos credere natos.
Auctorem vitæ, si iustum credimus esse,
Vita alia est nobis illi viuendo paranda;
Cum quo post istam possimus viuere vitam.

ATQVE hæc adnotasse sufficiat. Nunc nonnullas Philosophiæ descriptiones, quæ eius naturam breuiter ob oculos ponunt, subijciemus, quas, ex ijs quæ diximus, facile quisque intelliget.

PRIMA descriptio, Philosophia est scientia veritatis contemplatrix: quæ sumitur a fine proximo, & priuatim Philosophiæ theoricæ conuenit. 2. Met. tex. 3.

SECVNDA, Philosophia, siue sapientia, est rerum diuinarum & humanarum, caussarumque quibus hæ res continentur, scientia: quæ sumitur ex obiecto. Per res diuinas intelligendæ sunt res supernæ atque sublimes. Per humanas res infernæ, & quæ in hominum vita continentur. Quo fit, vt hæc descriptio conuenire possit vtrique Philosophiæ parti, agenti, & cognoscenti. M. Tul. lib. 2. offic. & Tusc. 5. Plat.

TER-

TERTIA, Philosophia est notitia per quam Deo similes efficimur: vel Dei similitudo quædam. Hęc assignatur per effectum, vel finem: cuius plena intelligentia patet ex ijs quæ adnotauimus, & vtramque philosophandi rationem complectitur; cum is solus Dei similitudinem plene referat, qui veritatem nouit, & ex ea viuit Neque enim is sapiens haberi potest, qui solo rerum admirabilium aspectu, & indagandæ naturæ studio occupatus, seipsum ignorat, nec quid ipse sit explorat, nec perfectæ sapientiæ frœnis seipsum cohibet, neque etiam alios, si id ei agendum sit, in officio continet, & moderatur.

QVARTA, Philosophia est scientia semetipso recte conuenienterque vtendi: atque ita vtendi, vt totius hominis vsum, & vniuersam in homine rationem complectatur. Hoc enim ipsa profitetur, vt nobis viam rationemque commostret, qua nobisipsis quam rectissime vtamur, vt plane in secundo exposuimus fundamento.

Sadol. lib. 2.

QVINTA Philosophia, seu Philosophorum vita est commentatio mortis, seu separatio animi a corpore. Hæc metaphorica descriptio sumpta est ex doctrina Platonis, quam apud varios scriptores explicatam inuenies. Intelligitur itaque ista commentatio de quadam morte metaphorica, qua mens rebus cognoscendis dedita, & a sensibus semota, vt adnotauimus, quandam ecstasim patitur. Quid enim aliud ait M. Tulius, agimus, cum a voluptate, id est a corpore, cum a re familiari, quæ est ministra & famula corporis, cum a rep. cum a negotio omni seuocamus animum? quid, inquã, tunc agimus? nisi animum ad seipsum reuocamus, secum esse cogimus, maximeq; a corpore abducimus? secernere autem a corpore animum, ne quidquam aliud est, quam emori ediscere; & quæ apud ipsum non minus sapienter, quam eleganter sequuntur: qui locus est omnino legendus.

Amon. præf. in Porph.

Tusc. 1.

DENIQVE, vt quasdam alias descriptiones breuiter

uiter perstringam, Philosophia, vt Senecæ homini Stoico placuit, est recta viuendi ratio, vel honeste viuendi scientia: vel ars rectæ vitę agendæ. Item ex M. Tullio, Philosophia est beatæ vitæ & omniũ bonarum artium mater: Rerum optimarum cognitio, & in his exercitatio. Item, Philosophia est vitæ dux, virtutis indagatrix, vitiorumque expultrix. Et ut hoc caput concludam, ex ijs quæ adnotauimus, talem conficeres descriptionem, Philosophia est rerum cognoscendarum & agendarum scientia, qua Dei similes contemplando & agendo efficimur. Atq; de Philosophiæ natura hæc satis: cuius facies ex ijs quæ deinceps scripturi sumus, multo melius adhuc innotescet. Ad alia igitur stylum conuertamus. Lactan. lib. 3. c. 15. Lib. 1. de leg. lib. 3. de Orat. Tusc. 5.

Quid sit Philosophus, & quod eius officium. Cap. IIII.



QVONIAM vero ex ijs quæ de Philosophiæ natura diximus, facile intelligi potest, quid sit Philosophus; ideo pauca de eo dicenda erunt: quibus, non tam Philosophi natura, quam eius munera explicabuntur, Et quia contraria, cum contrariis collata magis elucescunt, ideo non nihil de Sophista, qui non re, sed nomine est Philosophus, atque de arte sophistica adiicimus. Arist. lib. de cœl.

QVOD igitur ad primum attinet, Philosophus is dicitur, qui est veritatis, sapientiæque cognoscendę cupidus: vel qui res humanas atque diuinas cognoscendo, ac recte agendo se Dei similem reddere studet: vel, qui polymathia instructus, se & alios recte instituere conatur; vel quod idem est, qui se ipso recte vti, aliosque dirigere nouit. Philosophus, inquit M. Tullius, is est, qui studet omnium rerum diuinarum atque humanarum vim, naturam, caussasque nosse, & omnem bene viuendi rationem tenere, & persequi. Plat. 5. de rep. Plat. in Amatores, & de sap. 1. de Orat.

ATQVE ex his descriptionibus colligere licet, quænam sint veri Philosophi munera. Primum veri Philosophi est, mentem a corporis contagione volupta- plat. in phęd.

tibusque

tibusque auocare, & commentando mori, aut potius vitam beatam viuere; cum, vt Tullius scripsit, homini viuere, sit cogitare. Deinde, eiusdem est res diuinas per
Plat. in sapientiam noscere, & humana per prudentiam gu-
Theag. bernare. Præterea, se & alios bonos efficere. Item, recte
Sad. seipso vti, ad eos quidem vsus, ex quibus decus, & dignitas, & pulchritudo, non in externa aliqua re, sed in eo ipso qui vtitur, hæreat, & constituta sit. Hoc item est Philosophiæ officium, eam doctrinam præstare, qua nobis quam optime vti, & nostras actiones sine vllo errore dirigere possimus. Denique, nosse & tenere quid in vnaquaque re deceat maxime proprium putatur esse sapientis, atque quibusdam frænis populum in ea quæ concupiuerit, temere ruentem continere.

Ex quibus facile intelligi potest, qui nam sit Philosophi finis, veritatis nimirum cognitio cum honestate coniuncta, beata nimirum vita, qua Deo similis effici-
Aug. tur, cum eoque coniungitur. Quare sapienter, a M. Var-
lib. 10. rone dictum fuit, Nulla est homini alia caussa Philoso-
de ciu. phandi, nisi vt sit beatus. Sed de fine accuratius infra.
Maz. Hūc finem spectando neotericus quidam auctor, Philosophiæ formam ob oculos philosophari volentium hac verborum circumscriptione posuit. Philosophia est habitus veritatis scibilium & agibilium in homine instructo, lumine naturali ortus, vel propter inspectionem, vel propter effectionem veritatis. Quam
8. Met. descriptionem explicando, ait datam esse per om-
t. 15. in nes caussas, iuxta doctrinam de recte definiendo ab
proœ. d Aristotele traditam. Pro forma ponitur habitus, cum
ani. non sit potentia, vel affectio, sed habitus quo inspici-
2. post. tur veritas, quę particula ponitur loco differentiæ, vt habitus loco generis, sicuti pro materia dicitur, scibiliū & agibilium, quæ sunt materia in qua Philosophia versatur & veluti obiecta relata ad habitum. Dicitur, in homine instructo, quia necessaria est pædia & purgatio ad suscipiendam Philosophiam: quibus verbis designatur materia in qua, mens nimirum ad philosophandum

dum idonea. Dicitur, lumine naturali ortus, vt indicetur caussa efficiens, & vt distinguatur a Theologia christiana, quæ oritur ex lumine supernaturali; quod non est contra naturæ lumen, vt perperam aliqui putarunt. Denique finalis caussa ostenditur, aliis verbis, in quibus vtriusque partis Philosophiæ, hoc est cognoscentis & agentis finis designatur. Rober. Olchot.

ATQVE ex iis quæ hucusque diximus, optime intelligi potest, quid Philosophiæ sapientiæve nomine intelligendum sit, non nuda mentis agitatio, & quasi ingenii vigilia, quæ si sit a virtute, & innocentia disiuncta, non tam sapientia, quam stultitia, vel potius malitia nominanda est; sed eadem cum prudentia & iustitia consociata; ita vt vtraque hominis pars, ratio nimirum & voluntas sit absoluta. Nam qui rationem scientiis excoluere, & voluntatem vitiis habent deprauatam, hi non homines, sed monstra quædam sunt, & talis notitia non Philosophia, sed Pseudosophia vocanda est; qua qui sunt affecti, aut potius infecti, Sophistæ, de quibus nunc dicemus, nominantur. Vt ergo adhuc Philosophiæ, atque Philosophi vera exprimatur forma, de doctrina Sophistica atq; Sophistis sequenti capite aliquid dicemus.

De Sophistarum nomine, natura, & moribus, & qui vere dicantur Sophistæ. Cap. V.

EA est rerum mutabilium vis atque natura, vt nihil earum sit tam stabile atque sincerum, quod interdum a suo genere, aliqua saltem parte, non desciscat, & in aliud non migret: idque eo fit facilius, quo plures dotes ad rem quampiam conficiendam sunt necessariæ. Hinc est, vt fructuosa sterilia, & vrbana syluestria euadât, & homines, vt ita dicam, obbrutescant, & in omni rerum dictarum genere varia exoriantur monstra. Quare, mirum videri haudquaquam debet, si in Philosophia humanę

nitæ

vitæ cultrice, extorta est quædam Philosophandi ratio syluestris, infructuosa, & monstruosa, quam antiqui scriptores Sophisticam appellarunt, atque quoddam Philosophorum genus quod ab iisdem sophisticum nūcupatum fuit; de quo hoc loco nos aliquid scripturi sumus, breuiter tamen pro nostro instituto; cum hoc tēpore corrupta philosophandi ratio non ita vigeat, ut olim, apud Græcos præsertim, uigebat: unde Philoso-
In Protag. & Soph. phia maximas calumnias & detrimenta perpessa est maxima. Sophisticæ artis formam ornate atque copiose olim Plato, ut uerus Philosophus, suis scriptis effinxit, Sophistarumque deprauatas uiuendi rationes insectatus est: ex quo omnia fere quę nos dicemus, erunt deprompta.

Et ut ab ipso nomine quod uarias significationes habet, auspicemur, hoc nomen Sophista olim honestam habebat significationem, & idem valebat, quod Sophos, hoc est sapiens: in qua significatione hanc uocem
Lib. 1. de nat. Deor. accepit M. Tullius, cum Protagoram Abderitem Sophistem maximum appellauit. Deinde, hoc nomen, ut aliqui adnotarunt, idem ualet quod imitator, & æmu-
Lamb. Ficin. lator; ita ut Sophistes is dicatur, qui alium æmulari conatur: & quia ęmulatorum alii boni, alii mali sunt; hinc factum est, ut ij speciatim appellati sint Sophistæ, qui perperam æmulantur, qui artem aliquam exercendo bonos artifices non imitantur, nec artis uerum exemplar assequuntur: quorum etiam opera, sophistica, hoc
Suid. est, non uera, sed ementita & ficta dicuntur. Quare, qui alchimia delectantur, cum male naturam in auro conficiendo imitentur, sophistæ, & eorū aurum sophisticum potest appellari. Vnde factum est, ut hoc nomen abierit in inuidiam. Præterea, apud veros Philosophos, hoc nomen speciatim designat eum qui praue philosophatur, nec uere Philosophiæ, sed pseudosophiæ est studiosus: & de hoc Sophista nos priuatim acturi sumus. Iam uero, apud Rhetores is dicitur Sophista, qui non solidam eloquentiam, sed adumbratam quandam

eloquen-

eloquentiæ formam ſectatur: qui non a ſapientia, ſed a uerborum profluentia dicendi rationem petendam eſſe existimat: qui non in rebus cognoſcendis, ſed in uocibus componendis præcipuam eloquentiæ uim poſitam eſſe putat, ac proinde Sophiſtæ Logodedali nũcupari ſolent, quod ſolum uerborum floſculos conſectentur, & ſapientiam, ueræ eloquentiæ parentem, penitus omittant, ut alio loco plenius docuimus. Denique, hoc nomen traduci ſolet ad deſignandos omnes eos, qui peruerſe artem aliquam diſciplinamve tractant.

Lib. 1. de Arte dic. dip. 1.

In lib. de eloq. orat. De arte dicen.

SOPHISTAM hunc in modum deſcripſit Suidas, Sophiſta eſt omnis artifex, & qui eloquentiam exercet, & qui in uerbis calumniatur, atque fallacijs. Tullius vero hoc pacto, Sophiſta eſt is qui oſtentationis atque quæſtus gratia philoſophatur. Plato etiam varijs deſcriptionibus Sophiſtam Philoſophiæque corruptorem pinxit, quas nos ſummatim referemus. Eſt ergo Sophiſta ex Platonis ſententia, mercenarius, venator iuuenum & diuitum: mercator quidam circa animi doctrinas; dum eas vendit, emitque: caupo circa hæc eadem, quia partim quæ ipſe inuenit, partim quæ ab alijs accepit commutat: artificioſus circa ſermones litigator, & certator: præſtigiator & imitator quidam, non tamen bonus. Denique dialogum concludendo his verbis Sophiſtam delineauit, Sophiſta eſt is, qui in ſermonibus diſputantem cogit contradicere ſibiipſi, qui & hironici pars eſt ab imitatore opinioſo veniens, phantaſtici item generis, ab imaginaria facultate profluens, non diuinæ, ſed humanæ determinata progenies, ex eorumq; numero, qui verbis, quaſi quibuſdam præſtigijs mirum in modum decipiunt auditores: cuius deſcriptionis explicatio, ex ijs quæ Plato ſcribit, petenda eſt. Sophiſticam vero artem his verbis expreſſit, Sophiſtica hominum priuata captura ob numorum mercedem, iuuenum & diuitũ opinione virtutis & diſciplinæ irretitio.

Lib. 1. Acad.

ERANT igitur olim Sophiſtæ, vt ex Platone diſcimus, genus quoddam Philoſophorum, & doctrina &

moribus corruptum: doctrina quidem, quia vel falsa, vel inutilia docebant, & ea se docere profitebãtur, quę ignorabant: moribus vero, quia iactabundi, gloriosi, temerarij, auari, fallaces & iuuẽtutis corruptores erãt.

VBI nota, quod sicuti Deus vt verius & bonus, est omnium quę vere sunt effector, Dæmon uero ut malus & mendax, operum Dei falsus imitatur; ita qui recte philosophatur, est uerus Dei imitator, qui uero corrupte & simulate sapientiam quęrit, est uerus Dęmonis ęmulator: ac proinde, ille a Platone sapiens, hic Sophista nominatur. Atq; ex his intelligere licet, quãtum Philos. a Sophista distet. Ille est Dei imitator, hic Dæmonis æmulatur: ille ueritatis amator, hic falsitatis studiosus: ille honestæ uitæ cultor, hic morum deprauator: ille se aliosque honeste instituit, hic se & alios corrumpit: ille a sensibus mentem auocat, hic a sensuum illecebris se trahi sinit: ille ueris rationibus nititur, hic falsis utitur: ille ciuitatibus salutaris, & ideo retinendus ac fouendus, hic uero perniciosus, ac proinde penitus explodendus: ille ueritatis diuinę splendore circumdatus, hic errorum tenebris septus, quamuis lucem quandam prę se ferat, ac proinde cauendus,
2. Cor. 11. cum a patre suo edoctus, transfiguret se in Angelum lucis, & ouis ueste tectus in medium prodeat. Ideo sa-
Mat. 7. pienter monebat Plato, ut similitudinem caueremus. Quam cautionem expressius nobis a cœleste magistro datam, si nonnulli populi olim pietate & religione illustres obseruassent, nunquam a nouis Sophistis sub pellibus ouium se intrudentibus decepti fuissent. Isti namque sunt uere Sophistæ, cum in eos tota Sophistę ratio, omnes Sophistarum causæ proprietates, & effectus omnes cadant; cum sint Dęmonis æmulatores, ueritatis deprauatores, populorum corruptores, uoluptatum sectatores: isti phanaticis rationibus utuntur, isti ciuitatibus perniciem afferunt: isti tanquam lupi rapaces, sub ouina pelle in dominicum gregem irruunt. Isti, inquam, ueri sophistę, qui Sophisticę loquuntur, & uera

discerendi

discerendi ratione,quam ignorant,abutuntur: non illi quos ipsi,Sophistarum more,qui ueris rationibus destituti,ad maledicta confugiunr, Sophistas uocant:cum hoc nomine notandus non sit is, qui puram & a maioribus traditam doctrinam seruat, atque tuetur. Sed quid mirum,si illi quibus ignoratio oculos effodit,quibus Sophistę odiosum nomē cōueniat, uidere nō potuerint?Sed his omissis,ad nostrum institutū reuertamur. Lib. 4. t. 5.

AD extremum, de Sophistica illud addiderim, quod Aristoteles in Metaphysicis scriptum reliquit, Sophisticam,quam apparentem uocat sapientiam, dialecticam,& Philosophiam,eandem subire figuram,quia versantur circa idem genus, nimirum circa ens, quod est omnibus commune. Verum,Philosophia ab vtraque differt,a Dialectica modo potestatis, hoc est, facultatis quia non eadem est vtriusque vis in demonstrando: a Sophistica electione vitæ, quia Philosophus refert vitam suam ad cognitionem veritatis, Sophista vero, ad cognitionem apparentem. Rursus dialectica est tentatiua, de quibus Philosophia est cognitiua: Sophistica vero apparens,existens vero minime,hoc est cognoscere & probare uidetur, sed non uere. Plat. in soph. D. Tho. hoc loco.

SED peteret hoc loco quispiam, an Philosophus debeat noscere Sophisticam?cui respōderem cum Aristotele,ei esse necessariam,non ut ipsa utatur, quia non est sapientis mentiri, quidquid aliqui minus sapienter dixerint, sed ut mētiētē detegere & redarguere queat. Lib. 1. elem. c. 2.

De materia Philosophiæ subiecta, eiusdemque fine,
Cap. V I.



VT quod in postrema proximi capitis parte diximus, & ut adhuc liquidius Philosophiæ natura intelligi possit, de eius materia, ac fine aliquid speciatim scribendum duximus: quamuis ex ijs quæ scripsimus utrumque aliqua parte,sit explicatum. Quod igitur ad materiam attinet,

alij ipſum ens, ſiue res omnes Philoſophiæ ſubijciunt; alij res diuinas, atque humanas: per diuinas, res æternas & immortales intelligunt, per humanas ea quæ ſunt mutationi obnoxia: alii ſolum ea quæ cogitatione attinguntur: alii uero, quæ ſub actionem cadunt, & moribus continentur. Denique, non defuerunt, qui etiam artes quaſdam, quas liberales uocant, ei ſubiectas eſſe exiſtimarunt.

SED hoc loco duę exoriuntur dubitationes: altera, quomodo uere a Philoſophis dicatur, Philoſophiæ materiam eſſe ipſum ens, ſiue res omnes, cum hoc ſubiectum uni parti Philoſophiæ quam Primam Philoſophiam, Metaphyſicam, Theologiamque uocant, ab omnibus tribuatur; cum pars non ita late pateant, atque totum. Altera, quomodo uerum ſit id, quod ſupra ex Ariſtotele dicebamus, Philoſophiã, Dialecticam, & Sophiſticam uerſari in eadem materia, cum ſint facultatès omnino diuerſæ.

VT priori ſatisfiat difficultati, animaduertendum eſt, appellatione Philoſophiæ, ut ſupra docuimus, non intelligi unam quandam definitam doctrinam artemue, ſed cumulum earum omnium facultatum, quæ ex ſe primo & proxime conferunt ad hominem, ut homo eſt, perficiendum, atque beandum; in quarum uſu & exercitatione uita conſiſtit beata. Quare, non quæcunque cuiuſcunque rei notitia, atque tractatio Philoſophiam conficit, ſed præclararũ, & ad beate uiuendum neceſſariarum; non rerum ſingularium, ſed uniuerſarum, earum inquam, quæ encyclopædia continentur. Et hinc fit ut Philoſophiæ omnes res dicãtur eſſe ſubiectæ, quia includit omnium bonarum artium modo iam dicto cumulum: quæ artes de rebus diuerſis ſub diuerſa ratione agunt. At uero Metaphyſica, ſeu prima Philoſophia habet pro ſubiecto ens, non ſub quacunque priuata ratione, ſed uniuerſe, prout rerum rationes, attributiones, cauſſaſque communes tractat, quas priuatim aliæ Philoſophiæ partes conſiderant;

ut

ut planius infra alio dicetur loco. Patet igitur qua ratione ad primam dubitationem respondendum sit.

De secunda, ideo illæ tres disciplinæ res omnes tractare dicuntur, quod nullius sint determinati generis, ut de Metaphysica, & Dialectica Aristoteles non uno in loco docet, & loco supra citato de sophistica: sed tamen, non eodem modo, in eodem genere uersantur. Etenim prima Philosophia ea tractat, quæ per se conueniunt rebus, & rationibus necessariis utitur: Dialectica, & Sophistica accidentia, & quæ extra rem sunt, considerant, sed illa probabilibus utitur rationibus, hæc uero apparentibus & captiosis. En igitur, quomodo hæ tres facultates eandem subiectam habent materiam, & tamen sunt inter se diuersæ.

Lib. 1. post. Lib. 1. Rhet. c. 1.

Rursus circa Philosophæ materiam animaduertendum est, ideo auctores interdum aliter sentire, uel inter se discordes uideri, quod nunc unius partis, nimirum speculatiuæ, nunc alterius, hoc est actiuę subiectam materiam assignent. Ideo aliqui dicunt, & recte quidem, Philosophiam tractare res sublimes, æternas, & uniuersas, quarum perpetuus, & uniusmodi est status, ut fere priores Philosophi omnes. Alii uero, Philosophiæ subiecerunt hominum mores, & suam cuiusque uitam, ac rectum atque conuenientem rationis usum; ut fere Stoici omnes, & qui socraticam philosophandi rationem sunt sequuti. Alii denique utramque complexi sunt materiam; & sane is absolutus Philosophus censendus est, utramque qui partem nouit; & recte uiuit: cum sine germanis uirtutibus sapientia, & sine sapientia uirtutes esse non queant: nec is uocandus sit sapiens, qui sibi non sapit. utra autem pars sit fructuosior, infra suo loco dicetur.

Epict. apud Aria. lib. 1. c. 15. & lib. 4. c. 8.

Sed iam de fine dicamus, cuius notitia in omni humana actione est maxime necessaria; cum ab eo omnes recte cognoscendi atque agendi sint metiendæ rationes: quem qui ignorant, & præ oculis non habent, ii omnia temere agunt, & frustra laborant. Finis appella-

Lib. 2. Phys.

tione id intelligitur cuius gratia omnia fiunt; cum ſit quoddam bonum, quo cuiuſque rei natura perficitur; quo adepto, res perfectæ atque beatæ eſſe putantur. Cum ergo Philoſophia, ut ſupra diximus, id profiteatur, ut hominem perfectum atque beatum reddat, is eius eſſe dicetur finis, qui eſt hominis. Porro hominis finis duplex eſt, alter naturalis uiribus naturæ accommodatus: alter ſupernaturalis, ad quem, & ſi propenſionem habet naturalem, tamen ſine diuino auxilio ad eum peruenire nequit: nos in præſentia de priore uerba facturi ſumus, poſteriorem Theologis relinquentes.

Aug. de ciu. Cic. in lib. d fin.

Et quamuis in aſſignando hominis fine, tot fere olim extiterint hominnm ſententiæ, quot philoſophantium capita: tamen, qui ad ueritatem proxime acceſſere, eum non in bonis fortunæ, non corporis, ſed animi poſuere: cuius cum duæ ſint partes, quas Philoſophia ſibi perficiendas ſumpſit, intelligentia, & uoluntas, quarum altera, res cognoſcimus, altera honeſte uiuimus; hinc factum eſt, ut in Philoſophiæ fine aſſignando, ſicuti de materia agentes diximus, ſcriptores diſentire uideantur; cum alii pro fine aſſignent ueritatis cognitionem, alii honeſtam uitam; ſed utrique bene, ex quorum tamen complexu unus ultimus atque abſolutus exoritur finis, beata nimirum uita. Verum, ſi hominum priuata ſtudia ſpectemus, cũ alii a rebus ciuilibus ſemoti, ſibi ſolis uiuant, iſti altero tantum fine uidentur eſſe contenti; quorum tamen philoſophandi ratio, cum honeſta uiuendi ratione, ut ſupra docuimus, debet eſſe

Tul. lib. 1. offic.

coniuncta: alii uero, cum ſe ad ſocietatem & communem uitam factos eſſe uideant, alterum uitæ genus, actuoſum nimirum, ſunt amplexi, & non ſolum de ſua, ſed etiam de aliorum felicitate, ſuſcipiunt curam, ac potiſſimum in actione uerſantur; in qua tamen is conuenienter uerſari nequit, qui aliquam rerum notitiam non fuerit conſequutus. Quo fit, ut neuter utriuſque Philoſophiæ partis finis poſſit omnino eſſe ſolitarius, quamuis in uno uitæ genere, magis unus, quam alte

apparcat.

appareat. Atque hinc intelligi licet, cur Aristoteles, vt absolutus Philosoohus duos homini assignauerit fines, vnum in actione positum, qui nihil aliud est, quam operatio secundum virtutem in vita perfecta: alterum in rerum maximarum contemplatione, qua intelligendi vis, quasi quodam nectare pascitur. Lib. 1. & 10. eth. Lib. 1. eth. c. 7.

CONCLVDAMVS igitur, Philosophiæ uniuerse consideratæ vltimum finem, esse efficere vniuersos & singulos homines beatos, quantum per naturæ vires licet, ad quem per ueritatis notitiam, & honestæ uitæ rationes perducit; quo philosophantium omnium oculi, quo connatus omnes debent esse conuersi, ni magis Sophistæ, quam Philosophi, hoc est, diuini numinis ęmulatores esse uolunt; cum is etiam finis Philosophiæ assignari possit, prępotentis Dei æmulatio, atque ad eundem reditus: quem hic cognoscentes amamus, & colimus, ut post hanc uitam, quod etiam nonnulli Philosophi dixerunt, & nos supra diximus, cum eo perpetuo beati esse possimus. A qua ueritate non abhorruit ille, qui cum dixisset, mortem non esse malum, sed bonum potius, hanc reddidit rationem, siquidem uel dij ipsi, uel cum dijs futuri sumus. Ad quem finem ille contendebat, qui hunc in modum de se loquebatur, An non totus me intendo in Deum, eiusque præcepta & iussa meditor, habens semper illa in manibus, atque ipse me in his exerceo. Sed de materia & fine Philosophiæ hucusque. Nunc de eius ortu & efficiente caussa, & qua ratione accepta, aut inuenta fuit, agere aggrediamur. Cic. Tusc. 1. Epict. Arian. lib. 3. c. 24.

De Philosophię ortu atque origine. *Cap. VII.*



NTER ea quæ de Philosophia uniuerse disputari solent, id est, quod nobis hoc capite explicandum proposuimus, ex quonam fonte tantum bonum ad homines dimanarit. De qua re, ut testatum reliquit Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. Stro.

Tacian. & Casſian. Cic. lib. 1. Acad. q. Tert. cōt. gēt. Cyr. lib. 1. cōtra Iul. Tuſc. 3. & 5. Lib. 1. Acad. q. Theod. lib. 4. cō tra Gr. xenoph. Auenr.

drinus, olim a noſtris, ad Græcorum faſtum comprimendum, diligenter diſputatum fuit. Græcia namque, non modo ſe Philoſophię cultricem, ſed etiam auctricem facit: & aliqui, Græcos Philoſophię fontes appellarunt. Vnde Logicę inuentorem nonnulli faciunt Zenonem, eiuſdem perfectorem Platonem & Ariſtotelem: Phyſicæ Thaletem, qui ex ſeptem ſapientibus primus numeratur; cui ſocius datur Anaximander. Ethicæ Socratē, quod præter alios uarijs in locis teſtatum reliquit M. Tullius, ut cum ſcripſit, Socrates, mihi uidetur, id quod conſtat inter omnes, primus a rebus occultis & ab ipſa natura inuolutis, in quibus omnes ante eū Philoſophi occupati fuerunt, auocaſſe Philoſophiā, & ad uitam cōmunem adduxiſſe, & quæ apud ipſum ſequuntur. At vero alij Logicæ, Phyſiologiæ, & Metaphyſicæ auctorem faciunt Ariſtotelem; tum quia alij parum quid dixerant, tum quia omnia quæ Ariſtoteles dixit, ſunt uera: ſed tamen neutrum eſt verum. Alij denique, quorum veriſſima eſt ſententia, affirmant Philoſophiam, prius fuiſſe apud Barbaros, qua voce Græci deſignant cæteros populos, ſe exceptis.

De hac difficultate legendus eſt Theodoretus contra Græcos, Euſebius libro decimo de præparatione, Ioſephus libro primo contra Apionem, Franciſcus Patritius libro ſecundo de rep. Annius Viterbienſis in annotationibus in ſuum Beroſium: Franciſcus Georgius initio canticorum, & vt alios omittam, Auguſtinus Steuchus libro ſecundo de perenni Philoſophia. Nos quid de re propoſita ſentiendum ſit, quibuſdam poſitionibus ſtatuemus,

Tit. 7. cap. 2.

Prima poſitio, Philoſophæ primi auctores ſiue cultores, non fuerunt Græci, ſed Barbari, quos illi pro magiſtris agnoſcere hac in parte debent. Primo probatur hæc poſitio auctoritate ipſorummet Græcorū: id expreſſe colligitur ex Philebo, Phœdro, Timeo, Cratylo, Epinomide, & Sympoſio Platonis: & ſpeciatim ex hac ſentētia a quodam Barbaro coram Solone homine

Alcib. 1.

Græco

Græco pronuntiata, quã Plato refert, O Solon, Solon, vos quidem Græci pueri semper estis: senex autem Græcorum, nemo. Nulla est.n.apud uos disciplina, quæ senio incanuerit. Aristoteles scriptum reliquit, quosdam Græcos Philosophos adijsse exteras nationes discendi gratia. Porphyrius Christianorum acerrimus hostis, eandem veritatem confessus est, vt ex Theodoreto discimus. Aristarcus Peripateticus, lib. de somno testatur, Aristotelem multa & egregia a quodam Hebræo didicisse. Accedat etiam Diodorus Siculus, qui Græcos ab alijs scientias accepisse scribit.

Lib. 1. Meta. Lib. 1. cont. græc. Lib. 2. de gest. Aegyp.

SECVNDO, idem confirmatur auctoritate nostrorum, qui hac de re aduersus Græcos scribendo, quod nos posuimus, docent. Clemens Alexandrinus antiquissimus ac doctissimus pater, hac de re disserendo hæc litteris commendauit. Primum, sapientiam prius fuisse apud Barbaros: Platonem semper plurimi eos fecisse: & postea venisse ad Græcos; quos omnes artes ab aliis accepisse ait. Deinde barbaram Philosophiam esse veram, quæ facta, & non verba profitetur, vt Græca facere consueuit; quod vitium etiam Tullius Græcis obiicere solet: & eosdem damnat Anacharsis sententia, qua Grcæos, pueros appellabat. Cyrillus refellendo Iulianum, qui græcam Philosophiam christianæ doctrinæ præferebat, docet apud omnes nationes, fuisse viros sapientes. Rursus, eandem Iuliani iactantiam reprimendo ait, Geometriam ab Aegyptiis, & Arithmeticã a Phœnicibus fuisse inuentam. Huc etiã facit quod de quodam scribitur, qui cum aueret scire, quæ nationes adeptæ fuissent sapientiam, adiuit Apollinem Pythium, a quo tale responsum accepit.

Lib. 4. Lib. 5.

Soli Chaldæi sapientiam sortiti sunt, atque Hebræi,
Per se genitum regem ipsorum Deorum colentes.

THEODORETVS inter alias Græcorum affectiones hanc etiam curare conatus est, qui late probat Græcos ab alijs didicisse, & a multis nationibus ingenio doctrina, & prudentia eos superatos fuisse, & hanc

Lib. 5. de cur.

Anachar-

Ancharsis Scythæ in Græcos sententiam refert: *ἐμοὶ πάντες ἕλληνες σκοθίζουσι*, ideſt, Mihi omnes Græci ſcythizant. Denique, idem in ſuo admonitorio docuit Iuſtinus Martyr, & Philoſophus.

TERTIO, eadem veritas confirmatur ex eo, quod qui habiti ſunt ſapientes, maiore ex parte, fuerunt Barbari: Anacharſis Scytha, Thales Phœnix, Pherecides Syrus, Orpheus Trax, Mercurius Aegyptius, Zoroaſter Perſa, Atlas Lybicus, Beroſius Chaldæus, qui docuit Athenis diſciplinas, cui Athenienſes auream ſtatuam poſuere: Empedocles Agrigentinus, Agragas autem eſt in Sicilia, Zamolxis Trax, & Timæus Locrenſis: & vt ſupra diximus, omnes fere nationes ſuos habuere ſapientes, Perſia Magos, India Gymnoſophiſtas Gallia Druidas, Italia Cimerios & Pythagoreos. Vbi illud adnotauerim, non propterea aliquem ſcriptorem putandum eſſe natione Græcum, quod græce ſcripſerit; cum olim per nonnulla tempora lingua græca, apud orientis ſolis populos valde communis fuerit.

QVARTO, optima ſumitur ratio ex eo, quod poſt diluuium primi homines habitarunt in Meſopotamia, & Chaldæa, qui poſtea ad alias regiones migrarut; & ita qui primo in Græciam venerunt, ſecum rerum diuinarum & humanarum doctrinam, quæ prius apud Chaldæos & Phœnices fuit, portarunt.

QVINCTO, bona etiam ſumitur ratio ex eo, quod illi qui apud Græcos pro Philoſophiæ auctoribus habentur, ad alias nationes ſapientiæ comparandæ gratia ſe contulerunt. Pythagoras, qui, vt quidam volunt, fuit genere ſamius, & cuiuſdam Hebræi diſcipulus, multos annos fuit apud Aegyptios, & vt ei eſſe liceret, vt Clemens Alexandrinus & Ambroſius ſcribunt, circumcidi voluit; ex cuius doctrina Socrates, & Plato, qui aeum ſe in Italiam contulit, multa hauſere: & ideo Socrates pro vnius Dei veritate ab eo cognita mortem perpeſſus eſt. Idem, non ſolum Aegyptum luſtrauit, ſed etiam Perſarum Magos adijt, aliaſque barbarorum regiones

Cic. lib. 5. d. fin.

peditus

pedibus obijt. Orpheus etiam in Aegyptum profectus est, vbi didicit vnum esse Deum, & eorum quæ prius docuerat palinodiam cecinit, idque Musæum docuit. Ideo in argonauta de se cecinit.

Ioan. Franc. Pic. lib. 1. c. 20.

Aegyptique sacra omni sum regione vagatus.
Illustrem Memphim, sacrasque accessimus vrbes
Apidis, has ingens Nili præterfluit annis.

Eodem etiam, eiusdem rei caussa, se contulerunt Thales, & Democritus.

DENIQVE, idem probari euidenter potest, quod Græcorum scripta ægyptiacam & hebraicam redolent doctrinam: vnde & sermo & literæ manarunt. Hinc Pythagoras sua deprompsit symbola: hinc Homerus, quæ tam alte cecinit: hinc Plato suas ideas, suos hortos; illas ex forma tabernaculi a Deo Mosi indicata, hos ex canticis Salomonis: &, si Numenio Pythagoræo, & Iustino martyri credimus, nihil aliud est Plato, quam Moses attice disserens: vnde meliora dogmata sumpsit, quæ, ob Areopagi metum fabulis obtexit, & aliqua parte, Aegyptiorum tenebris inuolutus, corrupit. Vnde aliquando vere dixit, Græcos a Barbaris didicisse, sed quod subiecit, false, sed ab eis accepta meliora fecisse. Quæ Plato a sacris libris sumpsit, late, præter alios, notauit Leo a Castro in suis commentarijs in Isaiam; vt veritatem de vno Deo, de rerum creatione, de prouidentia, de finibus bonorum & malorum, de animorum immortalitate, & alia multa. Sunt etiam qui scribunt, eum fuisse edoctum ab Ieremia, quod non facile crediderim, & mosaica legisse.

In Epino.

Ambr. Cap. 40 Mazon. August. Fran. Geor.

QVOD si obijcias, eo tempore græcos non potuisse consulere sacros libros, cum non dum fuissent in græcum sermonem conuersi, Respondeo, non fuisse versos versione illa celebratissima, facta per Septuaginta interpretes, tempore Ptolomæi Philadelphi, sed vt Aristobulus & Eusebius scripserunt, erat quædam minus perfecta versio: & ita non solum magistros & interpretes audire, sed etiam ipsos libros videre potuerunt.

Aug. 8. de ciuit.

SECVN-

SECVNDA positio, græci didicerunt Philosophiam ab externis, & maxime ab Aegyptijs, a Chaldæis, & ab Hebræis. Patet hæc positio ex ijs quæ diximus: quam ex Porphyrio probat Theodoretus: & eandem confirmat auctoritas Diodori Siculi, de gestis Aegyptiorum: ac etiam Cyrilli, libro primo contra Iulianum: vbi ait, melius sensisse eos qui fuerunt apud Aegyptios; vt qui non tam turbidum habuerunt mentis oculum; quos propterea strabos vocat.

TERTIA positio, omnes Philosophi, qui magis ad veritatem accesserunt, & maiora quædam docuerunt, siue Græci, siue Chaldæi, siue Aegyptij fuerint, ea a diuinis literis, vel ab Hæbreis, vel a primis hominibus, theodidactis, hoc est a Deo edoctis, acceperunt. Hanc positionem probant nonnullæ auctoritates supra citatæ, & speciatim Cyrilli, qui ideo ait melius sensisse eos, qui in Aegypto fuerunt, præsertim de rebus diuinis, quod Mosaica legerint: & de Trismegisto ait, semper docuisse quæ sunt Mosis, sed non irreprehensibiliter. Et sane, quæ de rebus diuinis iste auctor scripsit, & Plato itidem, vt alios missos faciam, nunquam solis naturæ viribus attingere potuissent. Quare, si homines solis naturæ præsidijs de rebus diuinis, de mũdi origine, deque eiusdem administratione, disseruissent, in multo grauiores errores incidissent, & non melius philosophati essent, quam nunc Synenses, Iaponij, & alij quidam populi nunc philosophentur: qui pessime de rebus similibus sentiunt. Dyodorus Siculus scriptum reliquit, Philosophos e sacris libris sumpsisse: idem ex Porphyrio, & Numenio late probat Theodoretus. Clemens Alexandrinus refert Aristobulum docuisse Platonem, & hunc Mosis scripta legisse; atque illud quod Dominus apud Ioannem dixit, Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, intelligendum esse de Philosophis, qui ex diuinis libris doctrinam furati sunt. Denique, quis poetarum, quis sophistarum, ait Tertullianus, qui non omnino de Prophetarum fonte potauerit? & paullo

Ioan. Pet. Maf. lib. 1. contra Græc. lib. 1. Stro. Ioan. 10. Lib. contra Gét.

lo post, vetus instrumentum ingenia Philosophorum interuertunt. Et quod attinet ad artem Rethoricam, eam inde sumere potuisse, is intelliget, qui nostros leget de Oratore diuino libros: in quibus vniuersam dicendi artem plenissime docuimus, quam tamen totam ex sacris libris deprompsimus. Nec defuerunt qui scripserint, Gallos prius habuisse scientias, easque coluisse, quam Græcos, & hos ab illis accepisse: ideo quidam cecinit. Caſsiod. Ioan. Picar. Iulius Cels.

Gallia doctrinæ genitrix, tu prima probasti,
Quidquid mendaci Græcia voce refert.

ATQVI aliquis verius diceret, omnes artes & disciplinas prius fuisse apud Italos, qui a suo parente Iapeto, optimo Nochi filio, & religionem, veramque sapientiam, quam ipse conseruauerat, ac etiam primum primi Parentis sermonem acceperunt. Hinc Cimeriorum & Tuscorum disciplinæ. Hic enim est Cadmus ille, cui litterarum & scientiarum tribuitur inuentio: vt alio loco scripsi: vbi plane filiorum Nochi in omnes mundi partes progressiones demonstraui.

QVARTA positio, Philosophia, & præstantiores atque magis necessariæ disciplinæ & artes, ab Adamo, cui diuinitus a Deo traditæ fuere, per manus traditionem, ad posteros dimanarunt. Quod primo parenti omnium naturalium scientiarum habitus fuerint diuinitus infusi, non modo ex diuinis literis colligitur, quæ plane docent Deum fecisse hominem perfectum, idque omnes Theologi confitentur, sed etiam hæc ratio confirmat; Quia nō erat consentaneum, vt opus ab optimo artifice fabricatum, esset mens nuda, informis, & tanquam tabula sine vllis rerum imaginibus. Neque debuit homo in ætate perfecta fabricatus, tanquam imperfectus puer, rerum notitiam sibi de nouo cōparare: nec proprijs laboribus innatæ appetitionis sciendi famem explere, qui cibum ad corpus sustentandum habebat in promptu. Illud etiam argumento esse potest, quod statim a creatione, nomina imposuit animalibus, quod sane Eccs. 7. Ecci. 17.

ne munus hominis est sapientis. In summa, cum Deus nonnullas artes hominibus reuelauerit vt sacra pagina testatur, cur etiam homini a se formato sapientiam humanæ naturæ maxime propriam non donauerit? Concludamus igitur, eum qui futurus erat per multa sæcula omnium hominum & populorum magister & princeps, a primo magistro & Principe omnium scientiarum genere fuisse dotatum. Quod autem ipse posteris quam accepit diuinitus sapientiam tradiderit, quis dubitare audeat? idque factũ fuisse ex diuinis literis haud obscure colligitur. Huc facit id quod nonnulli referunt, filios Noe ante diluuium omnes artes liberales incidisse in quattuordecim columnis, & septem æneis, ne aqua perirent, & in septẽ lateritijs, ne igne absumerentur; cum mundum esse euertendum scirent.

Metasten. lib. 3. Iud. rerum.

Annius annot. Beros.

QVINCTA positio, græca Philosophia, hoc est doctrina quæ tradita est a scriptoribus Græcis, semper male audiuit. Quod hoc loco affirmo, vniuerse intelligi volo; neq; enim quosdã bonos auctores damno, qui tamen, quod boni habent, aliunde accepere. Quod autem a nobis positum est, sit verum, patet primum ex illa sententia in Solonem pronunciata, quam supra recensuimus. Deinde, quia in Græcia potissimum abundarunt Sophistæ, qui doctrinæ puritatem contaminabant. Postea, idem docet Diodorus Siculus, qui de græcanica philosophandi ratione ita scribit, Græci vero lucri gratia nouis semper opinionibus incumbentes, deque maximis disciplinis inter se altercantes discipulos reddũt, animumque eorum per omnem vitam dubium, nulla certa sententia, errare compellunt. M. Cato, cuius auctoritas vt viri doctissimi & spectatissimi maximi fieri debet, aiebat, Tunc fore, vt Romani corrumperentur, cum ad eos Græcorum litteræ deuenirent, & Hetruscos abstinuisse a litteris latinis, quia græcas horrebant. Eosdem etiam damnat, quod iactent se tanquam Italiæ parentes: cum tamen aureo sæculo, sub Iano a gente phœnicia, vel potius a Iano Nochi filio, ortum habuerit.

Iust. in admon.

Lib. 3. de gest. Aegyp.

Lib. de Origin.

rit. Huc pertinet quod aliqui ſcribunt, olim Græcos omnes cenſuiſſe hominum animos eſſe mortales; & idcirco Getas finitimos, per ludibirium, Atanatizondas vocabant; quaſi eorum eſſet proprium animorum æternitatem credere. Lege Theodoretum libro quincto, vbi, non modo Græcorum Philoſophandi rationem damnat, ſed etiam Romanos prudentiores, & argutiores in rebus inueniendis eſſe docet: vt M. Tullius uere non vno loco dixerit, Græcos verbis, Romanos vero reipſa philoſophari, apud quos tamen fuerunt Philoſophi non ignobiles. Pro Cælio.

SEXTA poſitio, quamuis Græcia non fuerit Philoſophiæ inuentrix: tamen Philaſophia non parum Græciæ debet, cum per multos annos ab ea culta, & litteris conſignata fuerit; ita vt, eius cura ad poſteros dimanare potuerit. Cæterum, ſi aliorum populorum ſcripta ad nos perueniſſent, non tantum Græcis deberemus, vt ſane debemus. Sed quid, ſi nō minus Latinis, quam Græcis Philoſophiam debere dixerit quiſpiam? Cum non ſolum olim eam Latini coluerint, quamuis quibuſdam temporibus minus accurate, quam Græci, ſed etiam, cum ex Græcia migrare cæpit, vbi ab hinc multa annorum ſæcula nullum habet domicilium, ab eiſdem hoſpitio excepta, ciuitate donata, in honore conſeruata, aucta, illuſtrata, & ad nouas nationes ſuis litteris etiam propagata fuerit. Factum itaque eſt id, quod Tullius optabat, vt langueſcenti Græciæ huius generis laus eriperetur, & in Vrbem perferretur. Tuſ. 2.

Ex hac noſtra diſputatione, eum fructum percipi velim, tanti boni, hoc eſt ſapientiæ, auctorem agnoſcendũ eſſe Deum; cum non modo ex primo parente, & ex alijs quibuſdam, quibus ipſe rerum maximarum & cœleſtium, ſicuti & multarum artium doctrinam reuelauit, ſed etiam ex ſacris libris ſuo ſpiritu dictatis, quidquid eſt boni in humana ſapiétia, ad nos dimanauerit. Plat. Cic.

QVOD autem in ea aliquando fuit mendi, id totum irrepſit, cum ob temporum iniuriam ſynceræ ſa-

pientiæ

pientiæ traditio fuit interrupta, & cum homines ſolo naturæ lumine, relictis antiquorum decretis, philoſophari cæperunt: cum tamen in rebus quæ noſtros ſenſus fugiunt, & ab humana intelligentia ſunt remotæ, nõ minus antiquitati, quam rationibus ſit tribuendum, vt aliquando, præter alios, vere docuit Ariſtoteles: quod præceptum, ſi ipſe ſeruaſset, puriorem nobis Philoſophiam tradidiſſet, nec ſolo naturæ lumine fidendum eſſe crediſiſſet: cum id ſit ueriſſimum, quod ipſe aliquando pronuntiauit, Intellectum noſtrũ ad res æternas atque diuinas, non ſecus ſe habere, atque noctuæ oculus ad lumen ſolis habet.

In lib. de cœlo.

Lib. 2. Met.

QVO loco illud adnotauerim, per tres tantum homines eam ſapientiam quam primo parenti Deus donauit, eamque rerum notitiam quam primi homines a Deo edocti habuere, nimirum per Adamum, Nochum, & Abrahamum, per duo annorum millia, traditione conſeruari potuiſſe. Cæterum, vt dicebam, temporum iniuria interrupta eſt, & humana ratione potiſſimum cæptum eſt philoſophari.

QVOD autem bona Philoſophia diu apud aliquos præſertim populos conſeruata fuerit, ex eo colligitur, quod in Iobi libro, omnium librorum antiquiſſimo, diuerſi homines de rebus ad omnes Philoſophiæ partes pertinentibus optime diſputant: quod ſane facere non potuiſſent, niſi bona Philoſophia inſtructi fuiſſent: ex quo libro, vt alibi ſcripſi, omnis recte diſſerendi, beneque dicendi doctrina colligi poſſet. Concludamus igitur, nullius partis Philoſophiæ, non Logicæ, non Phyſicæ, non Metaphyſicæ, non Aſtrologiæ, non Moralis prudentiæ auctores fuiſſe Græcos, quos ideo Cicero appellauit fontes, quia nullos alios ſuperiores & antiquiores ſcriptores nouerat: qui tamen, meliores Græcos ad alios fontes ſe contuliſſe, plane teſtatum reliquit, ſed iam ſit huic difficultati finis.

Lib. de orat. diuino.

Lib. 5. de fin.

Qua

Qua ratione humana Philoſophia ab hominibus inuenta fuerit, Cap. VIII.



T ex diuinis oraculis diſcimus, Deum primum parentem diuinarum humanarumque rerum notitia, quam ſapientiam appellamus, dotaſſe; ita ex eiſdem cognoſcimus talem ab eodem hominum generi fuiſſe naturam tributam, vt per ſe eandem doctrinam, licet non ita perfecte, ſed quantum ei ſatis eſſet, ſibi comparare potuiſſe. Iſta namque doctrina futura erat veluti hominum magiſtra in lege naturæ, apud eos præſertim homines, qui nihil diuinitus fuere eruditi: cuius beneficio in omniũ rerum fabricatorem & procuratorem, quem colerent, venire, atque etiam per inſita rationi lumina cõuenienter naturæ viuere debebant. Quam veritatem plane explicatam, & demonſtratam, qui videre volet, noſtram Introductionem in ſacram Theologiam legat. Act. 17. Rom. 1. Lib. 2.

HINC fit, vt alium quęrere liceat humanæ ſapientiæ ortum, quem explicandum hoc capite nobis propoſuimus: de quo hæc breuiter attingemus, quę ſint prima Philoſophiæ fundamenta: quo ordine in rerum cognitionem peruentum ſit: quibus inſtrumentis, & demum qua via. Quod igitur ad primum attinet, primum ſapientiæ comparandæ principium eſt maxima illa inclinatio atque ſciendi appetitio, a qua ſuæ Theologiæ, de re in qua nos verſamur acturus, initium cœpit Ariſtoteles, cum dixit, Omnes homines natura ſcire deſiderant. Natura, inquit Tullius, cupiditatem ingenuit homini veri inueniendi; quod facillime apparet, cum vacui curis, etiam quid in cœlo fiat, ſcire auemus. Et alio loco, Tantus igitur eſt innatus in omnibus cognitionis, amor, & ſcientiæ, vt nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura, nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmus ne, vt pueri, ne verberibus quidem a contemplandis rebus, perquirendiſque deterreantur? vt Lib. 2. de fin. Lib. 5. de fin.

Cic. 1. de orat. pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant. Quare, si verum est illud quod Socrates aiebat, quibus id persuasum esset, vt nihil mallent se esse, quam bonos viros, ijs reliquam facilem esse doctrinam, maximum profecto nobis a natura, vel ab eius parente Deo tributum erit philosophandi principium. Vnde recte Epictetus

Arian. lib. 1. c. 29. hominē describēdo dixit, φιλοθεώρον τὸ ζῶον ὁ ἄνθρωπος, idest homo est animal contemplationis veri appetens. At frustra nobis ingenerata esset hæc sciendi cupido, ni ad eam explendam idoneæ datæ fuissent vires, siue instrumenta, vt mens, vt notiones quædam, vt externi, & interni sensus. Et quod ad mentem attinet,

Lib. 2. de fin. homo, ait Tullius, a natura mentem accepit, & acrem, & vigentem, celeremque: multa simul agitantem, & vt ita dicam sagacem: quæ & caussas rerum, & consequutiones, videat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum presentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum. Menti vero quæ est in corpore inclusa, dati sunt sensus tanquam administri, qui rerum species per vniuersum vagantes exciperent, & quasi ianitores, ad intelligentiam per sensus internos traducerent; vt tandem in intellectu, quasi in propria sede conquiescant. Ideo Aristoteles, loco supra citato, eleganter probauit nos

Ioā. Ferrarius Pedemont. esse sciendi cupidos, quod sensum aspectus diligamus, cum per eum plures rerum formæ percipiantur: quamuis auctor quidam hoc, vt minus verum, impugnare conatus sit. Ipsum hominem, ait M. Tullius, eadem na-

Lib. 1. de leg: tura, non solum celeritate mentis donauit, sed etiam sensus satellites attribuit, & nuncios: & rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quædam scientiæ: figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano datam. Nam cum cæteras animantes abiecisset ad pastum solum hominem erexit, & ad cœli, quasi cognitionis domicilijque pristini, conspectum excitauit. Cæterum, non solum his præsidijs bonus nos muniuit Pater, sed etiā

initia quædam,& intelligentias,quas Græci ἐννοίας vocant,nostræ menti indidit, quæ, translate, rationis lumina, igniculi, & naturæ semina vocantur. Ingenuit, Tullius loquitur, sine doctrina notitias paruas rerum maximarum. Nostrum est ad ea principia quæ excepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus effectum. Sine quibus notitijs, vt idem alibi docet, nec intelligi quidquam, nec quæri, disputari ve potest: quas nullo modo falsas esse eleganter demonstrat. Harum autem notionum alia proxime ad actionem, hoc est ad recte vitam degendam referuntur, aliæ vero ad veritatem cognoscendam; de quibus locus proxime citatus intelligendus est; vt de alijs hic alius. Quod si tales nos natura (intellige auctorem naturæ) genuisset, vt eam ipsam intueri,& perspicere, eademque optima vitæ duce cursum vitæ conficere possemus; haud erat sane q; quisquã rationem, ac doctrinam requireret. Nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque deprauatis, sic restinguimus, vt nusquam naturę lumem appareat. sunt.n. ingenijs nostris semina innata virtutum; quæ, si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura per duceret. Indidit ergo Deus semina quædam menti nostræ veritatum omnium, quemadmodum oculo vim ad colores spectandos, sine alijs sensibus, ad obiecta dignoscenda; verorum, inquam, informationes, & anticipationes, non falsorum; cum verum sit omnibus ad cognoscendum expositum, non falsum, a vero verorum opifice. Vnde quæ irrepserunt falsa, non ex naturæ luce, sed ex falsa opinatione & deceptione fluxere, obscuratis iam primis naturæ luminibus errorum & peccatorum tenebris.

Lib. 2. Aca. q.

Lib. 2. Aca. q.

Euseb. orat. de laud. cõstan.

Tusc. 3.

Lud. Vi-ues.

ATQVE ex dictis aliud colligitur humanæ sapientiæ fundamentum, sensuum externorum cognitio; cum vere a Philosopho dictum sit, Nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Et Lucullus apud Ciceronem, ordimur igitur a sensibus: quorum

C 2 ita

ita clara iudicia & certa sunt, vt, si optio naturæ nostrę detur, & ab ea Deus aliquis requirat, contenta ne sit suis integris, incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam quid quęrat amplius. Et paullo infra, Meo autem iudicio, ita est maxima in sensibus veritas, si sani sint, ac valentes, & omnia remoueantur, quæ obstant, & impediunt. Visa itaque obiecta, imprimunt species in sensus, per quos ad intelligentiam perueniunt, quam suis formis signant atque figurant. Vbi vero rerum imagines extrinsecus in animos nostros per corpus irruperunt, ex rerum magnitudine nascitur admiratio, cum eorum quæ cernimus caussas ignoremus; & ideo aliqui Philosophiæ principium in scientiam esse dixerunt, alij vero admirationem, & vtrique bene, cum non admiretur nisi is qui ignorat, & qui admiratur, ad caussæ ignoratæ inquisitionem sese cõuertit. En igitur prima humanæ sapientiæ fundamenta atque initia, Ad cognoscendum innata propensio, insitæ notiones, mens, sensuum organa, rerum species in animum ingredientes, & admiratio.

Arist. lib. 2. de ani. Cicero lib. de Facto. Cic. 1. de nat. deor. Arist. 1. met. c. 2. Plato in Theet.

SED iam de secundo dicamus, hoc est de ordine atque progressu nostræ scientiæ, cuius facilis est explicatio ex ijs quæ diximus. Primum igitur nouam de re aliqua notitiam mendicamus a sensibus; ac proinde qui aliquo sensu est orbatus, id non potest percipere, quod sub illum cadit: vnde dici solet, Cæcus non iudicat de colore. Ex varijs sensationibus phantasiæ beneficio exoritur memoria, quæ cum in homine sit cum auditu coniuncta, eum reddit capacem doctrinæ, non solum per propriam inuentionem & prudentiam adeptæ, sed etiam per disciplinam ab alijs acceptæ. Ex varijs memorijs gignitur experimentum, quod fit ex collatione plurium singularium in memoria receptorum. Quæ collatio est homini propria, & ad rationem particularem quæ cogitatiua, græce διάνοια nominatur pertinet, qua censentur res singulæ, sicuti intelligentia res vniuersę. Et quia ex multis sensibus, & ex memoria,

Arist. lib. 1. Met. c. 1

animalia

animalia ad aliquid prosequendum, vel vitandum consuescere solent; ideo aliquid habent experimenti, licet parum: homo vero multum ob rationem vniuersalem per quam proxime viuit. Ex varijs experientijs nascitur ars, & scientia: Tunc.n.ars exoritur, cum ex multis experientiæ conceptionibus una de similibus vniuersalis fit existimatio, siue acceptio. quare, ut experimentum fit ex multis memorijs; ita ex multis experimentis ars, cum aliquid vniuerse comprehenditur: vt si ex eo quod aliquod medicamentum multis salutare fuit, vniuerse concluderetur, omnibus qui eodem morbo laborant, prodesse: quo fit, vt sicut experimentū in singulis, ita ars in vniuersalibus versetur. Et licet is qui experimento pollet melius agat, cum actiones sint circa singula, quam qui artem solam tenet: tamen quod ad cognitionem attinet, ars præfertur experientiæ: & ideo magis scire dicuntur artifices, quam expertes; cum sapientię nomen magis cognitioni accommodetur, quam actioni; & artifices caussas sciant, quas expertes ignorant: atqui tunc scire dicimur, cum caussas scimus. Huc etiam facit, quod artifices qui caussas no- 1. Post.
scunt, demonstrationes possunt conficere, quibus alios c.2.
doceant; signum autem scientis est posse docere: quia 1. Phys.
tunc aliquid dicitur esse in actu, cum alterum sibi si t.1.
mile potest procreare. At, qui solo experimento doceret, solum opinionem, & fidem quandam in eo quem Arist.
docet gigneret. Denique, experimentum proprie est singularium rerum, quæ sensibus percipiuntur: at nullius sensus cognitionem vocamus scientiam, siue sapientiam; quæ appellatio magis arti speculatrici, quā effectrici tribuitur, vt postea planius docebitur: igit. Et hæc de secundo.

De tertio, hoc caput, ideo breuiter attingam, quod non sit huius loci exponere naturam instrumentorum, quibus humana acquiritur scientia. Quoniam igitur ad perfectam rerum notitiam acquirendam non satis sunt ea quæ natura tribuit, præsidia, ideo ab humana indu-

ſtria alia ſuperaddita fuere, quæ artificialia vocantur, in quibus hæc ſpeciatim numerantur, Definitio, Diuiſio, Argumentatio, ſiue Demonſtratio, & Methodus, quę alio opere nos late explicuimus. Definitione latentes rerum naturas patefacimus, & id ipſum quod ſunt, explicamus: qua qui non vtuntur, qui prætermittunt, ij recte docere nihil poſſunt. Diuiſione, res cõfuſas atque multiplices partimur, & ſingulas in ſua ſerie, locoque ſtatuimus, quæ ad indagandas abditas rerum rationes plurimum confert. Quibus inſtrumentis, rerum naturis patefactis, argumẽtationis beneficio, earũ proprietates per cauſſas demonſtramus: Demonſtrare enim nihil aliud eſt, quam res per cauſſas ſcire: & tunc ſcire dicimur, cum proprias & neceſſarias cauſſas cognoſcimus. Et quoniam nihil rectè diſcitur, aut docetur, ni id conuenienti ordine, & perſpicua facilique ratione fiat: ideo poſtremo loco adhibita eſt tractandi rõ, quã Græci Methodum appellant: cuius beneficio, eo ordine modoque de re quapiam agitur, quem vel res ipſa, uel diſcentium conditio flagitat. Eſt enim Methodus eorum quę in aliqua arte traduntur diſpoſitio, ſecundum prius, vel poſterius, prout naturæ rerum, aut captui, & affectui audientium congruit: qua, cum Ariſtoteles melius quam alij uſus ſit, iure optimo alijs ſcriptoribus antefertur. Et hæc pauca de inſtrumentis ad recte philoſophandũ neceſſariis hoc loco dicta ſufficiant. ſat. n. fuit ea in mentem reuocare, quæ alibi plenius expoſui.

Cic. lib. 2. Aca. q.

Lib. 1. poſt. c. 2.

Lib. 1. Phyſ. c. 1.

In Addition ad log. Tol.

QVOD attinet ad id quod vltimo loco propoſui, viæ, quibus in rerum notitiam itur, ſunt fere iſtæ, ſimilitudo, ſiue conuenientia, ſeparatio, reſolutio, compoſitio, proportio. De prima, animaduertendum eſt, res ſingulares & concretas quę ſub ſenſum cadunt varios habere gradus; vt hominem intelligere, ſentire, augeri, loco moueri, & in ſeipſo conſiſtere; quorum aliqui latius patent, quam alij: quibus gradibus varia reſpondent, magis minusque communia accidentia, quæ ſola ſenſus percipit, cum ad intimas naturas, ut qui corpo-

Tole. in proleg. c. 4.

reus

reus eſt,penetrare nequit. quo fit, ut vnaquæque res varijs ſit ſepta accidentibus, atque inuoluta: quorum alia ſunt ſimilia,alia diſsimilia,& partim pluribus, partim paucioribus conueniunt rebus, & naturarum arguunt ſimilitudine ac diuerſitatem;cum nonnulla ita ſint alicui naturæ propria,ut in alia nunquam reperiantur, alia uero maxime. Similitudine atque diſſimilitudinem accidentium, diuerſorum ſenſuum beneficio perſpecta, multa ſingularia in quibus ſimilia ſunt accidentia,quæ in alijs non inueniunt,reuocata ſunt ad quandam communem naturam, quam ſpecificam vocant. ſimiliter, cum multa accidentia varijs ſpeciebus communia inuenta ſint; ideo variæ ſpecies ad vnum cõmune genus reuocatæ fuere;ut omnia bruta ad naturã animalis,& omnia animalia,ad naturam uiuentem. En igitur,vt ſimilitudo fuit ratio copulandi res ſingulas,& inferiores in naturas communes,de quibus ſolis poteſt haberi ſcientia,cum ſingularis,& ſenſitiua notitia,vt ſupra diximus,ſcientiæ nomen non mereatur. Ariſt. 1. poſt.

De ſecunda via, facta per ſimilitudinem naturarũ ſenſibilium a ſingularibus ſeparatione, præparata eſt materia,intellectui in qua verſari poſſit: & cum per eã nõ dũ res diſtincte, ſed ſolũ confuſe cognoſcantur,nec naturæ ab accidentibus ſeparẽtur, alia eſt opus via,qua accidens ſeiungatur a ſubſtantia, quod cum non facerent antiqui Philoſophi,ideo, oĩa eſſe vnum, & ſolum quibuſdã accidẽtibus differre putarũt. Adhibita igitur eſt via ſeparationis,quam abſtractionem formalem vocant,qua accidens ſeiungitur a ſubſtantia. Obſeruatum itaque fuit unam & eandem naturam, modo affectam eſſe vno accidente,modo alio, etiam cõtrario,eiuſdem ſubſtantia manente; ac proinde facta eſt coniectura de aliqua alia natura diuerſa ab accidentibus, quæ ſenſu percipiuntur:cum accidentia,quæ modo inſunt, modo abſunt, alicui inhærere debeant,quod per ſe ſubſiſtat: quam ab hoc effectu,quod in ſe ſit,& alijs ſubſtet, ſubſtantiam, ſicuti eas naturas quæ in alio ſunt,accidentia Ariſt. lib. 1. Phyſi. t. 7.

nominarunt: Quorum distinctio non modo per varios sensus quibus diuersa accidentia percipiuntur, innotuit, sed etiã quia obseruatum est, vnum interdum esse cum alio coniunctum, vt album cum frigido in niue, & in lacte ab eodem separatum: atque idem de alijs dicas. Hæc enim est optima ratio distinguendi vnum ab alio, cum vnum sine alio, vel unum cum diuersis reperiri potest; ut quantitas cum diuersis figuris.

De tertia, optima via ad res adhuc plenius cognoscendas, fuit resolutio, qua sępe vsus est Aristoteles, tũ in logicis, tum in Physicis, tum in politicis Tũc autem hanc uiam tenemus, ut alibi latius exposui, cum accepto aliquo toto, illud in suas partes & principia per analysim reuocamus: tũc enim rem aliquam scire dicimur: cum eius prima principia cognoscimus: uel cũ aliquem effectum in suas primas & proprias causas reuocamus: vt si quis videret ignem ascendere, & ascensum referret in leuitatem, & hanc in raritatem materiæ, quam ignis natura requirit.

Lib. 1. prior. & poster.

Lib. 1. phys. t. 1

De quarta, hoc est de compositione, quæ via est à superiore diuersa, qua tunc utimur, cum unam rem cũ aliam componimus, eique attribuimus, unde & effectus & proprietates rerum inuestigamus, & rebus cum quibus copulantur, conuenire cognoscimus.

De vltima, plurimum ualet ad res cognoscendas, proportio, & analogia, quam inter se habent: qua uia Aristoteles indagauit materiam primam per proportionem ad ea quę arte fiunt, & nonnulla de natura probauit, per analogiam quam habet ad formã: & per transmutationem accidentalem inuenit substantialem: in summa, per sensibilia sæpe inuestigatur natura intelligibilium; vt per actum videndi, actus intelligendi: & per pulchritudinem corporis, ea quæ est in animo.

Lib. 1. Phys.
Lib. 2. phys.
Lib. 1. phys.

Atque ex his quæ diximus, alius apparet Philosophiæ ortus, per humanam indagationem atque industriam. Et quoniam eius prima fundamenta a Deo nobis cõcessa sunt, ideo uere dicere possumus, ex hac etiã

parte

parte Philosophiam habere ortum a Deo:cum humana philosophandi ratio,dona supponat diuina. Et, hucusq; de Philosophiæ natura,& caussis: deinceps de eius proprietatibus agemus.

Philosophia humana studium non esse damnandum, nec Christianis interdicendum. Cap. IX.



Voniam nulla cum re, quantumuis præstantissima, unquam ita præclare actũ est, ut nullum habuerit vituperatorem, ideo mirum videri non debet, si sapientiæ studium,quod Philosophiam appellamus,omni fere tempore,suos habuerit impugnatores,insipientes nimirum homines. Sunt autẽ duo precipua capita ex quibus omnis calumniandæ Philosophiæ sumitur ratio;rerum quæ in ea tractantur incertitudo, cum nihil exploratum in ea esse videatur: & parua vtilitas,quæ ex hoc studio capitur,aut potius detrimentum,quod secum afferre videtur. De primo capite infra late disputabo,alterũ hoc loco discutiã; sed pro meo instituto,paucis. Est autem hic dubitatio de ea Philosophia,quam ab Ethnicis accepimus: de qua duæ assignari possunt auctorum sententiæ.

PRIMA eorum,qui quodam pietatis zelo Philosophiam reijciendam,aut ab ea abstinendum esse putarũt, quod Philosophorum doctrina a veritatis orbita sæpe deflectat,& dubium sit,an plus emolumenti, quam detrimenti Christianis afferat: vt olim existimarunt quidam,quibus respondit Clemens Alexandrinus,qui omnino super hac re est legendus. Secunda aliorum,qui potius malitia & prauitate quam ulla firma ratione compulsi,eam omnino reijciendam putant; quod Philosophica doctrina,suos errores refelli,& veritatem, quam ipsi temerare conantur, defendi videant: ita Lutherus, Erasmus, & alij noui euangelij doctores: quibus quas subijciam rationes,eæ fauere possunt.

Io.Frã. Pic. Lud. Viu.

PRI-

PRIMO auctoritates nonnullæ ex diuinis literis sumptæ. Salomon monebat, ut nobis caueremus, a muliere fallaci: quem locum aliqui exponunt de hu-
1.Cor.1 mana sapientia, a qua decipimur. Et per quendam Pro
Baru.3. phetam prænunciatũ fuit, fore, vt sapientia sapientiũ perderetur. Item alius, dixit, sapientiæ inquisitores eã
Rom.2. non inuenisse: & ideo eos fabulatores appellat: Paulus quoque ait, Philosophos euanuisse in cogitationibus suis: quare vanum esse videtur, in eorum doctrina uel-
Colos.2 le versari. Idem alibi docuit cauẽdum esse, ne quis nos per Philosophiam decipiat, & sciẽtiam inflare, id quod maxime humanæ scientiæ conuenit.

SECVNDO auctoritate nostrorum Patrum: Iustinus Mart. cõtra Aristot. & Philosophos nõnihil scripsit; quos fures & impostores vocat. Lactãtius Firmianus nullibi eos non vituperat, non damnat, & eorum er-
epist. ad rata atque vitia vbique insectatur. Hieronymus descri-
Pam. bendo Philosophum, sic ait, Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ atque venale rumorum mancipium.
lib. de Tertullianus varijs in locis Philosophos damnat, &
ani. reijcit, vt cum eos vocat pseudoprophetas, & haeretico
lib. cõt. rum patriarchas: & eos mimice affectare veritatem di-
gent. cit, & affectando corrumpere, vt qui gloriam captant:
Cont. Item, eorum ingenijs omnem hæresim animari: & vt
Mar. multa alia omittam, plane docet, Philosophum nihil
In apol. habere cum Christiano, ac proinde nec Christianus
De pſ. quicquam cum Philosopho habere debet. Omitto hic
Cont. quasdam auctoritates, quas apud Gratianum, qui vo-
Herm. let, leget. Denique, concilium Carthaginese quartum
Dist. 37 plane statuit, vt episcopi Gentium libros non legerẽt,
Can. E- cum tamen hæreticorum lectionem concesserit.
piscop⁹. TERTIO, idem confirmatur auctoritate ipsorum Philosophorum, qua nulla alia, hac in parte, potest esse
In Gor- maior. Plato, ridiculum esse putabat hominem natu
gia. grãdiorem philosophari: & se ita affectum esse aiebat circa eos qui Philosophiæ dant operam, atque circa illos qui balbutiunt, ac ludũt. Epictetus, vt est apud Aria-

num,

num,de quo auctore aliquando meminit Gellius,hunc in modum Philosophum descripsit,cum tamen ipse esset Philosophus, τοῦτο τὸ ζῶον, ὃ πάντες καταγελῶσιν,id est. Tale animal,vt ab omnibus irrideatur. Accedat grauissima auctoritas M.Catonis, quã supra citaui; licet is speciatim de græcanica loquat̃ Philosophia.

DENIQVE, ne priuatim multos huius ordinis auctores citem,sæpe Oratores, atque Poetæ, Philosophiam & Philosophos insectati sunt, vt Pacuuius, Aristophanes,Iuuenalis, & quidem integra satyra, Quinctilianus,Xenophon,& Lucianus.

QVARTO, accedat auctoritas publica bene administratarum ciuitatum, quæ Philosophos cum sua Philosophia tanquam inutiles eiecerunt, præsertim Romanæ vrbis; vnde,referente Gellio, non semel fuerunt pulsi,& tota Italia interdicti, etiam eo tempore, quo Philosophia erat in pretio,vt sub Domitiano,cum Epictetus degebat Romæ. In Timone. Lib. 15. cap. 11. Lib. 10. c.22.

QVINCTO, Philosophi,& Philosophiæ,vt supra docuimus,duo sunt maxime propria,doctrina, & mores:qđ attinet ad doctrinã,Philosophi nihil certi, nihil explorati,nihil comprehensi habent;sed omnia opinionibus etiam contrarijs apud ipsos sunt confusa, & temerata; ob quam caussam, Philosophiam male audire aliquando Tullius docuit. De moribus nihil est quod dicam;cum, qui ex illis habiti sunt sanctiores, multis vitijs fuerint infecti, vt libro secundo introductionis in sacram Theologiam,ea recensendo,plane demonstraui.Vt omittam,quod nonnulli Athei fuerũt,in quibus Eumenus Agrigentinus, Nicanor Cyprius, Diagoras, Hippon,Theodorus Cyreneus, & Protagoras, qui dixit,se nescire sit ne Deus,nec ne:alij male de diuinitate senserunt: Epicurus, Deo subtraxit rerum curam: Stoici corporeum fecerunt,hominis liberum arbitrium negarunt: vt merito antiqui Patres Philosophos damnauerint. quod si ob impias opiniones a suis, vt a Spartanis,a Thebanis,ab Argiuijs, & a Romanis reiecti fuere, Tert. cõtra hæret. & Nermo.

Lib.de an. Hier. in Nahũ. Epist.ad Mar. Pãmac. Et Ciesiph. Eus. in Chron. Aug.

fuere, quanto magis a Christianis reijciendi erunt. Vt huic difficultati satisfaciam, nonnulla fundamenta præmittenda sunt.

PRIMVM fundamentum, nulla res est adeo bona, una excepta uirtute, qua humana malitia abuti non soleat. Bona eloquentia, bona nostri corporis membra, Sacra scriptura bona, & in summa res omnes creatæ bonæ: & tamen, omni tempore, omni loco quam plurimi inuenti sunt, qui hisce rebus bonis non bene sunt usi. quare, si quæ res uituperanda ac reijcienda esset, quod homines ea præpostere utantur, nil fere inuenies quod uituperari & explodi non possit; ut copiose & eleganter Theodoretus, nostræ religionis caussam agendo, disputat; demonstrando christianam religionem nõ esse damnãdã, ob id quod aliqui ex nostris male uiuãt. eandem ueritatem demõstratam inuenies apud Quinctilianum, dum Rhetoricam a quorundam calumnijs tuetur. Atque ex hac doctrina omnia fere allata solueres argumenta: quæ adhuc planius ex alijs fundamentis diluentur.

Lib.ult. de cur. græc. affect. Lib.2.c.16.

SECVNDVM fundamentum, nonnullæ sunt causæ ob quas, etiam apud Alienigenas, Philosophi male audiuerũt, & eorum culpa, etiam Philosophia: quæ sunt fere illæ. Prima, quia aliqui tanquam sibi solis nati, humanam consuetudinem omnino abhorrentes, vmbratilem vitam degebant, & reip. curam omnino aspernabantur; & illud munus quod est sapientis maxime proprium, de alijs recte instituendis, penitus deserebant. Quod philosophandi genus, aliquando meliores Philosophi vituperarunt, vel certe minus probarunt, & speciatim Tullius cum scripsit, Multi autem sunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, a negocijs publicis se remouerunt, ad ociumque profugerunt: quorum vitam tutiorem, & minus molestam esse docet: fructuosiorem autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptiorem, eorum qui se ad rempub. & ad res magnas gerendas

Lib. 1. offic.

das accommodarunt. Verum hoc Philoſophorum genus non omnino contemnendum videtur, ſi valetudinis imbecillitate, vel aliqua alia grauiore cauſſa impeditum a rep. receſſerit: ſecus, ſi ob labores & moleſtias offenſioneſque quibus franguntur, cum in rebus contrarijs parum ſibi conſtent.

SECVNDA, quoniam nonnulli olim ab opificijs & artibus, præſertim ſi in illis excellebant, ad philoſophandum ſe conferebant; ad quod opus, ob animi imbecillitatem iam ab opificijs depreſſam, vt Plato ſcribit, erant parum idonei; ac proinde magis ſpecie, aſpectu, barba, pallioque, quam re ipſa philoſophabantur: quod dum faciebant, ſe alijs ridiculos oſtendebant. In quo genere his temporibus eos reponeres, qui ab officina aromataria, a tonſtrina, & a ludo grammaticali, ad medicinam, quæ ſine Philoſophia eſſe nequit, ſe conferunt. Huius generis Philoſophos eleganter, more ſuo, aliquãdo idem deſcripſit Plato, qui inter alia hæc litteris commendauit, An cenſes eos aſpectu quicquã diferre a fabro ærario diuite, paruo, caluoque, qui e vinculis exijt, balneiſque ſe lauit, & noua ſe veſte tanquam ſponſum ornauit, & filiam domini ſui inopia oppreſſi, nec alium cui daret habentis, in matrimonium ſibi coniunxit? Qualem ex his prolem naſci putandum eſt? non ne notham ſcilicet, & abiectam? Et quæ apud ipſum ſequuntur. Dial. 6. de rep.

TERTIA, quoniã alij, licet eſſent ad Philoſophã dum accommodati, & in rebus gerendis, cũ alijs communicando, ſe occuparent, atque ueritatis, ſapientiæque magiſtros præberent, tamen inanis gloriæ, atque iactantiæ vitio infecti, cæteros deſpicientes, & inter ſe altercantes, & maiorẽ ſui nominis, quam ueritatis rationẽ habentes, ſe odioſos, & inuiſos reddebant; & veritatis lucem ſuis contentionibus obſcurabant; ita ut qui ab eis veritatem de animorum æternitate, de bonorum & malorum finibus, de mundi adminiſtratione, de vno rerum omnium molitore, deq; alijs rebus, Cic. lib. 1. dẽ leg.

ſine

sine quibus humana uita recte institui, et homines beati esse non poterant, expectare debebāt, cum quodam dicere potuissent, Itaque cogimur, dissensione sapientium, dominum nostrum ignorare, Deum nimirum.

Lib. 2. Acad. q.

QVARTA, omniū maxima, quia multi non amore veritatis cognoscendæ, sed spe quæstus faciendi ad Philosophiam accedebant; ut fuerunt Sophistæ, quos supra satis abunde descripsimus: qui non veritatis lucem amabant, sed vmbram quandam, cum ea ignorarent, quæ profitebantur: qui, cum doctrina & moribus essent corrupti, alios inficiebant, & iuuentutem a bonis studijs reuocabant; & ideo sibi & reip. perniciem afferebant. Et hoc Philosophorum genus fuit a ciuitatibus pulsum, & a bonis Philosophis alijsque scriptoribus damnatum, atque reiectum. At vero inuenti sunt semper aliqui, superioribus contrarij, quamuis numero pauciones.

Iuue. Sat. 15.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili:

QVI veritatis cognoscendæ, & vitæ recte instituendæ gratia Philosophabantur, & de sua, deque aliorum bona institutione cogitabant, vt ex eorum monumentis intelligi licet; quo nihil præstantius esse aliquando docuit Plato; quorum Philosophandi rationem, etiam nostri approbarunt, dum contra Philosophos disputabant, ac etiam sequuti sunt; ijs in quibus minus bene senserūt reiectis, vt planius postea docebo.

Clem. Alex. Theod.

TERTIVM fundementum, in quo nonnullas caussas afferam ob quas antiqui patres Philosophos damnarunt. Prima, quia Philosophi, & heretici philosophorum doctrina muniti, Christianam doctrinam, vt humano sensui repugnantem, refellere sunt conati; putantes non posse dari maius lumen, quam id quod natura, studiumque humanum suppeditat: quo, cum non possent diuina arcana comprehendere, ea refellenda putarunt. Qui, non secus errarunt, ac idiota erraret, qui solem multis partibus terra esse maiorem pernegaret,

garet, cum sibi per aspectum bipedalis esse videatur. Ob hanc caussam sæpe Theodoretus Philosophos dãnauit, & quidem iure optimo.

SECVNDA, quia se difficiles ad excipiendam veritatem præbebant, quam tanquam euidenter credibilem excipere omnino debebant; & interdum auctores erant vt alij in nostros sæuirent; cum eos rationibus se superare non posse videbant. Timent, inquit Lactantius, ne a nobis reuicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt, ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quo plane ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt; cum neque cognoscere, neque congredi audent, quia sciunt se facile superari. Et idcirco disputatione sublata,

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,

VT ait Ennius. Quare cum Philosophi multum nostris facesserint negotij, ideo male apud eos audiebant; cum tamen studio indagandæ veritatis se teneri profiterentur; quam, vt clarum solem sanis & patentibus oculis se ingerentem, videre poterant, vt tandem aliquando viderunt. Lact. lib. 2. c. 20.

TERTIA, quia si quid recte docebant, vitæ genere illud destruebant; & ita non tam re, quam verbo philosophabantur. Idcirco cum nostros bene agentes viderent, admirabantur, ac dicebant, Qui sunt isti, qui ea faciunt, quæ dicunt? de eis vero dici poterat quod Lupus apud Aesopũ dicebat, ἄλλα καὶ λέγουσι ἄλλα καὶ πράττουσι, alia dicunt, alia faciunt: ac etiam illud, quod, referente Phauorino, Epictetus dicere solebat, eos qui ita viuũt, esse Philosophos, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Ideo Epictetus tanquam seuerissimus stoicæ disciplinæ magister, suos grauiter obiurgabat, quod in probitate, se a Galilæis (sic. n. Christianos per contemptum olim uocabant) sinerent vincere. Sed nesciebat iste, quantam vim haberet lex illa, quam Christianus scriptam in corde habet: quæ non solum Gel. lib. 17. c. 19 Arian. lib. 3. c. 21.

faciendæ

facienda docet, sed etiam ad ea quæ docuit exequenda, vires suppeditat. De hac caussa, hæc scriptis commendauit Plato. Maxima vero & vehementissima Philosophiæ calumnia oritur propter eorum mores, qui Philosophiæ studia profitentur. Et M. Tullius, Quotus enim quisque Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, vt ratio postulat: qui disciplinam suam, non ostentatione scientiæ, sed legem vitæ putet; qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? videre licet alios tanta leuitate, & iactatione, ijs vt fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos: multos libidinum seruos; vt cum eorũ vita mirabiliter pręgnet oratio: quod mihi quidem videtur esse turpissimũ. His ita positis fundamentis, ad propositã difficultatem respondeó his positionibus.

Dial. 6. de rep.
Tusc. 2.

PRIMA positio, Philosophiæ humanæ studium non est damnandum, nec Christianis interdicendum. Et quoniam longum omnino facerem, si latissime, vt possem, hanc veritatem confirmare vellem, paucis multa perstringam, vt institutionis ratio flagitat. Primum, allata veritas confirmatur auctoritate scripturæ, quæ monet, vt omnia probemus, & quæ bona sunt teneamus: & Paulus vsus est omni sciẽtia, vt omnes lucri faceret. Idem, non damnauit philosophorum doctrinam, quod inuisibilia Dei ex mundi molitione cognouerint, sed quod non ita Deum coluerint, vt cognouere; quod non Philosophiæ, sed ipsorum vitio attribuendum est. Moses omnium sapientium princeps, eruditus erat in omni scientia Aegyptiorum, & vt alibi docuimus, eloquentissimus: cuius sapientia, & eloquentia vsus est Deus ad populum suum recte gubernandum. Hanc sapientiam summis precibus Salomon postulauit a Deo, eamque diuinitus obtinuit; & ideo hominum sapientissimus non Dęmonis oraculo, vt Socrates, sed veri Dei testimonio vocatus fuit: Vnde de omnibus plantis, iumentis, volucribus, reptilibus, & piscibus disserebat;

1. Thes. 5.
Rom. 2.
Lib. 1. de oratore diuino.
Sap. 9.
3. Reg. 4

bat: ac proinde ex cunctis populis ad eum veniebant, vt eius ſapientiam audirent: Ideo de ſe aliquando ſcribendo dixit, Ipſe enim dedit mihi eorum quæ ſunt ſcientiam veram; vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, & quæ apud ipſum ſequuntur, in longa rerum quæ in Philoſophia tractantur enumeratione. Iobum & eius amicos viros illuſtres in Philoſophicis fuiſſe valde inſtructos, ex illa grauiſſima, & eruditiſſima, atque eloquentiæ pleniſſima diſputatione, quam inter ſe habuerunt, plane cognoſcere licet. Denique, accedat figura illa de captiua quæ viſa fuerit pulchra, in vxorem ducenda, raſa cæſarie, circum ciſis vnguibus, veſte qua cum capta fuit depoſita, & parentibus per menſem defletis. Si autem amaueris captiuam mulierem, ait Hieronymus, hoc eſt ſapientiam ſæcularem, decalua eam, & illecebras crinium, atque ornamenta verborum cum emortuis vnguibus, ſeca. Laua eam prophetali nitro, & tunc requieſcens cum illa, dicito, ſiniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & multos fœtus captiua dabit, & de Moabitide, fiet Iſraelitis.

Sap. 7.

Deut. 21.

Ad Pãdach.


SECVNDO, eandem veritas confirmatur, ſacrorum Conciliorum, & canonum, in quibus ſancitum eſt, vt etiam ij qui ſunt initiati ſacris in ſtudia humanæ Philoſophiæ incumbant. Poſſem hoc loco multa adſcribere teſtimonia, quod non facio, ne in re non neceſſaria immorer.

Florent. Trident. Leg. Cã. lib. 9. de loc. c. 9.

TERTIO loco accedat auctoritas ſanctorum patrum: Cirillus Alexandrinus, copioſe hanc veritatem demonſtrat; qui auctor de hac re eſt omnino legẽdus: & inter alia docet, Philoſophiã fuiſſe pędagogum Græcorum ad Chriſtum: fuiſſe datam Græcis a Deo vſque ad aduentum Domini. Alio loco reprehendit eos, qui Philoſophiam gręcam timent, uerentes ne ab ea abducantur; eoſque pueris comparat, qui laruas formidant: Idem, græcam Philoſophiam comparat oleaſtro, qui more arborum agreſtium, multum nutrimẽti attrahit,

Libr. 2. ſtro.

Libr. 6. ſtro.



quod concoquere non poteſt, ſicut ſatiua, at ſi inſeratur, concoquit; ſic Philoſophus, ſi inſeratur fidei. Itē, ait Philoſophiam eſſet donum Dei datum Græcis, ſicuti Iudæis data fuit Lex. Iuſtinus Martyr in colloquio cum Triphone, paullo poſt principium, approbat Philoſophiam, eamque hunc in modum deſcribit, Philoſophia eſt entis ſcientia, & veritatis notitia, cuius ſapientiæ præmium eſt felicitas. Hieronymus, quid de hoc ſtudio ſenſerit, ſententia paullo ante allata plane docuit. Locupletiſſimum teſtimonium ad hāc ueritatem confirmandam ſit tota Academia Alexandrina a diuo Marco inſtituta, in qua & litteris & ſapientiæ humanæ opera dabatur; vnde tanquam ex quodam equo Troiano doctiſſimi patres, diuinis & humanis diſciplinis armati prodiere, ad noſtrā religionem contra impugnatores tuēdam; ut, Clemens Alexandrinus, Origenes, Heraclas, Panterius, Tryphon, Dionyſius, Anatolius, Theonas, Athanaſius, & alij. Et ut, Auguſtinum, Ambroſium, atque alios Latinos patres omittam, quid de hoc ſtudio ſentiendum ſit, plane colligitur ex aureo illo libello, quem de conſolatione Philoſophiæ, vir doctrina & pietate illuſtris compoſuit Boetius. Poſtremo, optima ratio ſumitur ex vtilitate, & neceſſitate huius ſtudij, de quibus infra dicemus.

Euſeb. Hier. lib. de eccl. ſcrip.

SECVNDA poſitio humana Philoſophia, ſiue gētium doctrina, non ideo eſt reijcienſta, quod nihil habeat certi, uel explorati, nec ob eandem cauſſam ab ea abſtinendum, uel omnino uana nuncupanda eſt. Hoc, affirmauerim contra eos, qui plus iuſto Gentium doctrinam damnant, & humanam ſapientiam minus faciunt, quam facienda eſt. Primum, ſi iſta doctrina, uniuerſe loquendo, nihil certi & explorati habuit, cur Paulus dixit, Philoſophos ex ipſa rerum creatione cognouiſſe intiiſibilia Dei? cur eos inexcuſabiles appellat, quod non ut cognouerunt, ita coluerint Deum? Cur idem dixit, Deum non deſeruiſſe Gentes & non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquiſſe, benefaciens de cœlo,

Rom. 2.

lo, dans pluuia & tempora fructifera: ac si dixisset, Deum per res creatas quarum notitiam philosophando acquirimus, sui cognitionem omnibus præbuisse; quã cognitionem aliquando regius Propheta, cum doctrina reuelata contulit, & creaturas quasi quosdam Dei concionatores ad homines loqui dixit, cũ cecinit, Cœli enarrãt gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti, (hoc est, omnes dies noctesque) indicant scientiam. En vt Propheta vocat scientiam eam quæ per creatas res habetur: quæ ita loquuntur, ita concionantur, vt nulla sit natio quæ earum loquelam non audiat, non intelligat. Et alio loco, quem animaduerti vellem, ex suiipsius cognitione, hoc est ex illa admirabili hominis formatione, atque textura humani corporis in utero materno, se in quandam admirabilem Dei notitiam peruenisse ait. In quam etiam Galenus ob eandem caussam aliquando venit. Cur Salomon, si philosophica doctrina est omnino vana, Vanos vocauit homines, in quibus non subest scientia Dei? Quod de his quę videntur bona, non potuerint intelligere eum qui est; neque opera attendentes agnouerint, quis esset artifex: quam veritatem certissimum est Philosophos cognouisse: sed eos reprehendit sapiens, qui stulte idola & res creatas pro vero Deo colebant, quod sane non fecissent, si Philosophiæ doctrinam tenuissent. Denique, si Gentium Philosophia est omnino incerta & uana, cur tot patres in eam incubuerunt? Cur viri docti, & pij eam suis cõmentarijs illustrarunt? Cur tam multa nostra Theologia ab ea accipit? Quis uana omnino vocet, quæ Aristoteles docet de moribus, quæ Cicero de animorum immortalitate, de officijs, de affectibus cõprimẽdis, de beata uita, de legibus, quæ denique de Deo, contra Epicureos, contra Stoicos, & contra idololatras, in libris de natura Deorum docuit: in quibus, ut quidam scribunt, seipsum uicit, & nostris ad idololatriam expugnandam arma parauit; ita vt aliqui eos per Senatum abrogãdos

Psal. 18. Ps. 138. Sap. 13. Arnob. lib. 3. adu. gẽ. Geneb. lib. 2. chron.

esse censuerint. Caueant igitur qui contra sentiunt, ne in eorum errorem incidant, qui per vires naturæ nullam veritatem speculatiuam, vel practicam cognosci posse male existimarunt. Et quoniam quæ tota hac disputatione docuimus, adhuc ex ijs quæ de vtilitate & necessitate Philosophiæ dicemus, nota fient, ideo ad alia pergemus, si prius argumentis in contrarium allatis responderimus.

Ad primum, primus locus intelligitur de muliere meretrice, vt ex consequentibus patet: &, si mystice intelligeretur de sciētia humana, nō ab omni humana doctrina cauendum est, sed a falsa, a sophistica, & a garula loquacitate, quæ nos decipere potest. Non est itaq; vt quidam scribit, Philosophia meretrix illa vaga & garula, quietis impatiens, procax, blanda, adulatrix, præparata ad decipiendas animas: sed; si quid tale est, est illa Thamar, quæ caussa prolis sedet in triuio, ad quam studiosus, & fidelis Iudas declinauit, indeque genuit Phares, & Zaram, qui in Euangelijs memorantur. Non sunt Musæ scirenes, vt est apud Pythagoram: Castæ sunt meretrices, veraces sunt, non fallaces: Qui sirenum cantibus delectantur, hi sunt in vitio, qui Musas amant, in vitio non sunt. Secundus, intelligitur de humana sapientia ad hunc sensum, quod adueniente sapientia Christi, humana perderetur sapientia, quantum ad humanum sensum, in credendis mysterijs diuinis, quæ humana ratione percipi non possunt: quod Philosophi fecerunt, cum captiuarunt, vt Paulus loquitur, intellectum in obsequium fidei. Opus. n. fuit, sapientes stultos fieri propter Christum, vt suam perficerent sapientiam. Tertius locus quo modo intelligendus sit, patet ex dictis: ideo enim euanuisse ait, quia quod cognouerunt, opere non compleuerunt. Quartus, intelligitur de falsa & corrupta Philosophia, quam inanem fallaciam Paulus vocat, & de ea falsæ Philosophiæ parte, quæ mundi elementa obseruat, qualis est iudiciaria Astrologia, nunquam satis damnata. Quod scientia dica-

Lege Can. lib. 9. d loc. cap. 9.

Lact.

tur

tur inflare, intelligitur hic locus de vana persuasione scientiæ: eos enim inflatos vocamus, qui vana scientiæ existimatione sunt repleti, nō illos qui solido doctrinæ cibo nutriuntur.

Ad secundum, Patres non Philosophiam, hoc est verę sapientiæ studium, sed malos Philosophos damnant, ab caussas supra numeratas: non Philosophiam, sed Philosophiæ abusum; non veram sapientiam, sed sophisticam erroribus contaminatam. Et si quid grauius dixerunt, pietatis uelo dixerunt; ut priuatim Tertullianus, cum videret per Philosophiam impietatem foueri, & ex Philosophis quosdam primo contra ueritatem insurrexisse. Quid autem in hac re senserit, tunc plane exposuit, cum dixit, Ita nos rethoricari quoque prouocant hæretici, sicut & philosophari. Quando autem, uel Patres, vel Concilia docent Gentium libros non esse legendos, de illis loquūtur libris, qui sunt minus vtiles: de illis, quorum lectio potest mores corrūpere, ut Comicorum, & Poetarum, vt Lucretij hominis Epicurei, in quo legendo, explicando, & emendando qui plus diligentiæ, quam in bonorum lectione ponunt, facile ad Epicureum gregem se conferunt.

Ad tertium, eodem modo intelligendi sunt Philosophi, & Gentium scriptores, qui non veros Philosophos, sed Sophistas Philosophiæ corruptores, non Philosophiam, sed pseudophilosophiam, & speciatim Plato, tum in Sophista, tum in Gorgia, damnant. Alias, cur tanto cum labore exteras nationes adeundo Philosophiam perquisiuissent, & summis laudibus celebrassent? Epictetus autem eos Philosophos irridendos esse putauit, qui aliter viuunt, quam docēt: & sane nihil magis ridiculum excogitari potest, quam profiteri sapientiam & stulte ac inscienter viuere. Cum sapienter quidam dixerit. Enni.

Qui sibi ipsi prodesse nequit, nec quicquam sapit.

In summa, ut cum Platone concludam, cur aliqui sint mali, non est Philosophiæ culpa. Dia. 6. rep.


Ad quartum, a ciuitatibus illi fuerunt exclusi Philosophi, quorum Philosophandi ratio supra in secundo fundamento, quarto loco fuit explicata; Sophistæ nimirum ciuitatum lues & pestis. Contra vero boni Philosophi a bonis principibus in pretio sunt habiti, vt ab Augusto, a Traiano, & ab Antonino, vt alios missos faciam.

Plut. de apoph. regum.

Ad quinctum, quod attinet ad certitudinem, patet ex ijs quæ diximus in secunda positione. Pernegamus igitur, nihil esse in Philosophia certum: cum multa sint in confesso, & explorata: neque enim attendendum est quid vnus uel alter dicit, sed quid meliores communiter docent. Quod spectat ad Philosophorum mores, quid dicendum sit patet ex primo fundamento. Quod autem aliqui pro Atheis habiti fuerint, quidam e nostris eos defendunt, quod Deos a Gentibns cultos damnare uoluerint: negantes eos esse Deos, quos illi colebant, cum omnes mortales fuerint, vt ex Eumero, docet Augustinus. Et hic sit huius questionis terminus.

Clem. Alex. in admon. Aug. de ciu.

Quam utile, quamque fructuosum sit Philosophiæ studium. Cap. X.



Etsi multiplices Philosophiæ vtilitates, quasi quædam lucidissimæ stellæ in firmamento veritatis sitæ, omnes in partes collucent, seque mortalium oculis conspiciendas præbent: tamen, cum a multis vel ob ignorantiæ caliginem, uel ob humanarum perturbationum agitationem non videantur, non ludemus operam, si eas propius spectandas proponemus. His etenim cognitis, facilius homines sapientiæ studium probabunt, ac sibi retinendum putabunt, atque tot tantarumque vtilitatū mole perspecta, non modo ad illud colendum allicientur, sed etiam permouebuntur. Et vt de re præposita in vtranque partem disputem, priore loco quædam argumenta proponam, quæ hoc studium inutile esse probabunt.

Pri-

PRIMVM, si Philosophia esset utilis, maxime ad bene beateque viuendum, vt omnes fatentur Philosophi; atqui videmus solius Philosophiæ studium id non præstare, cum non soleant multum pietate excellere, qui Philosophica tractant, igitur. Vt omittam, esse certa fide tenendum, nos per solã humanam notitiam nihil posse præstare, quod proxime Deo placeat; cui qđ non placet, in bonorum numero poni non debet. Cic. Tus. 5.

SECVNDO, Philosophorum scripta sunt multis erroribus referta, ut postea patebit, cũ de illis agã; præsertim eorum libri, qui quotidie manibus teruntur; vt Aristotelis, Platonis, M. Tulij, & aliorum, qui hac de re aliquando scribendo dixit, Sed nescio quomodo, nihil tam absurdum dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosopho. Lib. 2. đ diu.

TERTIO, qui Philosophicis studijs se dedunt, exponunt se periculo, ne rationes quas contra veritates nostræ religionis Philosophi facere solent, animũ occupent, & a veritate abducant: periculum autem nõ est amandũ, ut Sapiens monet, ne in eo pereamus, igit̃.

DENIQVE, ne plures rationes adducam, multi ita disputant; Philosophia opes non parat, nec honores præbet, & consequenter nullam delectationem affert: Hinc dictata illa, Dat Galenus opes, & Iustinianus honores: Philosophia, nuda ac pauper incedit. Hac ratione quampluri mi adducti, potius Medicinæ, vel iuris prudentiæ, quam Philosophiæ se dedunt: & si qui sunt, qui in eam incumbant, pauca quædam attingunt, quibus in alijs doctrinis quæ, vt loquuntur, sunt de pane lucrando, vtantur: & ita eam partem quæ diuina tractat, & eam quæ ad mores pertinet, non attingunt, sed a longe salutant. Addunt etiam aliqui, hoc studium, vt nimis arduum & insuaue obesse corpori, & vitam breuiorem reddere: & ideo Philosophi semper sunt vultu mæsto, macilento, atque toto corpore infirmo. Et hæc pauca argumẽta in contrariam partẽ attulisse sufficiat.

QVOD vero ad opiniones attinet, ex proxima di-

ſputatione conſtat, quid nonnulli de Philoſophiæ vtilitate ſenſerint: & in ſumma, alij ob imprbitatem ac peruerſitatem eam reijciunt: alij vero, quod non eos fructus afferat quos homines, vt plurimum deſiderant, honores & opes: quibus, vt plene reſpondeamus, nonnulla ſubijcienda ſunt fundamenta.

PRIMVM fundamentum, Iure quidem optimo ab Romanæ eloquentiæ & ſapientiæ principe aliquando quæſitum fuit, quidnam cauſſæ eſſet, cur, cum ex animo & corpore conſtemus, corporis curandi tuendique cauſſa quæſita ſit ars atque eius vtilitas deorum inuentioni conſecrata: animi autem medicina, nec tam deſiderata ſit, antequam inuenta, nec tam culta, poſtquam cognita eſt, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam ſuſpecta & inuiſa. An, inquit ipſe, quod corporis grauitatem & dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus? Quod autem hominum animi varij ſint affecti morbis, ac proinde aliquo Medico, ac medicamento egeant, non modo qui diuino lumine ſunt illuſtrati, qui unde oẽs in naturã dimanarint morbi norunt; ſed ẽt alij, qui ſola naturæ luce uſi ſunt, q naturã integrã nos accepiſſe dixere, & eã aliunde corrumpi, vt nutricum moribus, magiſtrorum erratis, poetarum lectione, & denique populi, ſeu multitudinis ad omnia vitia conſentientis exemplo, idem exiſtimarunt. Cur autem non ita de animi cura, ſicut de corporis integritate ſimus ſolliciti, ea eſt ratio, quod quanta ſit morborum animi turpitudo atque magnitudo non videmus. An corporis prauitates, ait Cicero, ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis animi deformitas non habebit? Cuius turpitudo ex ipſis vitijs facillime percipi poteſt. Quid enim fœdius auaritia? quid immanius libidine? quid cõtemptius timiditate? quid abiectius tarditate & ſtultitia dici poteſt? Et quod noſtræ naturæ vitium auget, id eſt, quod primos annos non ex ratione, qua vt cum maxime egeremus, ſed ex ſenſibus viuimus: quos etiam integros habemus,

Tuſ. 3.

Lib. 1. de leg.

bemus,

bemus, quos non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcæna deprauat, non multitudinis conſenſus abducit a vero: animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab ijs, quos modo numeraui, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt & flectunt, vt volunt: vel ab ea quæ pœnitus in omni ſenſu implicata inſidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cu us blanditijs corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac, & ſcabie carent, non cernimus ſatis, qua dominante, temperantiæ, hoc eſt virtuti, quæ turpiter & nequiter facere nihil pmittit, nullus eſt oīno locus: nec in uoluptatis regno uirtus pōt cōſiſtere: qua nulla eſt alia menti capitalior peſtis: cũ qui ad eã pecudũ more ſuas cogitationes abiecerũt, nihil altũ, nihil magnificũ, atque diuinum ſuſcipere poſſint. ſenſuum itaque voluptate & titillatione animus commotus, totus rationis ſtatus, atque conſenſio perturbatur, & a ſua tẽperatione dimouetur; vnde omnes perturbationes ebulliunt: ac proinde aliqui cunctarum perturbationum fontem intemperantiam faciunt: quæ nihil aliud eſt, quam a tota mente, & a recta ratione defectio, ſic auerſa a præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia ſedat appetitiones, & efficit, vt hę rectæ rationi pareant, conſeruatque conſiderata iudicia mentis: ſic huic inimica intemperantia omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. Itaque & ægritudines, & metus, & reliquæ perturbationes omnes gignũtur ex ea. Quemadmodum cum ſanguis corruptus eſt, aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi, ægrotationeſque naſcũtur: ſic prauarũ opinionum conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate animum ſpoliat, morbiſque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quę vocant illi νοσήματα; eaque, quæ ſunt eis morbis contraria, quæ habent ad res certas vitioſam offenſionem, atque faſtidium; deinde ægrotationes, quæ appellant a

Cic. lib. 2 d leg.

Cic. de ſen.

Cic. de amic.

Cic. Tuſ. 4.

Stoicis ἀῤῥωστήματα; hisque item oppositæ contrariæ offensiones. Quamobrem cum animi sint morbosi, his nulla erit adhibenda curatio? Vtrum, quod minus noceant animi ægrotationes, quam corporis? an quod corpora curari possint, animorum nulla medicina sit? At, & morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis: & cum animus ipse corporis medicinam inuenerit, & ad corporum sanationem, multum ipsa corpora & natura valeant; nec omnes qui se curari passi sunt, continuo etiam conualescant; animi quoque sanari poterunt, & si sanari voluerint, sine vlla dubitatione sanabuntur. Quorum sanitatem in tranquillitate quadam, constantiaque positam esse sapientes censuere; quibus rebus vacuam mentem insaniam appellarunt: propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non potest. Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominarunt amentiam; vnde intelligi potest, omnes insipientes esse non sanos, & sapientiam esse animi sanitatem, insipientiam vero insanitatem quandam, quæ est insania atque dementia. Sed vnde nam petenda sunt animorum medicamenta? ab ea sane arte quæ id profitetur, vt animorum morbos curet, quæ est ipsa philosophia, id quod omnes scriptores fatentur. Est, inquit Tullius, profecto animi medicina Philosophia: cuius auxilium, non vt in corporibus petendum est foris: omnibusque opibus, viribusque, vt nosmetipsi nobis mederi possimus elaborandum est. Si igitur morbosi sumus, si animorum morbi sunt periculosiores, quam corporis, si omnes facilius curari possunt, modo velint, quis ita stultus & sibi inimicus erit, qui inde nolit medicinam petere, vnde petenda est; & eo remedio vti, quod nobis diuinitus est paratum? Vnde sapienter alio loco idem Tullius scripsit, Omnium autem rerum natura cognita, leuamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt sæpe formidines;

Cic. Tus. 3. — Cic. Tus. 3. — Plat. Boet. Tus. 3. — Lib. 1. de fin.

nes: denique, etiam morati melius erimus, si didicerimus quę natura desideret. Patet ergo, quam non modo vtilis, sed etiam necessaria censenda sit Philosophia, vera nimirum sapientia, nobis primo a Deo animarū curatore pro medicina concessa.

SECVNDVM fundamentum, quamuis multiplices sint animorum ægritudines: tamen omnes ad tres radices renocare licet; ad pecuniæ, honorum, & carnis cupiditates: quibus omnibus morbis, uel saltem aliquo cum omnes fere homines teneantur, & de eorum curatione non multum curent; hinc est, vt erga eam artem parum sint affecti, quæ ad hos morbos curandos medicamenta præbet, & ista bona, (si in bonis habenda sunt, quæ nihil habent boni) parui facienda docet. Quare, vt in postremo disputabatur argumento, qui pecuniæ cupiditate, qui honorum desiderio, & voluptatum libidine tenentur, Philosophiam morborum curatricem parum amant, immo, quasi furore correpti, damnant, reijciunt; dicuntque ideo non esse calendam, quod nec opes, nec honores, nec delectationem vllam secum afferat. Sed quod has ob caussas nō sit reijcienda, vt istorum insaniatem sanem, paucis docebo. Quod igitur ad diuitiarum appetitionem attinet, facile hunc morbum curaret, qui animaduerteret, non esse in bonis habendum, quod non efficit bonum, & est commune cum malis: Alexandrum nihilo effectum fuisse meliorem, post tot habitas uictorias, post tot acquisita regna, & adeptos honores: opes potius improbitatis, quam probitatis esse ministras: pallio & cibo tenui paucisque rebus naturam esse contentam: naturales diuitias cuique esse parabiles, & eas nemini deesse: cum fame & siti suauissime edi & bibi: sobrietatem vitæ, cuius gratia omnia quæruntur, esse conseruatricem, & virtutis omnium bonorum finis tutricem: vt merito, voluptatum magister Epicurus multo plura quā quiuis alius de tenui victu dixerit: Qui, inquam, mentem ejus qui multo cibo, & potu fuerit reple-

1. Ioā. 2. Cic. Tus. 3. & 5.

Isac. Orat. ad Demō.

repletus, suo officio fungi non posse intelligeret, & asotos sudantes, cacchinnates, ructantes, & libidine ardentes videret: qui denique sciret omnes sapientes paupertate delectatos fuisse, Anacharsim, Democritum, vt ex eorum epistolis ad amicos scriptis constat, & cæteros omnes; quorum nemo, vt Cicero ait, paupertatem extimuit; adeo vt aliqui, nec bona quidem dicant, ea quæ isti admirantur, & quærunt; sed in animo reponunt omnia: cuius bona qui videret, hæc sola expeteret, hæc sola vere locupletem facere confiteretur, & cum illis omnia alia accedere, una cum Sapiente existimaret. Nam, cum nihil animo melius sit nobis a natura tributum, ea in diuitijs habenda sunt, quibus non arca, sed animus repletur. Potuerunt igitur antiqui Philosophi solo naturæ lumine bona externa parui esse facienda cognoscere, ac etiam parui fecerunt, vt Anacharsis, vt Socrates, vt Democritus, vt ille qui ne a pecunijs perderetur, eas in mare proiecit, denique omnes fere omnium disciplinarum magistri, illis solis demptis, quos a recta ratione natura vitiosa detorsit, & nostri maiore lumine illustrati, & viribus maioribus muniti, idem efficere non poterunt? & Philosophiam, vt pauperem contemnent? cum paupertas bonarum artium inuentrix, virtutum conseruatrix & cultrix semper extirerit? Dies deficiet, si uelim paupertatis caussam defendere, sed non est opus multis: aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam paruis rebus egeat, quam vilibus. Et ut hunc locum de paupertate concludam, quis nostrum non admiretur, & uerecundia non perfundatur, qui hanc diuinam hominis Alienigenæ sententiam animaduerterit?

(Margin: Tusc. 5. — Sap. 7. — Cic. Tus. 5. — Cic. loci cit.)

(Margin: Horat. li. 3. car.)

Quanto quis sibi plura negauerit,
A Dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto: & transfuga, diuitum
Partes linquere gestio.

SED iam de populari rumore famaque dicamus, quæ

quæ tanquam temeraria & inconsiderata plerunque peccatorum vitiorumque se laudatricem præbet. Hunc morbum is facile curaret, qui animaduerteret popularem famam esse inconstantem vmbram: qui consideraret imperitæ multitudinis iudicium esse incertum: qui miserum putaret, aliunde uiuendi suspensas habere rationes: & multis eos vacare molestijs, qui cum populo Horat. multorũ capitũ bellua, nihil omnino contrahunt. Mul Tus. 5. ti inhonorati proferuntur, & quidem propter id ipsum beatiores: eorum, qui priuatum otium negocijs publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur: nec siletur illud potẽtissimi Regis anapæstum, qui laudat senem, & fortunatum esse dicit, quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem peruenturus. Num igitur, ait Cicero, ignobilitas aut humilitas, aut etiã popularis of Tuus. 5. fensio sapientem beatum esse prohibebit? vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc quæ expetitur gloria, molestiæ habeat, quam voluptatis. Leuiculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat, aquam ferrentis mulierculæ, vt mos in Græcia est insusurrantisque alteri, Hic est ille Demosthenes. Quid hoc leuius? at quantus orator? Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum. Intelligendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per se expetendam, nec ignobilitatem extimescendam. Veni, inquit Democritus, Athenas, nec me quisquam ibi nouit: Constantem hominem & grauem, qui glorietur a gloria abfuisse. An tibicines, ijque qui fidibus vtuntur, suo non multitudinis arbitrio cantus numerosque moderãtur? uir sapiens, multo arte maiore præditus, non quid verissimum sit, sed quid velit vulgus exquiret? An quidquam stultius, quam, quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse vniuersos? Denique, ne in amplo loco diutius uagemur, is de populari gloria colligenda parum esset sollicitus; qui non innanem gloriæ imaginem, sed soli- Cic. dam gloriam, expressam, non adumbratam, quæ est cõ- Tus. 15.

sentiens

sentiens laus bonorum in corrupta uox bene iudicantium de excellente virtute, necesserio ipsam sapientiã, veramque virtutem sequi animaduerteret, eamque fugientem sequi, & sequentem fugere. Ac proinde boni Philosophi doctique viri sua gloria non fuerunt defraudati, sed a Principibus laudati. Dionysius honorauit Platonem, Pompeius Possidonium, Leon Pythagoram, Octauius Arium, M. Antonius Rusticum, Traianus Zenonem Sophistam, Alexander Aristotelem, & Gymnosophistas, quos non affecit pœna, vt poterat, sed cũ premijs, solutis ab se propositis quæstionibus dimisit. Populus Romanus M. Tullium, quem patriæ parentem appellauit: Atheniẽses Zenonem, & Demetrium, cui trecentas & sexaginta statuas erexerunt. In summa, domus, bibliothecę, & sacra templa, doctorum hominum signis & imaginibus ornantur. Effluat igitur ex animo inanis laudis gloriæque fallacis tumor; cum necesse sit animum inflatum & turgentem in vitio esse, sicuti manus, aliudve corporis membrum, cum turgescit; atque vera sapientia, verisque virtutibus repleatur, vnde vera consequitur gloria, ac etiam vera delectatio, vt postea dicetur. Et vt cum Politiano, iam tractatos locos concludam,

Chrys. Pluta in M. Ant. Plut. in Alex. Cic. Tus. 3.

Felix ille animi, diuisque similimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco,
Sollicitat, nec fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu,
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

CONTRA corporis voluptates, ad quas natura, non homines, sed bestias abiecit, nihil in præsentia disputare volo, alibi aliquid dicam.

TERTIVM fundamentum, in quo breuiter indicabo, vnde omnis dimanet error eorum, qui a Philosophia corporis & fortunę bona expectanda putant. Animaduertendum itaque est, in eo Philosophiam a cæteris humanis artibus vtilitatis, vel voluptatis gratia conquisitis differre, quod hæ non sunt per se expetendæ,

tende, sed ideo expetuntur, quia emolumenti, aut delectamenti aliquid afferunt, quo remoto, nihil esset quamobrem expetantur: Philosophiæ vero possessio, cum sit humanæ naturæ naturalis finis, ipsa per se expetenda est, nec aliquid aliud ab ea requirendum, aut expectandum in vita quam ipsa, cum sit nostræ naturę vltima, quæ vi naturæ haberi potest, perfectio, atque absolutio, veri nimirum notitia, cum honesta viuendi ratione coniuncta. hoc. n. tandem est illud summum bonum quod meliores Philosophi homini proposuerunt, ad cuius consequutionem philosophandum esse statuerunt. Quare sapienter quidam, hac de re agendo, dixit, se non desiderare præmium, vbi res ipsa est præmium, sapientiæ videlicet & virtutis possessio; cum qua alia omnia comparata, sunt veluti vmbra, vel vt quidam scripsit, nugæ, Quare merito de eadem virtute quidam cecinit. Ang Pol lit. pręf. in Hom.

Ipsa quidam virtus precium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil inuida laudis,
Diuitijs animosa suis, immotaque cunctis
Casibus exalta mortalia despicit arte.

Claud. de q. Manil. consul.

At si propter alias res Philosophia expetenda esset, aliquid ea melius esse necesse esset. Pecuniam ne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ, & cum adsunt perparua sunt, & quandiu affutura sint, certum sciri nullo modo potest: An id quod turpissimum dictu est, voluptatem? at in ea quidem spernenda & repudianda, virtus vel maxime cernitur. Quæ regna, quas opes ait Tullius, de Philosophis loquendo, studijs eorum & delectationibus anteponeres? Etenim quæ pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud quod quæris omnium optimum. Quid est autem in homine, sagaci ac bona mente melius? Eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus. Bonum autem mentis est uirtus; ergo, hac beatam vitam cõtineri neces- Cic. lib. 1. de fin. Tus. 5.

ri necesse est. Hinc omnia quæ pulchra, honesta, præclara, & plena gaudiorum sunt. Corporis igitur & externa bona humi iaceant, & tantummodo, quia sumenda sunt, appellentur bona; alia autem diuina longe lateque se pandeant, cœlumque contingant; quæ qui adeptus fuerit, cur eum beatum modo, & non beatissimũ etiam dixerim? Et hæc fere ex M. Tullio de re proposita disputantur. Et quamuis quæ in tribus fundamentis posuimus satis plane Philosophiæ vtilitates, & delectationes demonstrẽt; tamen, vt oculis eorum qui ista nõ omnino vident, ea expressius proponantur, tres statuam positiones, in quibus Philosophiæ vtilitates ad hunc luculentius demonstrabuntur.

PRIMA positio, Philosophiæ possessio est bonum quoddam honestum & honorabile. Doctrina est manifesta, & satis confirmatur ex vltimo fundamento: quia, cum in ea consistat beata vita, necessario erit per se expetibilis, vt bonum honestum, naturæ maxime consentaneum, ac proinde honorabile. Et si quod nos dicimus, Aristoteles scientiæ de anima tribuit, quanto magis toti Philosophiæ, quę non solum nostri, sed omniũ diuinarum humanarumque rerum cognitionem, & omnes honestæ vitæ rationes continet, tribuendũm erit? Sed quoniam ex ijs quæ deinceps dicemus hæc positio plenissime cõfirmabitur, ad alias ꝓgrediamur.

Lib. 1. t. 1.

SECVNDA positio, Philosophiæ studium est maxime vtile, ac fructuosum. Hæc positio ad quam probandam integer liber fieri posset, breuiter a nobis confirmabitur, quosdam indicando locos, quos qui copiose tractare volet, poterit. Antequam autem eos attingo, animaduertendum est, hominem constare animo, & corpore, & ex vtraque parte esse imperfectum, ita vt nonnulli, qui, vnde ista imperfectio fluxerit, ignorarunt, naturam hominis nouercam appellauerint. Ex parte animi in quo duæ resident agendi facultates, intellectus & uoluntas, perficitur rerum cognitione, veritate, nimirum, & virtute, moribusq; atque honesta

Plin.

vita

vita. Ex parte corporis, sensuum integritate, bonoq; habitu: ad quas partes perficiendas, tanquam adiumenta quædam, ea iuuant bona, quæ fortunæ uocantur. Rursus obseruandum est, Philosophiam non solum prodesse ijs qui eam possident, sed etiam suas vtilitates cum alijs, id quod est boni proprium, communicare. Quod igitur ad intelligentiam attinet, Philosophiæ beneficio, humana mens perficitur per cognitionem Dei, de quo hæc præcipue omnes meliores Philosophi docent, Deum esse, omnium rerum fuisse molitorem, easdem gubernare, & earundem, hominis præsertim, esse finem. Si, qui has veritates cognouerint, & quibus argumentis eas confirmauerint, ostēdere vellem, longe a proposito abirem: uno igitur testimonio ero contentus ad singulas confirmandas. Cicero latinæ Philosophiæ lumen, & Deum esse, & mūdum fabricasse, & eiusdem curam gerere in libris de natura Deorum, & neruose, & ornatissime demonstrauit, quem locum qui volet consulat. Alibi hæc præclarissima verba, in quibus omnia fere quæ diximus continentur, scripta reliquit. Sit igitur hoc iam persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatore Deos: ea quæ gerantur, eorum geri ui, ditione, atque numine, eosdemque optime de genere hominū mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. his enim rebus imbutæ mentes haud sane abhorrebunt ab vtili, & a vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, vt in se rationem & mentem putet inesse, in cœlo mundoque non putet? quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mēsium temperatio quemque ea quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet? cumque omnia quæ rationem habent, præstent ijs, quæ sint rationis expertia; nefasque sit dicere,

Tul. in li. de na. deorū.

Libr. 2. de leg.

vllam rem præstare naturæ omnium rerum: rationem inesse in ea confitendum est. Vtiles autem esse has opiniones quis neget? cum intelligat quam multa firmentur iureiurando, quātę salutis sint fœderū t religiones, quam multos diuini supplicij metus a scelere reuocarit, quamque sancta sit societas ciuium inter ipsos, dijs immortalibus interpositis, tum iudicibus, tum testibus. Quod autem omnia ad hominem, & ad Deum referantur, haud obscure indicauit, cum scripsit, Principio ipse mundus deorum hominumq; causa factus est, quæque in eo sunt omnia, ea parata ad hominum fructum, & inuenta sunt. Refert Plutarchus, Alexandrum cum Psammonem Philosophum in Aegypto audiuisset, ex eius dictis præcipue hoc probasse, omnes mortales regi a Deo: quippe, quod in vnaquaque re imperat & dominatur, est diuinum, cūctorumque mortalium Deum esse communem parentem, sed peculiariter sibi adoptare optimum quemque. Denide, mens perficitur ex rerum creatarum intelligentia, in quibus contemplandis potissimum est occupata: per quarum cognitionem in rerum omninm auctorem & rectorem Deum peruenit: Est enim hæc rerum vniuersitas veluti quidam maximus & explicatus liber, & creatæ res quasi literæ ac dictiones, quæ Dei sempiternitatem, potentiam, bonitatem, simplicitatemque manifestant. Et vt de sole illud priuatim dicam, Quid est aliud sol, nisi speculum quodam diuinæ lucis & claritatis in cœlo collocatum? vt ex eius magnitudine, præstantia, atque efficientia, in cognitionem eius a quo fuit fabricatus perueniamus: Cum res singulæ, & speciatim cœlestes, sint veluti scintillæ quædam diuinæ, & æternæ lucis: ac proinde earum sapientissimus artifex,

Libr. 2. decr.

Sap. 2.
Rom. 1.
Psal. 18.
Plutar.

Os homini sublime dedit, cœlumque uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Est etiam hæc rerum pulchritudo, atque ornatus, quasi tabula quædam in qua admirabili arte variæ sunt pictæ rerum imagines, per quas pictoris cernitur

præ-

præstantia. Postea Philosophiæ beneficio homo venit in cognitionem suijpsius, qua nulla potest esse fructuosiori, ac proinde illas quinque quæstiones, quæ de homine fieri solent, plane intelligit. Vnde veniat, quid sit, vbi sit, quo uadat, & per quam viam. Quas omnes, aut expresse, aut tacite exposuit M. Tullius cum scripsit, Ita fit mater bonarum omnium rerum sapientia: a cuius amore, græco uerbo, Philosophia nomen inuenit: qua nihil a dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum uitæ datum est. Hæc .n. vna nos, cum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum docuit, vt nosmetipsos nosceremus: cuius præcepti tanta vis, tanta sententia est, vt non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit; tantoque munere deorum, semper dignum aliquod & faciet, & sentiet: &, cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum a natura subornatus in vitam venit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamque sapientiam: quoniam principio, rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratis sapientia duce, bonum virum, & ob eam ipsam caussam cernat se beatum fore. nam cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio, indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam, decoris oppresserit; omnemque mortis, dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis; omnesque natura coniunctos suos duxerit, cultumque deorum, & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda contraria, quæ virtus ex prouidendo appellata est prudentia: quid eo dici, aut cogitari poterit beatius? idemque cum cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit; eaque vnde generata, quo reditura, quando,

Plat. Alcib. 1.

Lib. 2. de legib.

quo modo obitura quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternumque sit, viderit; ipsumque ea moderantem & regentem pœne prehenderit; seseque non vnis circundatum mœnibus popularē alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi vnius vrbis agnouerit: in hac ille magnificētia rerū, atq; in hoc cōspectu, & cognitione naturę, dij immortales, quā se ipse noscet, quod Apollo pcepit Pythius; quā contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima? Ad hanc sui notitiam, cum nos a principio fugiat, per rerum externarum cognitionem perueniendum esse, idem Tullius aliquando copiose docuit, & concludendo dixit, Intrandum est igitur in rerum naturam, & penitus quid ea postulet peruidendum, aliter enim nosmetipsos nosse non possumus. Quod præceptum quia maius erat, quam vt ab homine videretur; iccirco assignatum est Deo. Iubet nos Pythius Apollo, (sed ante ipsum, ut nos alibi docuimus, diuinus spiritus) noscere nosmetipsos. Cognitio autem hæc est vna, vt vim nostri corporis, animique norimus, sequamurque eam vitam, quæ rebus ipsis perfruatur. Et alio loco, Est illud quidem, vel maximū, animo ipso animum videre. Et nimirum hunc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt se quisque noscat. Non. n. credo id præcipit, vt membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus: neque nos corpora sumus, neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur, nosce te dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi diuinum esset, hoc acrioris cuiusdam animi præceptum, sic, vt tributum Deo sit. Quo loco illud admonuerim, Tullium non id uelle, vt nostra cognitio debeat esse solius animi, & hominem esse solum animum, sed potissimum hominem constare ex animo, huncque præcipue cognoscendum esse; cum non solum ex animi cognitione, sed etiam corporis,

Lib. 5. đ fin.

lege lib. đ inter. hom. cap. 2.

Lib. 2. Tus. q.

corporis, in noſtram & noſtri fabricatoris notitiam veniamus.

Sed iam planius videamus quo pacto per Philoſophiam illa quinque quæſita omnibus mortalibus cognitu neceſſaria nobis innoteſcant. De primo, hoc eſt, vnde veniamus, illi hanc quæſtionem optime explicarunt, qui dixerunt, Θάρσει, ἐπὶ θεῖον γένος ἐςὶ βροτοῖσι. ideſt eſto alacer, quoniã diuinum genus eſt mortalibus: Pyth. & τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν. ideſt genus ipſius ſumus: Arat. qua auctoritate aliquando vſus eſt diuus Paulus. De ſecundo, quidnam ſit homo, his prope diuinis verbis expoſuit M. Tullius, Animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem vocamus hominem præclara quadam conditione generatum eſſe a ſummo Deo. Solum eſt enim e tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis; cum cætera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed in omni cœlo, atque terra ratione diuinius? quę cum adoleuit, atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia. Eſt igitur (quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine & in Deo) prima homini cum Deo rationis ſocietas: inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt: quæ cum ſit lex, lege quoque conſociati homines cum dijs putãdi ſumus: inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio iuris eſt: quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & ciuitatis eiuſdem habendi ſunt: ſi vero ijſdem imperijs, & poteſtatibus parent, multo etiam magis parent autem huic cœleſti deſcriptioni, mentique diuinæ, & prępotenti Deo: vt iam vniuerſus hic mundus, vna ciuitas communis deorum, atque hominum exiſtimanda ſit. Et quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius tantoque præclarius, vt homines deorum agnatione & gente teneantur.

Lib. 1. de leg. Lib. de somn. Ex quibus verbis etiam tertium quæsitum remanet solutum, vbi nam homo sit; in hoc nimirum mundo, quasi in quadam communi ciuitate: quam tamen non tanquam perpetuam patriam agnoscit, sed ad aliã properat; vnde cum eodem auctore interdum in hæc verba prorumpit, Et ex hac vita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi. n. natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O præ- Lib. de senect. clarum diem, cum ad illud animorum concilium, cætumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluuione discedam.

Ex quo loco plane intelligitur, quid de quarta quæstione sentiendum sit, quonam homo, dum in hac vita peregrinatur, tendat, ad cœlum nimirum, ex hac mortali ad beatam vitam, vbi perpetuo æuo summmis verisque perfruetur voluptatibus. Ideo alio loco de De somno scip. ijs, qui e vita discedunt loquendo, de bonis intellige, ita scribit, Immo hi viuunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere euolauerunt: vestra vero quæ dici- Tusc. 1. tur vita, mors est. & alibi, cũ egregie demõstrasset mortem non esse malum, sed bonum potius, hanc reddidit Steu. lib. 10. de peren. phil. c. 9 rationem, siquidem, vel dij ipsi, vel cum dijs futuri sumus. Huc referres eorum Philosophorum doctrinam qui dixerunt, esse hominis finem contemplari & videre Deum.

Qvod attinet ad postremum quæsitum, homo primum remeat eo, unde defluxit per separationem a rebus hisce caducis, & per honestã vitã: quorũ vtrunq; per Philosophiam præstamus. Nam, quod attinet ad fugam, patet ex ijs quæ supra de eius definitione agendo Cic. lib. 33. de fin. diximus. Ideo qui conuenienter naturæ victurus sit, ei & proficiscendum est ab omni mundo, & ab eius procuratione: ut bene uiuendo Deum sequi, eiusque simi- Plat. in Theæt. lis euadere queat: vnde alia patet eundi in cœlum uia, vitam diuinæ similem viuere.

Atqve ex his alius extat Philosophiæ vberimus fructus, beata nimirum vita, cuius effectrix est Philoso-

phia

phia, ut homo sit similis Dei, quem etiam finem sacræ proponunt literæ. Vere.n.dictum est. τέλος μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ, hoc est, Finem esse similitudinem Dei. Sapienter itaque M. Tullius dixit, Omnem Philosophiæ summam, ad beate viuendum referri: idque vnum expetentes homines, se ad hoc studium contulisse: quo etiam loco eleganter, atque neruose beatitudinis perpetuitatem demonstrat. Quia si amitti uita beata potest, beata esse non potest: & beatus esse nequit, qui in maximarum rerum timore est: itaque æternitate dempta, nihilo est beatior Iupiter, quam Epicurus, vt idem ait. Hinc cognitio immortalitatis animorum, quam egregie præter cæteros. Tullius prima disputatione Tusculana demonstrat; hinc liberi arbitrij notitia, quam veritatem omnes Philosophi tradiderũt: hinc etiam de æternis bonorum præmijs, & malorum pœnis scientia, quæ est fructuosissima.

Laert. ex Plat.

Lib. 2. de fin.

Steu. de p. phil. lib. 10. c. 17. & 19.

QVOD attinet ad cognitionem corporis, nolo hic esse longior in demonstrando, quantum capiatur vtilitis ad se, & ad Deum cognoscendum, ex admirabili humani corporis ex vilissima materia formatione, ex mébrorum varietate, distinctione, ordine, viribus, forma, vel etiam ex vnius ocelli structura: quia, qui ista accuratius cogitaret, vna cum Galeno, cum de vsu partium agebat, exclamaret: aut etiam cum Dauide, ad Deum, tantæ fabricæ auctorem, conuersus diceret; Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam, hoc est, admirabilem formando scientiam exhibuisti, & sublimiorem, quam vt eam possim attingere. Qui ex hoc loco se & Deum magis cognoscere volet, eos legat, qui de corporis humani structura, aliquid scripsere.

Steu. li. 9. c. 21.

De vsu part.

Ps. 138. Vatab.

Lactan. Firm.

Amb. in Hexam.

Cic. lib. 2. de na tu. Deo.

Gal. de vsu par.

Titelm.

QVOD vero spectat, ad perfectionem quam volũtas, quæ est altera animi pars, ex Philosophia capit, quid est cur multa dicam? cum bona & melior Philosophiæ pars in hoc vno sit occupata, vt eam virtutum doctrina & vsu excolat? perturbationum motus com-

primendo,& ad honestas actiones cõmouendo: vt Tullius ad Philosophiam conuersus merito exclamauerit, O uitę Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrix vitiorum; quid non modo nos, sed omnino, uita hominum sine te esse potuisset? Et Paulo infra, Est autem vnus dies, bene & ex tuis præceptis actus, peccanti immortalitati anteponendus. Quid maius? quid magnificentius de Philosophia dici potest? si tantum vtilitatis affert, vt vnius diei fructus ab ipsa perceptus, peccantium utilitatibus æterno tempore susceptis, sit præferendus.

Tusc. 5.

Ex hac nostri & Dei cognitione exoritur pietas, cultusque, & reuerentia in Deum, & in homines caritas, cum similia inter se ament, ac iuuent, quibus officijs nõ solum familiæ, & ciuitates, cęterique hominum cætus, sed etiam rerum vniuersitas conseruatur. Ex hac itaq; cogitatione homo in seipsum intrat, seque ipsum cognoscit: qua notitia adepta, longe melius suum auctorem Deum noscit, eique debitas gratias agit. Ideo, vt Apollinis templum ingredienti præceptum de se cognoscendo, γνῶθι σεαυτόν, id est nosse teipsum, offerrebatur, ita exeunti, εἶ, id est, Tu es, quasi resalutantis, & gratias referentis, cum solus Deus uere sit: in quo viuimus, mouemur, & sumus, ut quidam Poeta dixit. Augustinus lecto Tulij libro, in quo Philosophiam contra Hortensium commendabat, cum se ad Deum cognoscendum ex illa lectione permotum esse sentiret, in hæc prorupit uerba, Et ad te ipsum, Domine, mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, & immortalitatem sapientia concupiscebam ęstu cordis incredibili: & surgere iã cæperã, vt ad te redirem. Non ad acuendam illam linguam referebam illum librum, neque mihi loquutionem, sed quod loquebatur persuaserat. Hæc Augustinus. qui aliquando indoluit, omnes mirari Ciceronis linguam, pectus non item.

Cic. Simp. Plut. Steu. li. 10. c. 14. Plut. Arat.

HINC denique existit vltimus ac supremus Philosophiæ

losophiæ finis, quem omnes antiquiores & meliores Philosophi cognouerunt, Dei notitia, atque amor, ex tantorum bonorum nobis collatorum cumulo, atque ex ea similitudine quam eiusdem gerimus exortus, post rerum mortalium contemptionem, & diuinarum cupiditatem: quibus, quasi duabus alis, eo redeunt mortalium immortales animi, vnde defluxerunt. Hinc illa perfecta sapientia, quam boni Philosophi agnouerunt, diuinarum humanarumque rerum notitia cum religione coniuncta, qua similes Deo efficimur: quam etiã Christiana schola approbat, & tuetur.

Steu. lib. 10. c.19.
Ibid. c. 10.
Sen. epist. 10.
Steu. lib. 10. c.15.

NEC parui facienda est hæc alia vtilitas, quod per Philosophiam non solum veritates ad doctrinam & mores pertinentes inueniuntur, conseruantur, & amplificantur; sed etiam errores refelluntur, & ijs, obsistitur, qui veritati bellum indixerunt. Hinc fructuosissimæ disputationes M. Tulij de natura diuina contra Stoicos, de finibus bonorum & malorum & de diuina prouidentia, vt alias omittam, contra Epicurum. Quare, ni Philosophiæ studium suum mortalibus lumen præbuisset, vniuersus orbis in densissimis ignorãtiæ tenebris fuisset. Quod tamen non tantum præstare potuit, quin superna opus fuerit luce, quam Oriens ex alto, Christus dominus, perfecta mundi lux mundo attulit.

Epict.
Plat.
Steu. loc. cit. c.12.
Luc.

QVANTVM vero vtilitatis Philosophiæ doctrina afferat in vtraque fortuna, hoc est in prospero & aduerso rerum statu, in quorum vtroque singulis fere diebus quisque versatur, ne secundis rebus efferamur, nec aduersis deprimamur, quis est qui ignoret? & si quis ignorat, aureum, aut potius diuinum de consolatione Philosophiæ Boetij Seuerini, viri doctrina & integritate vitæ illustris, legat, & Tullium hunc in modum loquentem audiat, Sed & huius culpæ & cæterorum vitiorum, peccatorumque nostrorum omnis a Philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum, cum a primis temporibus ætatis, nostra voluntas, studiumque

Francis. Petrar.
Tusc. in prin.

nos

Loco cit. in fine.

nos contulisset; his grauissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate, confugimus. Et alio loco, nostris quidem accerbissimis doloribus, varijsque, & vndique circumfusis molestijs, alia nulla potuit inueniri leuatio. Vt omittam ea quæ non minus sapienter, quam eleganter, de morte non timenda, quam omnes timent, idem Tullius scripta reliquit. Quod vero ad prosperam fortunam comprimédam attinet, quis bonus Philosophus in ea fidit vnquam? cum neque in sermonibus vulgi, nec in humanis præmijs, nec in diuitijs, nec in ullis fortunæ & corporis bonis spem studiumque veri Philosophi ponendum docuerint. Qui itaque Philosophiæ auxilio alte spectare æternamque domum, vt Tullius ait, contueri voluerit, is quidquid est prosperitatis in his humanis angustijs, & in hac breuitate vitæ facile contemnet: & quamuis sit in corpore inclusus; eminebit foras, & quę extra erunt contemplans, quam maxime se a corpore & a rebus mortalibus abstrahet.

Cic. de somn. scip. In parad.

Lib. de sen. cip.

QVOD si deinceps late exponere velle eos fructus quos omnes fere artes a Philosophiæ capiunt, integrum sane conficerem volumen, breuiter igitur agã. Et vt omittã gubernandæ familiæ & ciuitatis artes, q̃ totæ a Philosophia partes traduntur & explicantur, ita vt nemo possit sine eis domui recte præesse, vel pro dignitate reip. gubernacula tenere, sacra doctrina sine humana Philosophia non facile cõsistitit, cum multa quæ in ea traduntur, supponat, & ad diuina mysteria elucidanda & defendenda Philosophica doctrina sæpissime vtatur. Quis sex dierum opera? quis integrum Iobum? quis loca fere immunera diuinarum litterarum, in quibus de rebus naturalibus, atque humanis agitur, plane explicet, ni fuerit in Philosophicis nõ mediocriter versatus? Vt merito aliqui integros libros scripserint ad explicandas diuinæ scripturę similitudines a rebus naturalibus petitas, atque etiam rerum naturas, & proprietates: quibus ignoratis, necessario diuina oracula obscura,

Fran. vales Lemni.

ra,& inexplicata manerent. In summa,nihil est in metaphysicis,nihil in mathematicis,nihil in physicis,nihil in ethicis,nihil in medicis,& logicis,quod sæpe usui esse non possit ei,qui in sacra doctrina versatur.Ideo Iulianus apostata, ut est apud Theodoretum in Tripartita historia,cum videret quantum vtilitatis ex humanarum scientiarum studijs nostri caperent,ea Christianis interdixit;vnde dicere solebat,Ex nostris libris armati, nobis bellum inferunt.

De Medicina, quid est quod aliquid dicam? cum sit Phisiologiæ subiecta,& ab ea sua principia petat:ita vt sine ea consistere non queat; ut infra planius patebit,cum de partium Philosophiæ ordine disputabo. Lib.6.c. 17.

IVRISPRVDENTIA est quædam Philosophia practica,ex doctrina de moribus conflata:quæ nunquã legum originem,caussas,proprietatesque sine Philosophia plene cognoscet;ut ex M.Tullij & ex nostris libris de legibus facile intelligi potest.Quo fit,vt rari sint boni atque absoluti Iurisperiti,cum ex ijs qui se ad leges conferunt paucis sint, qui prius philosophiam attingant. Eloquentia,sine sapientia,a qua omnis rerum,& uerborum copia fluit, quid aliud est nisi infantia, aut potius loquacitas? Vnde,cum de beato,hoc est de homine sapientia ornato sermonem Tullius haberet,hæc huc pertinentia litteris commendauit. Cumque se ad ciuilem societatem natum senserit;non solum illa subtili disputatione(dialectica niminum)sibi utendum putabit,sed etiam fusa latius perpetua oratione: qua regat populos, stabiliat leges,qua castiget improbos, qua tueatur bonos,qua laudet claros viros,qua præcepta salutis,et laudis apte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortari ad decus,reuocare a flagitio, cõsolari possit afflictos,factaque & consilia fortium,& sapientium cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere.Et ut cum Lyrico concludam,

Greg. Naz.Orat. 1.in Iulian.

Lib. de perf. Orat.

Lib.2.de leg.

Scribendi recte sapere,est & principium, & fons.

POETICA, nihil cauet sua maiestate dignum, ni

n i Philoſophia fuerit ornata: vnde q olim illuſtres fuere Poetæ, ij optimi erant Philoſophi & Theologi, ut Orpheus, ut Linus, ut Hormerus, in quo, vt quidam ſcribunt, vniuerſa fère Aegyptiorum cernitur doctrina, vt in Virgilio antiqua Cimeriorum myſteria.

MILITARIS diſciplina ex ea philoſophiæ parte, quę mathemacicas ſcientias continet, multas & maximas vtilitates refert: in quibus recenſendis immorari nolo. Vnde Imperatores, Philoſophiæ beneficio, non modo ſuos recte gubernarunt, cum ſine ſapientia recte gubernet nemo, ſed etiam ſępe maximas victorias retulerũt. Ideo Polibius ſcriptum reliquit, Duces exercitus debere eſſe Geometras & Aſtrologos: & Archimedes ſuis machinis diu Marcelli Siracuſas obſidentis ſolertiam ludificauit, Vnde Cæſar apud Lucanum,

Plut. in Marc.

Media inter prælia ſemper,
Stellarum cœlique plagis, ſuperiſque vacaui.

QVARE ſingularia Alexandri geſta, non tam in eius fortunam, vt aliqui faciunt, quam in eam ſapientiam, quam a magiſtro ſapientiſſimo didicerat referré.

NAVTICA vero, tunc multo melius ſuo fungetur munere, cum cœlorum ventorum, temporũ, & locorum naturas, proprietateſque habuerit perſpectas; ac proinde Aſtronomiæ dicitur eſſe ſubiecta. Atque idem prorſus de Agricultura dicas, quæ maximas vtilitates ex omnibus Philoſophiæ partibus capit, ad terrarum, arborum, temporum, elementorum, & cœlorum vim cognoſcendam.

GRAMMATICA ad cuius officium pertinet omnes ſcriptores, & ſpeciatim poetas, explicare, ſine aliqua omnium fere Philoſophiæ partium notitia, nihil recte explanabit vnquam, vt innumeris exemplis demonſtrari poſſet.

Lege Gorop.

DENIQVE, vt hunc ampliſſimum locum, in quo fuſe lateque excurrere poſſet oratio, aliquando concludam, omnes fere mechanicæ artes, quæ aliquid induſtriæ & rationis habent, a Philoſophia aliquam vtilitatem

tem capiunt: cuius etiam beneficio multæ de nouo inuentæ ſunt, atque adhuc fortaſſe inuenientur artes: vt hic omittam quæ ad naturalem magiam pertinent, cuius vi multa admirabilia fiunt.

Soluuntur argumenta allata ad impugnandum Philoſophiæ ſtudium. Cap. XI.



T adhuc multo magis quæ de Philoſophiæ vtilitatibus diſputata ſunt, confirmentur, quæ in contrariam partem fecimus arguméta diſſoluamus oportet.

De primo, primum quod aliqui male viuant, ex eis fit cauſſis, quas ſupra in ſecundo poſuimus fundamento: vnde non Philoſophiæ culpa, ſed hominum mala inſtitutione fit, vt aliqui ſolum uerbis philoſophentur: quos etiam meliores Philoſophi reprehendunt, & ſpeciatim Tullius. Deinde, nos non tantum tribuimus humanæ Philoſophiæ, vt per eam ad vitæ perfectioné peruenire liceat; vt infra plane docebimus, cum eam cum chriſtiana doctrina comparabimus. Adde etiam, quod uitia magis in ijs apparent, atque notantur, qui virtutum ſe magiſtros præbent. Denique, addiderim etiam, multo peiores fuiſſe eos, qui Philoſophiæ lumine caruerunt, quã qui eius ſuſceperunt lucem: quod etiam de ijs, qui Theologiæ operam nauant, dicendum eſt; quam eodé argumento aliquis refelleret. Quod autem additur de bonorum operum merito, ſi diuina gratia ſint deſtituta, id libenter concedimus; cum nemo per ſolas naturæ vires poſſit aliquid efficere, quod ſit Deo gratũ. Sed de his accuratius videant Theologi.

Tuſ. 2.

Concil. Araus. Mileu. Trid.

De ſecundo, concedimus Philoſophorum ſingulorum ſcripta aliquibus eſſe aſperſa erroribus, id quod etiam in chriſtianis ſcriptoribus notares; ſed illi non ſunt ſequendi, & ita veritas ab ijs qui melius ſenſerunt, in ea parte in qua alij errarunt, ſumenda eſt. Et

ſane,

ſane, ſi quis diligenter antiquorum ſcripta perpendat, & bene dicta ſeligat, in paucis humanam Philoſophiã a chriſtiana veritate diſſentire inueniet: id quod mirũ videri non debet; quia gentes ſuam debuerunt habere doctrinam, quam ordinaria Dei gubernatione ſalutẽ conſequi poſſent. Nec facile crediderim tam multa a multis bene ſcripta fuiſſe, ſine aliquo priuato Dei auxilio: qui, vt non reliquit gentes ſine ſui teſtimonio, dando pluuias de cœlo; ita credendum eſt dediſſe interius doctrinæ lucem, qua mentes humanas redderet fœcundas. Quod legamus eos auctores in quibus nõnulli reperiuntur errores, quid mirum? Si etiam nõnullos ex noſtris legimus, qui non ſunt omnino puri? Et ideo legimus, ut quidã ſcripſere, vt ab eis tanquã ab iniuſtis poſſeſſoribus veritates repetamus; cum omnis veritas a ſumam veritate pendeat; & vt Aegyptum, auctore Deo, ſuis bonis ſpoliemus. Quod vero, Philoſophi errauerint, & abſurdas opiniones habuerint, nihil eos mouere deberet, qui mentem habent: cum illi in aliqua arte peccent, qui eam tractant. Non peccat pictor arando, nec agricola pingẽdo, nec Theologus medendo, neque Medicus theologando; ac proinde imprudenter imperita multitudo admiratur, q̃d videat eos qui diuina tractant, in eis errare: potius mirandum erat, ſi agricola, ſi coriarius.

Steu. lib. 10. c. 3.

Act. 14.

Iuſt. mar.

Aug.

Exo. 12

De tertio, cum humana Philoſophia ſit aditus ad diuinam, ut etiam ſancti patres docent, cum fere in omnibus vt dicebamus, cum noſtra conſentiat, una eſt .n. veritas; cum ſecum tot fructus afferat, quot numerauimus, & multos alios, quos omiſimus, eam ut pueri laruas timere non debemus; cum nec viri ſanctiſſimi eandem timuerint, ſed diligenter cognouerint, & ad ſuam, atque aliorum vtilitatẽ ea uſi ſint. Nemo nauiget, nemo agros colat, nemo medicinã exerceat, nemo Theologiam attingat, cum in his artibus errare contingat. Sint omnes rudes & ſimplices, veritas et religio nullos habeat defenſores humana doctrina armatos. Au-

Cyril. Alex.

Clem. Alex.

diant

diant hic ſimplices, uirum ſanctiſſimum, atque ſimul eruditiſſimum, Sancta quippe ruſticitas ſolum ſibi prodeſt; & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti; tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. Denique, qui errare timet, explorate ſe gerat, ducem habeat, humilitatem amplectatur, fidei lucem præmittat, & errabit nunquam; quod qui faciet, non dicetur amare periculum. Hier. prol. in gen.

De vltimo, quid ad hoc argumentum reſpondendum ſit, etſi ſatis patet ex ijs, quæ ſupra in ſecundo diximus fundamento: tamen, quia nulla eſt alia ratio, qua magis homines ab hoc fructuoſiſſimo, & ſibi maxime cognato ſtudio reuocet, adhuc nonnulla alia adijciam ut ea tollantur capita, quæ hoc argumento continentur. Sunt enim omnia illa ex errorum orta radicibus, quæ euellenda & extrahenda penitus, non circumcidenda, & amputanda ſunt.

Primvm, cōcedamus iſtis ſua eſſe vēdibiliora, vt Tullius cum legum profeſſionibus loquēdo ait, hæc vero vberiora certe ſunt: at non eſt ingenui hominis, Lib. 1. de ſed cerdonis lucri gratia in bonarum artium ſtudia in- fin. cumbere, & ea in bonis habere, quæ non ſunt vere bo- Lege na, nec per ſe vitam faciunt beatam. Et ne vir Chri- lib. Fons ſtianus hæc dicere videatur, Tullium audiamus. Quos vit. & ſi titulus hic delectat (ſapiētis nimirū & beati hominis) ſap. inſignis & pulcher, Pythagora, Socrate, & Platone dignisſimus, inducant in animum illa, quorum ſplendore Tuſ. 5. capiuntur, uires, valetudinem, pulchritudinem, diuitias honores, opes contemnere, eaque, quæ his contraria ſunt, pro nihilo ducere: tum poterunt clariſſima voce profiteri, ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, neque paupertate terreri, omniaque ſibi in ſeſe eſſe poſita, neque eſſe quicquam extra ſuam poteſtatem; quod ducant in bonis. Neque hunc & hæc loqui, quæ ſunt magni cuiuſdam, & alti uiri, & eadem, & quæ vulgus in malis, & in bonis numerare, concedi vllo modo poteſt. En igitur, ut vir Ethnicus

vnica

vnica sententia a bonorum numero reijcit omnia ea, quæ isti, vero sapientiæ bono relicto, sibi sequenda putant; at vero ille vnum agnoscit bonum, honestum, & vnum malum culpam honesto oppositam. Et alio loco, Omitto, inquit, diuitias, quas, cum quiuis, quamuis indignus, habere possit, in bonis non numero: quod.n. est bonum non quiuis habere potest. Omitto nobilitatem, famamque popularem, stultorũ, improborumq; consensu excitatam. Hæc quæ sunt minima, tamen bona dicantur necesse est; candidali dentes, venusti oculi, color suauis, & ea quæ Euryclia laudat Vlyssi pedes abluens, lenitudo orationis, mollitudo corporis: ea si bona dicemus, quid erit in Philosophi grauitate, quam in vulgi opinione; stultorumque turba, quod dicatur aut grauius, aut grandius? Quid tandem, a Socrate, & Platone, perfectisque Philosophis faciendum putet? Quorum alij totam præstantiam in bonis animi esse dicunt, vt ab his corporis, & externa bona obscurentur: alij autem hæc ne bona quidem dicunt, in animo reponunt omnia. Quod si in solo animo vera sunt sita bona, Philosophia, & honestas, non erit cassum quiddam, inanis vocis sono decoratum. Omitto, quod etiam Philosophi, si vellent, & diuitias, vt Thales fecit, & honores sibi compararent, vt ex ijs quæ diximus, est omnino manifestum. Quod si homines intelligerent omnes insipientes esse pauperes & vere nudos, profecto eas sibi pararent opes, quibus non arca, sed animus repletur: q̃ nec eripi, nec surripi possunt, nec naufragio, nec incendio omittuntur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutantur: quibus qui muniti sunt, ij soli sunt diuites: soli enim possident res & fructuosas & sempiternas, solique (quod est proprium diuitiarum) contenti sunt rebus suis: satis esse putant; quod est; nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Gloria vero, & humanus rumor, quam sit flocci faciendus, de somno Scipionis, præter alia citata loca, ornatissime docet M. Tullius: qui

Tus. 5.

Tus. 5. in fin.

Cic. in parad. vlt.

qui locus esset omnino legendus ab istis, qui inani honoris ambitione laborant.

QVOD vero ad delectationem attinet, sequenti capite late dicemus: sicut etiam de labore non refugédo tanti boni comparandi caussa. Nunc breuiter cum bono Poeta hac de re agente dixerim, Virg. in Aeth.

Immensus labor est, sed fertilis idem:
Digna laborantis respondent præmia curis.

ET cum eodem, quod attinet ad voluptatem quæ ex rerum creatarum contemplatione exoritur, hunc in modum concludam,

Diuina est animi, ac iucunda voluptas.

QVI vero, ideo ab hoc honestissimo studio abstinent, vt vitæ consulant, vt corpus conseruent, ij ad Epicureos se conferat, pecudum more vt viuant: cum tamen nihil sit quod vitam diutius protrahat, quam frugalitas, quam temperantia, quam animi quies, quibus præsidijs soli Philosophi sunt muniti: ac proinde qui parce, qui continenter vixerunt, ij ad decrepitam vsque vt Democritus, Diogenes, Plato, Porphyrius, Priscus, & alij philosophando vixerunt. Atque ex his satis superque in contrarium allatis satisfactum sit argumentis.

Philosophiæ studium esse maxime delectabile. *Cap. XII.*



VONIAM vero id maximam vim habet ad animos, tum alliciendos, tum detinendos, quod aliquam delectationem secum affert, cum delectatio quasi esca quædam actionibus maioris momenti a natura adiuncta sit: propterea non erit inutile, si speciatim de ineffabili oblectatione, quæ in philosophando percipitur aliquid scripserimus; qui de re, quem integrum librum scribere possem, eum in pauca conferam. Nonnulli itaque falsa opi- Arist. lib. 10. eth.

nione decepti, existimant Philosophię studium esse omnino mœstum, horridum, omnique delectatione orbatum; non solum ob labores quos ad sapientiam acquirendam exantlare est necesse; sed etiam, quia Philosophia perpetuum bellum indixit voluptati: & veri Philosophi, vt ex nulla re aduersa mœrorem capiunt, ita nec secundis rebus, delectatione afficiuntur; immo in maximis miserijs, se beatos esse predicant. Denique, ideo, vt quidam accute disputat, Philosophia omni iucunditate carere videtur, quod, vt Aristoteles docet, intellectus speculatiuus, nihil dicit de rebus fugiendis, prosequẽdisque, voluptas autem tota in prosequutione consistit. Sed iã videamus an isti re vera decipiãtur.

Cice. par. 2. in Pis. Lact. lib. 5. c. 12. inst. Gaiet. In p. p. D. Tho. q. 26. ar. 4. Lib. 3. đ an. Tul. lib. 2. de fin. Tus. 5.

QVOD igitur solus sapiens ueris perfruatur voluptatibus, quæ in animo sunt sitæ, eas enim quæ corpore capiuntur, bestijs relinquimus, ex eo primum demõstratur, quod omnes animantes ex illis operationibus delectationem sumunt, quæ sunt suæ naturæ propriæ. Gallina garritu, coruus crocitatu, apes susurro, & ranæ coaxatione dellectantur. Quare, cum propria hominis actio sit cogitatio, profecto ex hac vna operatione potissimum delectationem capiet. Animo autem, inquit Tullius, multis modis, varijsque delectari licet, etiamsi non adhibeatur aspectus: loquor autem de docto homine & erudito, cui viuere est cogitare. Quod si ij hominem viuunt qui cogitant, profecto qui non cogitant mortui erunt: in mortuo autem quænam erit delectatio? necesse igitur est vt homines cogitent, si delectationibus perfui volunt humanis; & hæc est illa eudęmonia, quæ θεωρία τὶς, vocatur, Dei nimirum & rerum diuinarum cogitatio. Propterea idem Tullius cum Varone de studijs loquendo dixit, Nunc autem quid est, sine his cur viuere velimus? mihi vero cum his ipsis uix, his autem detractis, ne vix quidem. Quicunque, inquit Plato, ad disciplinas, ac cętera talia omnia desiderio flagrãt, puram ipsius animi expetunt voluptatem, corporis autem oblectamenta despiciunt, nisi quis fictus, non

Pla. lib. 6. đ rep.

verus

verus Philoſophus ſit. Videtur, ait Ariſtoteles, Philoſophia mirabiles quaſdam, tum ſynceritate, cum ſtabilitate continere voluptates. Ideo autem Philoſophiæ voluptates ſtabiles ſunt, quia quod actu intelligitur, ab omni mutatione, temporeque abſtrahit; ac proinde eſt quiddam ſua natura perpetuum, & immutabile, ſupra omnem motum & tempus exiſtens: quamuis ei accidat corruptio, ut a phantaſmate pendet. Quanta porro ſit voluptas quæ ex ueritatis inueſtigatione percipitur, eleganter & copioſe Plutarchus libro primo contra Colonem demonſtrat, qui locus omnino legendus eſt, vt etiã Plato in nono de rep. libro.

Lib. 10. eth. lib. 1. d par. an c. 3. Caiet. p. p. q. 50. ar. vlt.

DEINDE, illud eſt, & quidem neceſſario, ſumme delectabile, in quo cuiuſque poſita eſt beatitudo, quæ ſola per ſe eſt maxime delectabilis, ut maxime bona, ac omnium bonorum cumulus, firmaque eorundem poſſeſſio; atqui, vt ſupra non ſemel diximus, ſapientia cum pietate coniuncta, quæ eſt ipſa Philoſophia, iam adepta eſt ſummum hominis bonum; erit igitur ſumme delectabilis: quod bonum ſi ſemel homines guſtarent, vna cum M. Tullio dicerent, οὐδὲν γλυκότερον, ἢ πάντ' εἰδέναι, hoc eſt, nihil dulcius, quã omnia noſcere. Cum ergo omnes delectationes, quę in alijs bonis inueniuntur, ſint ueluti vmbræ quædam illius ſummæ delectationis, quæ eſt cum ſummo bono neceſſario coniuncta; profecto, qui ſe voluptatibus explere volent, ad hunc fontem accedent, ad quem qui pleno ore non bibet, perpetuo ſitiet. Quare, cum beate viuendi cupiditate, atque perpetuis voluptatibus perfruendi incenſi ſint omnes, omnes ad veræ ſapientiæ fontem aduolent, inique ſitim expleant, ſi tamen id poteſt ſitim extinguere, quo guſtato, maioré ſui ſitim procreat; ac proinde dum perpetuo ſatiat, perpetuo etiam detinet, cum nullum hæc ſatietas faſtidium gignat. Lætor quidem, Marcus Tullius loquitur, Philoſophiam cuius ante ſupellectilem pluris æſtimabam, quam poſſeſſiones reliquorum (ita mihi diues videbatur, vt ab ea petere poſ-

Lib. 4. ad Attic. Epiſt. 10.

Cic. lib. 5. de fin.

Lib. 5. d fin. in fine.

ſem,quidquid in ſtudijs noſtris concupiuiſſem)hãc igitur lætor etiam acutiorem repertam, quam cęteras: quod quidam ei deeſſe dicebant.

PRAETEREA, ideo Philoſophia maximam debet præbere,& præbet delectationem, quia nos ad maximarũ,& admirabilium atque reconditarum,nouarumque rerum notitiam quotidie traducit:quod ſi res admirabiles & nouæ,ut omnes docti fatentur,& quiſq; in ſe experitur,lætitiam procreant; profecto non video, quis maioribus & magis perpetuis voluptatibus perfrui poſſit,quam qui philoſophando quotidie noua & admirabilia inuenit,atque cognoſcit.Huc pertinet Archimedis Siracuſani exemplum, qui cum aliquid philophando illo ſuo admirabili ingenio de nouo inueniſſet, lætitia geſtiebat,atque in has voces prorumpebat,*ἄρικα,ἄρικα*,reperi,reperi.Et ſane,ſi homines leuiſſimorum rumorum,qui quotidie in plateis & circulis de nouo afferuntur, deſiderio tenent, tantaque cum delectatione eos audiunt, & auditos alijs narrant; quid de rerum diuinar, ac præclariſſimarum noua cognitione, præſertim ſi proprio labore fuerit comparata, dicendũ erit?Sed hic Tullium noſtrum hac de re ſapientiſſime loquentem audiamus.Atque omnia quidem ſcire, cuiuſcunque modi ſunt cupere curioſorum; duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſciẽtiæ,ſummorum virorum eſt putandum.Quem.n.ardorẽ ſtudij cenſetis fuiſſe in Archimede,qui dum in puluere,quædã deſcribit, attentus,ne patriã quidẽ captã eſſe ſenſerit? quantum Ariſtoxeni ingenium conſumptũ videmus in muſicis? quo ſtudio putamus Ariſtophanem ætatem in literis duxiſſe?quid de Pythagora, quid de Platone,aut Democrito loquar? a quibus propter diſcendi cupiditatem videmus vltimas terras eſſe peragratas. Quæ qui non vident,nihil vnquam magna cognitione dignum amauerunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea ſtudia,quæ dixi;non intelligunt,idcirco eſſe ea propter ſe expetenda,

Lib. 5. d fin.

da quod, nulla vtilitate obiecta, delectentur animi, atque ipsa scientia, etiamsi incommoda datura sit, gaudeant. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quæramus a nobis stellarum motus, contemplationesque rerum cœlestium, eorumque omnium, quæ naturæ obscuritate occultantur, cognitiones quemadmodum nos moueant; & quid historia delectet; quam solemus persequi vsque ad extremum; prætermissa repetimus, inchoata persequimur. Hæc Tullius.

IAM vero, si signis, si imaginibus affabre pictis, cũ vel monté vel arborem, vel floré, vel fonté, ad naturæ imitationé fictũ, ac etiã hoies, quasi nos spectantes nobiscumq; loquétes cernimus, ita admiramur, & admirando mirifica delectatione perfundimur; quanta oblectatione complebitur is, qui veros flores, veras arbores veros fontes, verasque animantes, non modo extrinsecus, sed etiam intrinsecus cerneret, admirabileque naturæ artificium obseruaret? cogitaretque quonam natura malleo flosculum dilatauerit, quo scalpello per poliuerit, quo circino dimensa fuerit, quibus forficulis inciderit, quibus coloribus variauerit, quibus denique odoribus suffiuerit. Quid, si quod de vno flosculo dixi, ad omnes omnium rerum quæ in hac mundi pulchritudine cernuntur traduceres? Quid spectaret, quid audiret, quid olfaceret, quid gustaret, quid denique contrectaret, vnde admirationis, & delectationis maximæ occasionem non sumeret? modo quid ageret, animaduerteret. Cũ itaq; animus, vt Tullius ait, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio, indulgentiaque discesserit, voluptatemque sicut labem aliquam, decoris oppresserit, omnemque mortis, dolorisque timorem effugerit; societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura coniunctos suos duxerit, cultumque deorum & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda, & reijcienda contraria; quæ

Lib. 2. de leg.

virtus ex prouidendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut cogitari poterit beatius? idemque, cum cęlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit; eaque vnde generata, quo reditura, quando, quomodo obitura, quid in ijs mortale & caducum, quid diuinum æternumque sit, viderit; ipsumque ea moderantem & regentem pene prehenderit; seseque non vnis circumdatum mænibus popularem alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi vnius vrbis agnouerit: in hac ille rerum magnificentia, atque in hoc conspectu, & cognitione naturæ, dij immortales, quam se ipse noscet, quod Apollo præcepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quę vulgo dicuntur amplissima. Hæc ille.

DENIQVE, ne in hoc latissimo campo latius excurrat oratio, si in hoc sapientiæ studio summa quædam & in explicabilis non contineretur delectatio, cur tot tantique homines spretis oblectamentis corporeis, opibusque, & honoribus, quæ bona tanti fieri solent, tanto cum labore, ad exteras, longeque remotas nationes, Philosophiæ consequendæ caussa, se contulissent? Pythagoras Democritus, Plato, Tullius, & Apollonius, siue ille magus, vt vulgus loquitur, siue Philosophus, vt Pythagorici tradunt, qui intrauit Persas, pertransiuit caucasum, Albanos, Scythas, Messagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit, & quæ apud Hieronymum de eius itineribus & laboribus sequuntur. Quid vero, inquit Tullius, qui ingenuis studijs atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti ipsa cognitione; & scientia captos? & cum maximis curis, & laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant voluptatem? Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur, in ijs quæ de syrenum cantibus finxerit. Neque.n. vocum suauitate videntur, aut nouitate quadam, & varietate cantandi reuocare eos solitæ, qui præter vehebantur; sed quia

Cic. lib. 5. de fin. Tus. 5.

Prol. in Gen.

Lib. 5. d fin.

multa se scire profitebantur, vt homines ad earum saxa discendi cupiditatē adhærescerent. Quid Democritus se oculis orbasset, quem vt stultum homines stulti rident, quod animi aciem oculorum aspectu impediri putaret, nisi multo maior ex rerum cogitatione, quam oculorum aspectu delectatio perciperetur? qui, licet luminibus amissis, alba & atra discernere non posset; tamen bona & mala, æqua iniqua, honesta & turpia, vtilia & inutilia, magna & parua poterat internoscere: & cum alij quæ sunt ante pedes non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate consisteret: cui sine varietate colorum licebat viuere beate, sine rerum notione non licebat. Cœcus Homerus, vt traditum est; at eius picturam, non poesim videmus, ait Cicero. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formę, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita ex pictus est, vt quæ ipse non viderit, nos vt videremus effecerit? Quid ergo, aut Homero ad delectationem animi, ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse vnquam arbitramur? In summa, hoc est illud Deorum Nectar, hæc illa ambrosia, ab antiquis decantata scriptoribus, Dei videlicet contemplatio, qua vt Deus efficitur beatus, ita & nos: in qua summam iucunditatem, eximiamque delectationem, sicuti etiam in eiusdem Dei cultu, sapientissimi quiq; esse confessi sunt. Adeo verum est, quod de voluptate ex studijs Philosophiæ percepta diximus, vt etiam Epicureæ scholæ sectator Lucretius, eam omnibus alijs voluptatibus prætulerit, cum cecinit.

Tus. 5.

Plut. Steu. lib. 6. c. 9.

Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere,
Edita doctrina sapientum templa serena,
Despicere vnde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

VNDE merito de Philosophorum iucunda vita Ouidius canendo exclamauit.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,

Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter, vitijsque, iocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus & vinum sublimia pectora fregit,
Officiumque fori militiave labor.
Nec leuis ambitio, perfuso, & gloria fuco,
Magnarumque fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia syera nostris,
Aethereaque ingenio supposuere suo.

Plinius. lib. 12. c.1. Plut. in Camil.

QVOD si suauitas fructuum, ut ficorum, olei, & vini, quos Italia profert, semel ab exteris nationibus degustata, potuit eas, proprijs sedibus & rebus relictis, ad alienum solum trahere: quanto magis ea summa & inexplicabilis dulcitudo, quam secum necessario veritatis cognitio affert, hominum mentes, omni alia spreta voluptate, ad se pertraheret, si semel degustaretur? Quare, quod ex Aristotele obijciebatur, intellectum contemplantem nulla permotione affici, intelligendum est, de ea permotione seu prosequutione, quæ appetitum elicientem sequitur, non de ea quæ necessario & naturaliter ex ipsa operatione proficiscitur. Licet ergo is, qui rem pulchram speculando cognoscit, ab ea non moueatur; tamen ea delectatione perfunditur, quæ ex tali cogitatione nascitur. Sed delectatione hucusque.

Quam sit necessarium humanæ Philophiæ studium in humana uita, & in rep. Christiana. Cap. XIII.



VONIAM quas supra attulimus Philosophiæ vtilitates, ex eiusdem etiam necessitatem plane demonstrant; ideo hoc loco quo modo, & quibus sit Philophia necessaria priuatim demonstrabo, ne ei nimium tribuatur, vt aliqui fecerunt, aut certe detrahatur aliquid.

QVOD auté doctrina philosophica tanquam neces-

ſaria in rep. Chriſtiana admittenda non ſit, hunc in modum aliquis ſuaderet.

PRIMO, quia nullibi vllum extat de Philoſophia perdiſcenda præceptum, ſiue diuinum, ſiue humanum: igitur tale ſtudium ab omnibus, ſalua religione, omitti poteſt.

DEINDE, id habendũ eſt pro neceſſario, ſine quo ſalus haberi non poteſt: atqui omnes fideles ſine Philoſophia ſalutem conſequi valent: non igitur neceſſaria.

POSTREMO, Chriſtiana ſchola hoc pro rato habet, felicitatem huius & alterius vitæ non eſſe ſitam huius, in humanis ſcientijs, vel in uirtutibus naturæ viribus comparatis, ſed in caritate, qua Deum ſupra omnia diligimus: falſum igitur erit, quod ſupra docuimus, Philiſophiam eſſe hominis finem; vnde eius maxima cernitur neceſſitas.

IN hac parte, quidam Philoſophi, tantum humanæ Philoſophiæ tribuerunt, ut in ea vltimam hominis felicitatem poſitam eſſe exiſtimauerint: in quorum numero fuit impius Auenroes: qui etiam auſus eſt affirmare, hominis rationem æquiuoce dici de homine docto, & de idiota: quod aliqui per hyperbolem dictum putant: quamuis eius verba & exempla aliter indicare videantur. Huc etiam pertinet quod alij dixere, non reperiri excellentiorem ſtatum, quam Philoſophiæ vacare, & ſolos Philoſophos eſſe huius mundi ſapentes. Similiter quod nonnulli noſtrorum temporum hæretici exiſtimarunt, quoſdam Philoſophos, vt Socratem, Catonem, & horum ſimiles, ſolis humanis virtutibus, uiribuſque, ſalutem fuiſſe adeptos.

AT vero Philoſophus Chriſtianus, maiore illuſtratus lumine, pro certo habet, perfectam felicitatem nemini in hac uita contingere, nec etiam imperfectam ſine priuato Dei auxilio, cum nullus improbus, quod etiam Tullius diceret, poſſit eſſe beatus; at virtutes omnes, quibus omnis tollitur improbitas, ſine priuato Dei auxilio, aſſequitur nemo. Vt quid in hac difficultate te-

nendum sit perspicue doceam, sequentia pono fundamenta.

PRIMVM fundamentum, tanta est humanę naturæ præstantia atque celsitudo, vt non sit ijs contenta bonis, dotibusque, quas suis viribus ac studio in vita acquirit, sed etiam ad alia maiora aspiret; id quod etiam Philosophus ethnicus fateretur, & aliqui fassi sunt: idque quisque in se experitur, quantumuis humanis disciplinis, virtutibusque sit ornatus: ac proinde omnes mortales aliquid amplius optant & expetunt, quã quod humana prę stat Philosophia. Et quod ad rerũ notitiam attinet, antiqui illi Philosophi, cum in abditas tectasque rerum naturas se penetrare non posse viderent, ad morum doctrinã explicandã, & potissime Socratici & Stoici omnes, se contulerunt. Quare, illam rerum humanarum diuinarumque scientiam, quam Philosophi mente conceperunt, & descripserunt, ac etiam tanquam absentem desiderarunt, in nulla secta, aut doctrina fuit. Hũc pertinet quod Socrates in sua apologia ait, se neminem inter eos qui sapientiam profitentur, nec inter poetas, nec inter artifices inuenisse plene sapientem; & ideo ab Apolline se iudicatum fuisse omnium sapientissimum, quod existimaret se nihil scire, & solum Deum esse sapientem: & oraculum hoc sibi velle, humanam sapientiã parui, immo nihil pendendam esse. Quare, ad verã beatitudinem, vel in hac, vel in alia vita consequẽdam, opus semper fuit aliquo maiore lumine, saltem interno, ut nos alibi plane docuimus, & infra etiam docebimus; cum humanam sapientiã cum Christiana comparabimus. Vnde, quæ de sua Philosophia ethnici scriptores magnifice dixerunt, vera quidem fuere: sed ea potius ei sapientiæ, quam animo concipiebant, quam ei quam assequuti sunt congruebant.

Steu. lib. 10. c. 5. & 6.

Lib. 2. Intr. in Theol.

SECVNDVM fundamentum, cum de hominis felicitate habetur sermo, duplicem ei felicitatem assignare possumus: vnam perfectam & absolutam in alia vita, quam etiam nonnulli Philosophi, sed vniuerse & confuse

ſe viderunt; quæ in clara naturæ diuinæ inſpectione & fruitione, vt Christiana ſchola docet, poſita eſt; alteram imperfectam & inchoatam, quæ in hac vita haberi poteſt. Hæc rurſus duplex eſt, vna Philoſophica, vt ita appellem, ea nimirum, quam homines naturali lumine cognouerunt, & in cognitione veritatis, tum ſpeculatiuæ, tum practicæ, & in honeſtate vitæ poſitam eſſe putarunt, vt ex ijs quę ſupra ſcripſimus, eſt manifeſtũ: altera Chriſtiana, quam nos Chriſti lumine illuſtrati, in cognitione Dei per fidem, & in eius ſupra omnia dilectione ponimus: quem etiam finem quidam Philoſophi ſuis ſcriptis inſinuarunt: verum ſolis naturę præſidijs nemo ad hunc etiam finem vnquam peruenire potuit, ut diuini & ſacri ſciptores docent. Quare, humana felicitas nō plene cognita & acquiſita fuit: ac proinde in quadam imperfecta rerum diuinarum & humanarum notitia, & in vitæ honeſtate non abſoluta, poſitam fuiſſe dicendũ eſt: ad quam, (natura vitijs & erroribus debilitata & diuina ope deſtituta) alij magis, alij minus acceſſere. Et quidem, qui in hoc vitæ genere maiores faciebant progreſſus, ij magis erant idonei qui, diuina ſuppeditante gratia, ad Chriſtianam huius vitæ beatitudinem traducerentur. Et hoc eſt quod nonnulli ex noſtris dixerunt, Philoſophiam fuiſſe veluti pædagogum ad Chriſtum, ac etiam ſuo modo hominem iuſtum feciſſe. Quo loco obſeruandum eſt, quod licet olim apud Ethnicos, non omnes Philoſophiæ operam nauauerint, ſicuti nec apud nos omnes in Theologiam incumbũt, quamuis omnes aliqua egeant cognitione, quam a Theologis accipiunt: tamen in ſtatu legis naturæ, neceſſe fuit, vt aliqui Philoſopharent, & ea cognoſcerent, quæ ad recte de diuino numine, & de moribus ſentiendum, ſcitu erant neceſſaria, vt ea tanquam ordinarij magiſtri alios docerent: vt ſpeciatim ſunt hæc duo principia, Deum exiſtere, & remuneratorem eſſe: quę duo documenta, aliqui fidei prę ludia vocant, & quędam alia, quæ cum his ſunt coniuncta; vt notitia de bonorum & malorum finibus, de animorum

Clem. Alex.

Paul. ad Heb.

D. Tho.

morum immortalitate, de diuina prouidentia, & de moribus, ad legem naturæ pertinentibus. Alias enim oues illæ, Gentes intelligo, necessaria & ordinaria ad bene beateque agendum luce fuissent destitutæ.

TERTIVM fundamentum, aliquid dicitur necessariũ dupliciter: vno modo absolute, vt Deum esse, duo & tria efficere quinque, & hominem esse animal rationis particeps: altero, ex suppositione, vt posito aliquo fine, ad eius cõsequutionem necessaria sunt media. Hoc rursus duplex, alterum quod dicitur necessarium simpliciter, sine quo nullo modo finis haberi potest; vt posito quod aliquis velit viuere, necessarius est cibus: alterum quod est vtile, & commodum, ad bene esse, vocant; vt volenti Romam ire, vtilis est equus. Hic dubitatio est de necessitate ex hypotesi, an Philosophia sit necessaria simpliciter, an solum vtilis. Id quod adhuc duobus modis intelligi potest; primo vniuerse in tota rep. humana, aut christiana; secundo respectu singularum, aut aliquarum personarum. Potest etiam dubitari de necessitate partium Philosophiæ comparãdo eas inter se, vt de speculatrice, & actuosa, vtra sit magis necessaria, & de earum partibus. Illud etiam adnotauerim, aliquid esse expetibile, vel solum propter aliud, vt pecunia, & fortunæ bona, quæ non expeterentur, nisi ad aliud bonum obtinendum, conseruandumque conferrent: vel propter se, cuiusmodi est id quod est honestum, quamuis sub alia ratione ad aliud referatur; vt virtus ad consequendam vltimam felicitatem, & veritatis notitia, quæ bona per se expeterentur, etiamsi alio referri nõ possent, cum sint bona naturæ maxime consentanea. Quare id solum propter se absolute expetitur, quod nullo modo potest referri ad aliud; vt est beata vita, cuius asciscendæ caussa sunt facienda omnia. hæc sunt quæ adnotasse volui: quæ dicenda restant, quibusdam positionibus cõplectar.

PRIMA positio, vltima ac perfecta hominis felicitas non est sita in cognitione quæ habetur per humanam

nam Philoſophiam. Doctrina eſt certiſſima fide tenẽda, quam quia nos hoc loco tanquam fundamentum ponimus, ideo breuiter confirmabimus; plura qui volet Theologos conſulet. Primum, quia huic bono non conueniunt omnes conditiones, quæ ſummo bono vltimæque beatitudini tribuuntur; vt quod ſit bonum ſimpliciter perfectum, per ſe expetibile, ita vt omnia ad ipſum referantur, & ipſum ad nullũ: quod ſit cauſſa & principium omnium bonorum, & bonum ſupra omne bonum, optimum, pulcherrimum, delectabiliſſimum, & maxime honorabile; & in ſumma, vt noſtri docent, quod ſit ſtatus quidam omnium bonorum aggregatione perfectus: ex quibus conditionibus, nec omnes, nec omni ex parte Philoſophiæ bono conueniunt; præſertim illa, quod humanum appetitum ſatiet. Deinde, vltima felicitas in ea re debet eſſe poſita, quæ ab omnibus acquiri poſſit: atqui, vt omnino manifeſtum eſt, Philoſophiæ poſſeſſio non eſt huiuſmodi: igitur hoc ei tribuendum non erit. Denique, impius Auenroes hac in parte ſibi cõtradixit, cum alibi ſcriptum reliquerit, felicitatem aduenire poſt Philoſophiam, & conſiſtere in quadam vnione intellectus cum ſubſtantiis abſtractis; quod etiam eſt falſiſſimum, cum in nullius boni creati adoptione conſiſtat, ſed in vnione per intellectum & volũtatem cum ſummo rerum omnium principio. Vnde longe melius quidam de vltimo fine philoſophando dixit, Felicitas eſt cuiuſcunque rei reditus ad ſuum principiũ: eſt enim ſummum bonum, quod omnia appetunt; hoc autem eſt ſummum ens, omnium rerum principium. Ex allata doctrina colligeres, vltimum hominis finem ſimpliciter, non eſſe congruenter naturæ viuere, nec naturalem legem efficere hominem beatum. Quare, cum iſta a Philoſophis ethnicis dicuntur, intelligenda ſunt de quadam inchoata & imperfecta beatitudine, quæ in hac vita haberi poteſt.

Arist. lib. 1. eth.

Boet.

Arist. 1. eth.

D. Tho. 1.2.q.2.

Ioa. Pic. proœ. lib. 7. hetap.

SECVNDA poſitio, vera ſed imperfecta huius vitæ bea-

beatitudo non consistit in cognitione,& in virtute,quæ solis naturæ uiribus comparatur :& ideo nemo vnquã Philosophorum potuit vere appellari beatus in hac vita per eam notitiam & bonitatem, quam solis naturæ præsidijs sibi comparauit. Quoniam nemo eum uocaret beatum, etiam ipsis Philosophis adstipulantibus, qui in aliquo esset vitio, ob quod summo Parenti esset inuisus, cui qui inuisus est, infelix est: atqui veritas catholica docet, nos non posse omnia vitia vitare, & omnes virtutes comparare sine auxilio diuinitus concesso:igitur. Et hoc confitebantur Philosophi, & Gentes,cum nostrorum viuendi rationes obseruando dicebant,Qui sunt isti,qui ea faciunt,quæ dicunt?Et Epictetus contra suos indignabatur,qđ non ita honeste viuerẽt,vt nostri viuebãt:immo nec ipse eorũ magister.

Conc. Arauſ. Mileu. Trip.

TERTIA positio, huius vitę vera & inchoata beatitudo consistit in cognitione quarundam veritatum, quæ partim lumine naturæ, partim diuino cuique notæ esse possunt, & in amore Dei supra omnia. Hæc etiam doctrina est certa fide tenenda: quam etiã meliores Philosophi non negarent; & ex ijs quę diximus veram esse plane constat. Concludamus igitur,per humanam Philosophiam non tantum bonum nobis accedere,vt dicere debeamus, eam esse necessariam tanquam vltimum finem, etiamsi de inchoato & imperfecto fine loquamur.

QVARTA positio, Philosophiæ studium humanæ reip. est simpliciter necessarium, si beata vita in ea sit futura. Hanc veritatem demonstrant nonnullæ vtilitates, aut potius necessitates, quas supra attulimus; vt sunt illæ quę a cognitione Dei,& nostri,& vltimi finis, ac etiam a confutatione errorum,& a defensione veritatis sumuntur.Et quod attinet ad remp. ciuilem hoc expresse docuit Plato,cum dixit, Itaque non prius desinere humanum genus in malis versari,quam,aut homines recte vereque philosophantes rerum gubernationem adepti fuerint; aut hi qui gubernant, diuina

Epist.7.

qua-

quadam ſorte philoſophentur: cuius pene diuinam ſententiam omnes poſteri approbarunt: quam etiam ipſa exempla confirmant. Nam qui principes melius remp. adminiſtrarunt, ij Philoſophiæ non fuerunt ignari, & Philoſophorum delectabantur commercio, eorundemque vtebantur conſilio. in quibus Numa Pompilius, Alexander, Cæſar Auguſtus, qui multum Philoſophiæ tribuit, Traianus, Antoninus, Lucullus, Brutus, & alij. Ideoque antiquitus melius populi gubernabantur, cum ijdem erant Principes, Philoſophi, & ſacerdotes. Omnes bene adminiſtratarum ciuitatum leges a Philoſophis fuerunt conſtitutæ, aut ex eorum doctrina depromptæ. Hi ſoli ciuitatum beatam vitam cognouerunt, & ad eam conſequendam bonas leges ſtatuerũt. Deinique, ne in loco ampliſſimo latius, quam neceſſitas poſtulat, calamus excurrat, cum Hoſpite Athenienſe apud Platonem concludam, Omni crimine legumlator carebit, ſi melius de dijs, quam priſci ſentiat, & optima vſus diſciplina, deos hymnis colat, beatitudineque extollat, atque ita vitam tranſigat: cuius ſententiam, his verbis laudauit Clinias. Recte tu hoſpes, quandoquidem finis hic legum tibi propoſitus eſt, vt Dei cultu & vitæ puritate optimum atque pulcherrimum exitum conſequaris. Huc pertinet hæc pulcherrima Lyrici Poetæ ſententia,

Plut. in Apoph. Lege Plut. opus. Lege Tiraq. lib. de Nobilit. c. 5. num. 10. & 11 Ariſti in Pol. In Epinom.

Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quo te cæleſtis ſapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc ſtudium parui properemus, & ampli,
Si patriæ volumus, ſi nobis viuere cari.

QVOD vero attinet ad rempub. Eccleſiaſticam & Chriſtianam, vt nunc omittam quod ſupra dixi, de doctrina rerum creatarum primo Parenti, & Salomoni ad bene regendum eis tanquam neceſſaria conceſſa, ſi in eccleſia talis doctrina non eſt eo modo quo diximus neceſſaria, quæ cauſſa fuit, ut ſancti Patres tantopere in eã incumberent, eamque defenderent? & in hunc finẽ diuus Marcus Academiam Alexandrinam inſtitueret?

atque

atque sacra concilia ad hæc studia colēda eos, qui alijs præesse debent obligarent? Quomodo veritas contra pseudophilosophos sine vera Philosophia defenderetur? Quis sine miraculo diuina oracula recte exponeret? sane vnquam nemo.

Posterius. SED petat aliquis, si Philosophiæ cognitio est ita necessaria, cur Deus rerum natura constantium arcana nobis non reuelauit? Cui responderem, satis fuisse Deum nobis cœlestem panem cœlitus dedisse, eam nimirum doctrinam, quam nostris viribus acquirere non poteramus, eum vero quem nostro studio nobis parare fas erat cōueniens fuit, vt nobis, ad nostrū maiorem honorē gloriamque parandum relinqueret; vt in sudore, nostro, nostro vesceremur pane. Dedit itaq; Deus nobis vt Sapiens ait, hanc occupationem pessimam, hoc est laboriosam, ne hanc vitam otiose transigeremus. Adde etiam, quod Deus a principio hanc doctrinam reuelauit, quæ per traditionem ad posteros potuit dimanare, & per multa sæcula dimanauit; sed hominum improbitate, & speciatim linguarum confusione aliqua parte fuit amissa.

Eccs. 1.

DENIQVE, hæc doctrina, quantum ad ea quæ vniuerse omnibus necessaria erat per diuina oracula instaurata fuit, & speciatim ratione eorum quæ ad Dei ac nostri, & ad morum cognitionem pertinent.

QVINCTA positio, Philosophiæ cognitio quibusdam artibus, si perfecte cognosci, ac exerceri debent, est simpliciter necessaria, Doctrina est manifesta, & patet ex ijs quæ supra de vtilitate agendo diximus.

SEXTA positio, aliqua eorum quę in Philosophia tractantur notitia, vel proxime, vel remote est omnibus hominibus necessaria. Quoniam nulla resp. vt docuimus, sine ea recte administrari potest: & bona pars earum rerum quæ in sacra Theologia tractantur, ex Philosophia deprompta est: quamuis alijs rationibus res illæ probentur, & ad alium finem referantur; quod si illa, aliqua parte, omnibus est necessaria, hæc etiam

erit

erit: præsertim ratione eorum, quæ sunt veluti fidei præludia.

Septima positio, Philosophiæ cognitio est quoddam bonum per se expetendum. est Doctrina certissima, & satis patet ex ijs quę supra docuimus. Atque his positionibus huic difficultati satisfactum puto: argumenta in contrariũ allata hunc in modum solueres.

Ad primũ, in primis, datur præceptum ecclesiasticum de cognitione Philosophiæ, vt supra docuimus: deinde datur etiam præceptum naturale, siue diuinum implicitum, cum id scire quisque debeat, sine quo nec Deũ, nec se, nec honestas vitæ rationes cognoscere potest; quam cognitionem per Philosophiæ doctrinam habemus.

Ad secundum, nemo salutem consequetur, nisi vel per se, vel per alios aliquarum rerũ notitiam habeat, quæ in Philosophia tractantur; vt sunt legis naturæ præcępta, & recta eorum quantum cuique satis est intelligentia, quamuis ex diuina beneficentia, in Sacris literis fuerint repetita.

Ad tertium, hoc argumentum solum conficit, in sola naturali rerum diuinarum & humanarum notitia non esse sitam nostram absolutam felicitatem, quod libenter concedimus: sed ad eam obtinendam & conseruandam, Philosophicam doctrinam non esse eo modo quo diximus necessariam, non probat. Verum tamen est, nos, qui maiore & perfectiore lumine sumus illustrati, non ita proxime naturalis doctrinæ lumine indigere, vt olim Gentes, quæ in lege naturæ fuere. Sed de his accuratius Theologi disputent: nos nihil amplius Philosophiæ tribuimus, aut tribuere volumus, quam catholica veritas tribuit: quod is sane intelliget, si quid, & quomodo ei tribuimus, animaduertet: & adhuc planius paullo infra cognoscet, vbi Philosophiã cum Christiana doctrina comparabimus.

Vtra Philosophiæ pars sit fructuosior, speculatiua, an practica. Cap. XIIII.



CVM Philosophia, vt supra diximus, & infra planius dicemus, in duas primas sit distributa partes, in cognoscentem, & agentem has ambas inter se nunc comparare volumus; vt, vbi vtra sit magis necessaria & fructuosa, notum fuerit, in ea magis elaboremus, quæ plus emolumenti afferet. Quamuis ergo multæ inter Philosophiæ partes comparationes fieri possint: nos tamen hac vna, quæ nullo modo est ignoranda, contenti erimus.

VBI animaduertendum est, nos in præsentia nolle examinare celebrem illam disputationem, de præstantia & dignitate vitæ speculatiuæ & practicæ, quam passim a multis tractatam inuenies, sed solum de fructu & vtilitate, quæ ex vtriusque doctrina percipi a nobis potest, differere volumus. Ponimus itaque vtrâque suas habere vtilitates, sed quærimus, vtra maiores, tum respectu sui, tum aliorum. Quod autem ea pars sit fructuosior, quæ res sola cogitatione attingit, his rationibus persuaderi potest.

Max. Tyr. Fran. Patr. lib. 6. de regno.

PRIMO, id debet fructuosius censeri, quod maxime naturam attingit humanam: atqui eiusmodi est ea Philosophiæ pars, quæ sola cogitatione est contenta, cum vita hominis, auctore Tullio, sit cogitatio: igitur.

Tus. 5.

SECVNDO, id est fructuosius, quo congruenter naturæ viuimus, in quo beatam vitam positam esse passim meliores Philosophi docent, & multis in locis M. Tullius: at, eodem auctore, ei qui conuenienter naturæ sit victurus proficiscendum est ab omni mundo, & ab eius procuratione: igitur.

Lib. 3. de fin.

TERTIO, quia honesta vita & Philosophia practica videtur referri ad speculationem; ac proinde in cognitionis vita, tanquam in fine potius commorandum erit, quam in actuosa.

QVOD

QVOD attinet ad opiniones circa propositam, difficultatem duas hic possumus notare philosophantium sententias: vnam eorum, qui cognitionis vitam magis sibi colendam putarunt: alteram aliorum qui magis actuosa Philosophia delectati sunt; ut ex eorum vitis cognoscere licet; vnde alij magis in rerum naturis inuestigandis tempus consumpsere, alij vero in formandis hominum moribus elaborarunt: illi quæ extra nos sunt inspexerunt, hic quæ in nobis sunt, & a nobis fiunt examinarunt. Nos de hac re ita statuimus.

PRIMA positio, vt aliquis vere Philosophus vocari, & vitam Philosopho dignam viuere queat, utramquem Philosophiæ partem colere dēt. Primo, quia Philosophia hominem perficit, cuius duę sunt partes, ratio, & appetitio: illa veritate, hæc virtute, illa cogitatione, hæc actione perficitur: quare, vt homo sit, vt inquit ille, totus teres atque rotundus, vtraque Philosophiæ parte perficiendus erit. Deinde, idem confirmares a fine hominis, qui ad intelligēdum & agendum factus esse videtur, vt his verbis contra Epicureos disputando docuit M. Tullius, Hi non viderunt, ut ad cursum æquum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles, intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem deum. Denique, vt in extremis verbis allatæ sententiæ indicatur, Philosophiæ est, reddere hominem Deo similem: at ista similitudo, in cognitione & actione consistit, vt supra docuimus: igitur.

Horat.

Lib. 2. de fin.

SECVNDA positio rerum naturalium, atque sublimium inspectio maxime confert ad proficiendum in vita actionis. Hoc dixerim cōtra eos, qui nō vidētes quātum mens humana rerū creatarum notitia illustrata, in honestate vitæ proficere queat, se totos ad actionem tradunt, qui cum rerum maximarum luce careāt, minus, tardiusque in agendo proficiunt. Hanc doctrinam his luculentis verbis expressit M. Tullius. Neque vero potest quisquam de bonis & malis vere iudicare,

Lib. 3. de fin.

nisi omni cognita ratione naturæ, & uitæ, etiam Deorum, & virum conueniat nec ne, natura hominis cum vniuersa. Quæque sunt vetera præcepta sapientium, qui iubent tempori parere, & si qui Deum, & se nōscere. Ad cuius confirmationem facit etiam id quod Indum quendam Socrati respondisse perhibent. Cum Socrates prius in rerum naturis inuestigandis operam posuisset, & postea ad ciuilem virtutem & vsum se totum tradidisset, a quodam Indo interrogatus, quomodo & quid faciendo Philosophus fieret, Respondit, si quomodo viuendum sit homini consideres: atqui Indus ridendo dixit, Neminem posse recte res humanas intelligere, qui diuinas ignoret, vt etiam diserte in allata sententia docet M. Tullius. Ignorata itaque Dei natura, mundique prouidentia; necesse vt ingens malorum erumpat congeries, vt merito Iuuenalis in hæc verba proruperit,

Arist. lib. de par. an. c.c.i fin. Euseb. lib. de pp. c. 5. & lib. 11. c. 1.

Sat. 10.

Heu primæ scelerum caussæ mortalibus ægris,
Naturam ignorasse Dei.

Quo ignorato, eiusdem ignoratur prouidentia, animorum perpetuitas; & in summa ex eadem ignoratione, sui nascitur ignoratio, & illa de qua dicebamus malorum congeries.

Prud. lib. 2.

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit super esse meum post funera quicquam.
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus,
Incestos torros, sacrum calcabo pudorem;
Inficiabor, &c.

DENIQVE, cum nemo honeste viuere queat, nisi seipsum cognouerit, totumque explorauerit, quod prudens negaret nemo, & ista sui cognitio sine earum rerū quas diximus inspectione, haberi non queat: profecto non multum in vita proficiet humana, qui eas nō nouerit. Is itaque demum se, aliosque recte instituet, & cum suo, & alieno fructu in communi vita versabitur,

qui

qui per theoricam Philosophiam, rerum sublimium, suique non mediocrem adeptus fuerit cognitionem.

TERTIA positio, ea supposita de qua diximus scientia, vtilius ac fructuosius esse existimarem, eam Philosophiæ partem docendo, scribendo, atque adusum traducendo excolere, in eaque plus temporis collocare, quæ in actione consistit. Primum, quia experientia docet, eos meliores fuisse Philosophos, vniuerse loquendo, qui de moribus philosophati sunt, quam qui de solis rebus naturalibus, ut Socratici, Platonici, et Stoici: & ob hanc caussam maximam Socrates meruit laudem, quod post naturalem rerum notitiam, ad morum Philosophiam, cuius auctor existimatus fuit, se totum tradiderit. Deinde, quia experientia docet, maiores capi fructus ad recte vitam instituẽdam, hoc enim nunc quærimus, si eorum legamus scripta, qui de virtute, de moribus, atque de beata vita egerunt; vt Platonis, & Platonicorum & Stoicorum omnium, Epicteti, Senece, M Tulij, & similium, quam aliorum, qui in rerum naturis inuestigandis toti fuerunt occupati: de quibus illud dici posse videtur, quod Paulus ait, Eos euanuisse in cogitationibus suis, cum non ita Deum coluerint, seque recte instituerit, ut Deũ, & se aliquo modo cognouerunt. Præterea, idem confirmatur auctoritate Platonis, qui epistola ad Aristodorum eam appellat veram Philosophiam, quæ mores spectat: alias vero scientias potius ornamenta recte appellari affirmat. Et sane, cum sola virtus nos bonos, ac proinde vere beatos efficiat, quod de nuda rerũ cognitione affirmari minime potest, profecto, ea Philosophiæ pars præcipue colenda erit, quæ mores format, & homines bonos reddit. Huc pertinet hæc præclara Lyrici Poetæ sententia. Epist. 10. Hor. ib. 1. Ipist. c

Quare fugam morbi, uis recte viuere? quis non?
Si virtus hoc vna potest dare: fortis omissis
Hoc age delitijs. Virtutem verba puta, vt
Lucum ligna?

IAM, vero huc facit, quod omnes Theologi docẽt,

huius vitæ beatitudinem, potius in amore, quam in cognitione cõſiſtere, quidquid nunc ſit de alia uita: atqui amor ad vitam pertinet actiuam: igitur, vt magis ſimus beati, magis eam Philoſophiæ partem colamus, quæ in agendo, quam quæ in cognoſcendo conſiſtit. Denique, cum in Philoſophia ſit quoddam ſingulare bonũ, & de boni natura ſit ſe cum alijs communicare, quod in actione conſiſtit, ni minus boni, ni nobis ſolis natos eſſe videri volumus, quod ingrati & inuidioſi hominis eſſe videtur, ob quam cauſſam Philoſophia aliquam perpeſſa eſt calumniam, ea præcipue Philoſophiæ pars colenda erit, quæ ſe cum alijs communicat. Quare ſapienter a Seneca dictũ fuit, ſi cum hac exceptione detur ſapientia, ut non communicem, non eſt tanti, ut ſudem & æſtuem; cum nullius boni ſine ſocio ſit iucunda poſſeſſio. Neque ijs quæ diximus, in contratium allata obſtant argumenta, vt ex eorum ſolutione patebit.

AD primum, non minus attingit naturam humanã bonitas, & virtus, quam veritas & ſcientia quantacunque ſit; cum ab ea homo non appelletur ſimpliciter bonus, vt a vita cum honeſtate coniuncta appellatur. Hunc facit, ſententia illa Euripidis, qua aiebat,

In Ione. ἢ θανεῖν, ἢ ζῶ καλῶς,

Id eſt, Aut moriendum, aut honeſte viuendum.

AD ſecundum, congruenter naturæ viuere, ex meliorum Philoſophorũ ſentẽtia, & ex Tullio varijs in locis, nihil aliud eſſe videtur, quam cum virtute viuere, quod qui faciunt, in actione verſantur. Illi uero, qui ſola mentis agitatione contenti, in vmbra viuunt, ab eodẽ Tullio minus laudantur. Lib. 1. offic.

AD tertium, licet honeſta vita ad ſapientiam veritatemve comparandam ſit neceſſaria: tamen, ne in cognoſcendo mens euaneſcat, & vt perfecta acquiratur ſapiẽtia in vtraque vitæ parte collocata, cognitio ad actionem reuocanda eſt. Sed pro noſtro inſtituto hac de re hæc leuiter attigiſſe ſufficiat.

Chri-

Christianæ & humanæ Philosophiæ comparatio. Cap. XV.



Vę multa atque præclara de vtilitate, atque necessitate humanæ Philosophiæ disserendo diximus, legentium animos ad eam cognoscendam, Christiana sapientia posthabita, facile commouere possent; ideo ne quis hac in parte peccet, hasce ambas sapientiæ vniuerse sumptæ partes inter se conferendo, quantum Christiana Philosophia humanam antecedat, paucis demonstrabo. Ex quo planum fiet, quam vere antiqui Patres, contra ethnicos Philosophos agendo, sacram doctrinam profanæ sapientiæ prætulerint: & non tantum humanæ doctrinæ esse tribuendum, quãtum olim ab ijs, qui solo naturæ vitiatæ lumine vtebantur, ttibutum fuit. Et quamuis de re proposita integrum volumen scribi posset: nobis tamen qui Introductionem conficimus, & alias integro libro de Christiana doctrina copiose egimus, si breuiter egerimus, vitio dandum non erit. Lib. Fõtis vitæ & sapiétiæ.

SED diceret hic aliquis, hunc laborem a nobis frustra suscipi, cum Philosophia humana eadem esse videatur cum diuina. Quandoquidem eandem habent subiectam materiam quam tractant, res diuinas & humanas: eandem efficientem caussam, cum Deus vtriusque auctor dicatur: eundemque finem, veritatis cognitionem, & beatam vitam. Cæterum & in his, & in multis alijs differre, nonnulla inter eas assignando discrimina, plane indicabo. Ex quibus etiam intelligetur, quantum Christiana sapientia ethnicam antecellat.

PRIMO igitur differunt ratione caussæ efficientis: quia licet Philosophia humana industria, aut inuenta, aut culta, aliquo pacto sit a Deo, remote tamen, non proxime: at vero nostræ proximus auctor fuit Deus ipse; ut merito Hebræi hac de re aduersus Gẽtes gloriarentur, & nos multo magis gloriari possimus. Et sanæ; si Rom. 3.

Psal.147 nostra non fuisset penitus diuina, nunquam sibi subijcere potuisset humanam. Vt vere canere nobis liceat, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

SECVNDO, ratione rerum quas continent: nostra non solum res humanas & diuinas, quæ humano studio attingi possunt, continet, sed etiam multa, ad quorum notitiam humana intelligentia peruenire nõ potest; ut sunt multa arcana, quæ nostrá doctrina habet: Mysterium de Deo trino & vno, de corporũ excitatione, de clara diuinæ naturæ in omnem æternitaté inspectione, & id genus alia: ac proinde eam superat, & ab ea est diuersa ratione materiæ. Quod si quæ his de rebus humana Philosophia adumbrate & imperfecte dixit, a nostra accepit: & quod illa quasi ad obscurum Lunæ lumen vidit, nos ad clarum Solem cernimus. Est itaque nostra Philosophia priscæ & caligantis sapientiæ manifestatio. Ad ea quæ diximus confirmanda & locupletanda facit hic pulcherrimus Augustini locus; vbi, cum de prædictionibus quæ in nostra doctrina habentur, quibus euidenter demonstratur esse diuinam, verba fecisset, ita scribit. Hæc omnia sicut leguntur prædicta, sic cernuntur impleta: atque ex is iam tot, & tantis, quæ restant, expectãtur implenda. Quæ tandem mens auida æternitatis, vitæque præsentis breuitate permota, contra huius diuinæ auctoritatis culmen lumenq; contendat? Quę disputationes, quæ litteræ Philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis ex quibus Christus dicit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo sunt comparandæ? Diliges Dominum Deũ tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarũ caussę in Deo creatore sunt: hic Ethica quoniã vita bona & honesta non aliunde formantur, quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diligũtur,

Ambro. præf. in Luc.

Epist. 3. ad Volus.

tur, hoc est Deus, & proximus: Hic logica, quoniam veritas, lumenque animæ rationalis non nisi Deus est: Hic etiam laudabilis reip. salus: neque enim conditur & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cum bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est, atq; in illo uicissim sincerissime, se diligunt homines, cum propter illum se diligant, cui quo animo diligũt, occultare non possunt. Hæc Augustinus.

TERTIO ratione finis, quoniam nostra verum, perfectum, & summũ finem hominibus plane manifestat; illud nimirum bonum, quod nunquam sub ullius hominis oculos, aures, & intelligẽtiam cecidit; de quo solo affirmare licet, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum: at vero humana non item, vt patet ex dictis. 1. Cor. Boet.

QVARTO, ratione perfectionis, quia nostra est ex omni parte perfecta, & absoluta, cum solum vera, & bona contineat, falsi & mali nihil: humana autem nonnullis est aspera erroribus, ut infra plane patebit, cum Philosophorum eriata recensebo.

QVINTO, ratione formæ, qua tradita & scripta fuit: quia nostra, ut quæ a Deo cuius sapientia est infinita, ortum habuit, non disserendo, non probando, sed per simplicem veritatis pronunciationẽ data fuit. Nec enim decebat, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas uoces, tanquam fides ei non haberetur; sed vt oportuit, est loquutus, quasi rerum omnium maximus iudex, cuius non est argumentari, sed pronunciare uerum. Scripsit Aristoteles, vt quidam humanus magister de moribus, disputãdo, probando, ac refellendo, accommodate ad iuuenes docendos: at diuinus spiritus per effata & pronunciata; ut sapientem decet, ad sapientes instruendos accommodate loquutus est. Vnde colligeres, quantum errent illi, qui ideo minus libenter sacram doctrinam legunt, quod eam sine argumentis datam esse uideãt: Firm. lib. 3. c. 2.

non

non animaduertentes quid diuinam sapientiā decuerit. Scripsit Plato de humanis diuinisque rebus, sed ornate, & splendide, & quodam uerborum lenocinio; quo sane fuco ea quæ docebat, ut minus speciosa, & vera, egebant; quibus extrinsecis additamētis simplex & nuda veritas, quia satis ornata per se est, cum non egeat, nullo aliunde ornata quæsito circumlita fuit: quamuis non fuerit ruditer tradita, ut quidam falso calumniati sunt; id quod alio libro plane domōstraui.

Lact. Loc. cit.

De oratore diuino.

SEXTO, nostra doctrina quam longissime distat ab humana, eamque antecellit, potestate & viribus: quia licet humana sapientia, aliquid luminis præbeat: tamen ad ea quæ ostendit agenda, uires suppeditat nullas. Est itaque hoc unicum & singulare christianæ doctrinæ priuilegium, atque hæc suprema præeminentia, vt vires ad id efficiendum præbeat, quod faciendum docet; quod nulli doctrinæ, nulli legi, etiam antiquæ a Deo datæ, concessum fuit. Hanc singularem nostræ doctrinæ prærogatiuam, his singularibus verbis, hac de re agendo, expressit Firmianus. Quod ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, nec a Philosophis fieri posse uiderunt; sola hæc efficit doctrina celestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiam sibi: aut cuiusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt; cum ipsi cedant uitijs, & fateantur plus ualere naturam. Dei autem præcepta, quia & simplicia, & facilia sunt, quantum ualeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi uirum qui sit iracundus, maledicus, effrœnatus, paucissimis Dei verbis, tam placidum, quā ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris & mortis; iam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulatorem, ganeonem: iam sobrium,

castum,

castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem. iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuo & æquus & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. tanta diuinę sapientiæ vis est, vt in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam vno semel impetu expellat. ad quod faciendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile cito: modo pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Hæc ille.

SEPTIMO, in eo nostra ab alijs secernitur & cæteras omnes superat disciplinas, quod se cuique, etiam rudissimo, parabilem præbet, & neminem a se excludit, sed cuiusque ingenio est accommodata: quam prorogatiuam his ornatissimis verbis idem Firmianus exposuit. Summus ille noster (Tullium intelligit) Platonis imitator existimauit Philosophiam non esse vulgarem; quod eam non nisi docti homines assequi possent. Est, inquit, Philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens. Non est ergo sapientia, si ab hominum cœtu abhorret. Quoniam si sapientia homini data est, sine vllo discrimine omnibus data est; vt nemo sit prorsus, qui eam capere non possit. At illi virtutem humano generi datam, sic amplexantur, vt soli omnium publico bono frui velle videantur: tam inuidi, quam si velint deligare oculos, aut effodere cæteris, ne solem videant. Nunquid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum, ac diuinum lumen auferre? quod si natura hominis sapientiæ capax est, oportuit opifices, & rusticos, & mulieres, & omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri, vt sapiant, populumque ex omni lingua, & conditione, & sexu, & ætate conflari. Maximum itaque argumentum est, Philosophiam neque ad sapientiam tendere, neque ipsam esse sapientiam, quod mysterium eius barba tantum celebratur, & pallio. Senserunt hoc adeo Stoici, qui & seruis, & mulieribus Philoso-

losophandum esse dixerunt: Epicurus quoque, qui rudes omnium literarum ad Philosophiam inuitat: item Plato, qui ciuitatem de sapientibus voluit componere. Conati quidem illi sunt facere, quod veritas exigebat, sed non potuit vltra verba procedi.

OCTAVO, superat consensione veritatis, & earum rerum quas docet; in quo sane multum humana Philosophia a perfectione recedit: cum nihil fere in ea fuerit, in quo vniuersi vna voce consenserint; quem locum eleganter apud eundem Firmianum tractatum inuenies: qui cum humanæ sapientiæ incertitudinem, demonstrasset, de nostra loquendo ita cōcludit, Nulla itaque ratio, vel scientia, vel lex bene viuendi, nisi in hac vnica, & vera, & cœlesti sapientia constituta est, quæ philosophis fuit ignota. Et sicuti vnus est huius mundi constitutor & rector Deus, vna veritas; ita vnā esse ac simplicem sapientiam, necesse est: quia quidquid est verum, ac bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare.

Lib. 3. c. 15.

NONO, superat antiquitate, perpetuitate, & amplitudine: quia ea solum doctrina quā nos profitemur, a mundi exordio fuit, & perpetuo durauit, & ad omnes nationes penetrauit: ac proinde hæc sola prima, & perennis Philosophia nuncupanda, & vt vera, stabilis, & catholica retinenda est; cū alię omnes aliquando non fuerint, & postquam extiterūt cessauerint, & certis in locis viguerint, vt longissima inductione probari posset; sed in re manifesta nihil est necesse. Concedendum est igitur argumentum illud, quo vsus est Hortensius, ad demonstrandum, humanam Philosophiam non esse sapientiam (de ea intellige, quam homines solo naturæ lumine excogitarunt) quod eius principium & origo appareat. Quando, inquit, Philosophi esse cæperunt? Thales, vt opinor primus: recens hæc quidem ætas. Vbi ergo apud antiquiores latuit amor iste inuestigandæ veritatis? Idem fatetur Lucretius,

Lact. lib. 3. c. 16.

Denique natura hac rerum, ratioque reperta est
Nuper;

Nuper: & hanc, primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possum vertere voces.

ET Seneca, Non dum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiæ nota sunt. Multis ergo seculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius, postquam inquit, sapere vrbi cum pipere & palmis venit: tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit inuecta. Quæ si secundum hominis naturam est, vt Lactantius disputat, cum homine ipso cœperit, necesse est: si vero non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed quia recepit, igitur a principio fuisse necesse est. ergo Philosophia, quia non a principio fuit, non est eadem vera sapientia. Sed videlicet Græci, qui sacras veritatis literas non attigerant, quémadmodum deprauata esset sapientia, nesciuerunt. Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent, Philosophiam commenti sunt, idest latentem, atque ignotam sibi veritatem disserendo eruere voluerunt. Quod studium per ignorantiam veri, sapientiam putauerunt. Quod vero ad amplitudinem attinet, Magistri autem nostri, inquit Alexādrinus Clemēs, verbum non mansit in sola Iudæa, sicuti Philosophia in Græcia, sed diffusum est per totum orbem terræ Græcorum simul & Barbarorum gentibus, & vicis, & totis viribus persuadens totas domos, & seorsum vnumquenque ex ijs qui audiuerunt, & ex ipsis Philosophis etiam non paucos iam traducens ad veritatem, & quæ apud ipsum sequuntur.

DENIQVE, ne pluribus lucem cum tenebris, aurum cum arena, magistrum cum discipulo, & mentē diuinam cum humana ratione, comparem, in eo nostra Philosophia ethnicam doctrinam superat, quod hominum nemo, sine nostra, salutem consequi vnquam potuit. Nomine autem nostræ, eam intelligo cognitionem, quę semper in omni lege, & apud omnes populos ad æternam felicitatem consequendam fuit necessaria, qua cum omnes virtutes debuerunt esse coniun-

ctæ:

cte: ita vt nec Socrates, nec Platones, nec Catones, nec Senecæ, nec omnium mortalium quispiam, per solam ac puram diuinarum atque humanarum rerum notitiā viribus naturæ comparatam, potuerit esse beatus. De nostra itaque sola dici potest, Sanatos fuisse, quicunque placuerunt Deo a principio. Vnde colligeres, verum esse id quod nos in Introductione ad sacram Theol. late demōstrauimus, preter humanas disciplinas opus fuisse hominibus quadam doctrina diuinitus reuelata, eo modo, quo ibi docuimus. Vna igitur spes homini, una salus in hac doctrina (Firmianus loquitur) quam nos profitemur posita est. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat: hoc nostrum dogma, hæc nostra sententia. Quanta itaque uoce possum testificor, proclamo, denuntio. Hoc est illud quod Philosophi omnes in tota sua uita quæsierunt, nec unquam tamen inuestigare, comprehendere, tenere ualuerunt, quia religionem, aut prauam tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes qui humanam uitam, non instruunt, sed turbant. Quid enim docent, aut quem instruunt, qui seipsos nondum instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ conferamus. An expectamus donec Socrates aliquid discat? aut Anaxagoras in tenebris lucem inueniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas & Carneades videant, sentiant, percipiant? Ecce vox de cœlo veritatem docens, & nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus, & sapientiam suscipere cunctamur? quam docti homines contritis in quærendo ętatibus suis, nunquam reperire potuerunt. Qui vult sapiens, ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum natiuitatis suæ norit, humana contemnat, diuina suscipiat, vt summum illud bonum ad quod natus est, adipisci possit. Illa itaque veræ sapientiæ summa, quam Christiana scho

Lact. lib. 3. c. 30.

la

la omnibus vt parabilem proponit, tenenda eſt, quam Philoſophi non comprehenderunt, quamuis ea fere, quibus ſumma ipſa conſtat, & viderint, & explicauerint: ſed diuerſi, ac diuerſe illa omnia protulerunt, non annectentes cauſſas rerum, nec conſequentias, nec rationes, vt ſummam illam, quæ continet vniuerſa, & compingerent, & impleretur. Facile eſt autem docere, pene vniuerſam veritaté per Philoſophorũ ſectas eſſe diuiſam. Non .n. ſic Philoſophiam nos euertimus, vt Academici ſolent, quibus ad oĩa reſpondere propoſitum eſt, quod eſt penitus calumniari, & illudere. Sed docemus nullam ſectam fuiſſe tam deuiam, nec Philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed cum contradicendi ſtudio inſaniunt, dum ſua etiam falſa defendunt, aliorum etiam vera ſubuertunt: non tantum elapſa illis veritas eſt, quam ſe quærere ſimulabant, ſed etiam ipſi eam potiſſimum ſuo vitio perdiderunt. Quod ſi extitiſſet aliquis qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſa colligeret in vnum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſſentiret a nobis. Quod fieri deſiderabat Lactantius, cuius ſunt, quæ ante dicebam, noſtro ſeculo, fecit Auguſtinus Steuchus vir perenni laude dignus in ſuis libris de perenni Philoſophia, quod opus, vir doctiſſimus Cardinalis Sirletus, mirifice commendabat, atque cæteris omnibus præferebat.

Lact. lib. 7. c. 7.

ATQVE ex allatis prærogatiuis, & ex multis alijs quas omiſimus, intelligi licet, quãtum ſapientia Chriſtiana ab ethnica differat Philoſophia; ac proinde hanc nemo ita perdite amare debet, vt non videat, eius ſtudium, ob multas cauſſas humano generi neceſſarium, eſſe minus nobile, ſi cum ſacræ Theologiæ ſtudio conferatur: ad quod amplectendum integro libro perfectæ ſapientiæ cupidos hortati ſumus.

In lib. Fons vitę, & ſapientiæ.

An paucis philosophandum sit. Cap. XVI.



VM itaque humanę Philosophiæ studium cum Christiana doctrina comparatum, non tanti fieri debeat quanti olim nonnulli faciendum putarunt, cumque eiusmodi sit, vt errandi occasionem facile præbere queat: iure optimo in disputationem reuocare licet, An paucis philosophandum sit. Et quidem Callicles, vt est apud Platonem in Gorgia, existimauit modice philosophandū esse, animi solum relaxandi gratia. Idem sensit apud Ennium Neoptolemus, vt ex M. Tullio discimus, qui etiam ex quadam necessitate, cum ei non amplius liceret versari in foro, ad Philosophiam se transtulit: & Scipio apud Velleium Paterculum laudatur, quod nō solum negotij, sed etiam otij rationem habuerit, & in otio Philosophiam excoluerit. Vnde, vt in libro tertio officiorum scriptum reliquit Tullius, nunquam minus erat otiosus, quam cum esset in otio, hoc est, quam cum vacaret a rebus gerendis, quia tunc cum Musis erat: quam sententiam hæc confirmant argumenta.

Cic. Tus. 2. & 2. de orat. Lib... de nat. Deor. Gel. lib. 5. c. 6. Fran. Petr. tra. 9. c. 5. de vita solit.

PRIMVM, quia qui multum philosophari volunt; videntur velle sapere plusquam oportet sapere: at qui faciunt quod nō oportet, errant; igitur ne quid peccemus, paucis philosophandum erit.

DEINDE, sapientia est veluti fauum mellis: at iuxta sapientis consilium ex melle inuento comedendum est quod sufficit, ne forte quis satiatus euomat illud. Huc facit illud, Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria: quare, ne quis in melle sapientiæ sumendo peccet, modus adhibendus & paucis philosophandum erit.

Prou. 25.

POSTEA, Philosophię studium certis limitibus circumscriptum est: igitur, cum quis ad illos peruenerit, cessandum erit: ac proinde non semper in Philosophiæ studio laborandum erit.

PRAE-

PRAETEREA, qui diu in Philoſophiam incum bunt, euadunt quodãmodo ſtupidi, & ad ciuitates gubernandas inepti, & ſibi ſolis nati videntur, ac proinde ijs, qui in rebus agẽdis aliquãdo verſaturi ſunt, paucis Philoſophãdum erit. Huc facit q̃d de Philoſophis Plato ſcriptum reliquit, Nec viam in forum norũt, neque iudicium, aut conſilium, nec leges & decreta legunt. & de Socrate, eodem auctore, dicitur fuiſſe irriſum quod in ſenatu ſuffragia referre neſciret: vt etiã ille ab ancilla, qui cum cœlum ſpectaret, in foueam incidit: Huc etiam pertinent hæc Iuuenalis carmina, Iuu. ſat. 11.

Illum ego iure
Deſpiciam, qui ſcit quanto ſublimius Atlas
Omnibus in Lybia ſit montibus, hic tamen idem
Ignoret, quanto ferrato diſtet ab arca
Sacculus.

HINC illud omnibus ciuitatibus perniciosum Philoſophorum dogma λάθε βιώσας, id eſt latenter uiue, quod ille approbaſſe videtur, qui cecinit, Ouid. 3. de triſt. eleg.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

IAM vero, Philoſophia eſt de numero earum rerum quæ ad aliud referuntur: atque ſunt huius ordinis, cum modo ſumuntur, vt patet de potione valetudinis cauſſa ſuſcepta: igitur.

POSTREMO, nos Chriſtiani habemus multo nobiliorem & fructuoſiorem ſcholam, atque fructuoſius ſacrarum litterarum ſtudium, quam ſint humanæ Philoſophiæ, Gymnaſia, ſacræ nimirum Theologiæ. igitur nobis paucis Philoſophandum erit, vt ad maiora accedamus ſtudia. Vt huic difficultati plane ſatisfaciã, nonnulla fundamenta ponam.

PRIMVM fundamentum, quemadmodum excellens pictor in aliqua imagine pingenda, omnem ſuam artem ſtudiumque collocat, vt ob imaginis affabræ pictæ pulchritudinem, qui eam inſpexerint, eius artem admirentur, & laudent, atque eoſdem ad ſe amandum

commoueat; quod sane, est honestissimus bonarum artium finis: ita Deus quasi excellentissimus quidam pictor, hanc mundi molem, quasi pulcherrimam imaginem finxit & admirabilium rerum varietate adornauit, quam iure optimo Græci, Cosmon, id est ornatum nominarunt, vt ab hac rerum pulchritudine, & ornatu homines excitari, atque in admirationem adducti, non solum ad ipsas rerum naturas indagandas, sed etiam ad se tanti ornamenti auctorē suspiciendum, amandū, colendum, & aliquando clare videndum commouerentur. Huc facit quod aliqui ad eandem rem explicandam dicunt, hunc mundum, esse veluti quendam librū maximis pulcherrimisque litteris exaratum, nobisque a summo magistro Deo propositum: per quem, in vniuersa hac mole existens, nobiscum loquitur. Nam, vt in
Sap. 1. diuinis litteris est, Spiritus Domini replet hunc orbem terrarum & hoc quod continet omnia, idest vniuersum ipsum, scientiam habet vocis, hoc est vocalem scientiam, seu vocem qua nos docet, & in Dei notitiam
Psal. 18. adducit: quam vocem, & loquelam omnes exaudiunt, & intelligunt nationes. Ex quibus colligeres, duo esse hominis munera, res ipsas, Deumq; per res creatas cognoscere, & cognoscendo amare, & ut planius exponā,
Arist. cognoscere, & agere, cum ad cognoscendum, atque agēdum sit factus; quæ duo, qui exercent munera, vt supra scripsimus, ij demum Deum imitantur, suntque beati. Proximus itaque, vt non semel diximus, hic est Philosophiæ finis, cognitio & actio, per se quidem expetendus, etiam si alio non referatur.

SECVNDVM fundamentum, Philosophia duobus modis considerari potest: primo secundum suam naturam, vt est quoddam bonum naturæ humanæ maxime accommodatum, & vt in eius consequutione quædam humana consistit felicitas, iuxta ea quæ supra docuimus: secundo, ut alio potest referri, & ut non continet id in quo plene tandem humana appetitio conquiescit: sub qua ratione considerata, expetenda est pro-

pter

pter aliud. Rursus Philosophia considerari potest, vel in se, uel vt in hoc, vel illo, huius uel illius conditionis homine reperitur; sub qua ratione potest esse magis minusque alicui fructuosa. Vnde fieri potest, vt alicui expediat, vel non expediat Philosophari, vel certe paucis.

TERTIVM fundamentum, cum certum sit Philosophiæ possessionem vsumque consistere in operationibus secundum virtutem, & in cognitione rerum præclarissimarum; hinc fit, ut vere dici possit, humanus naturæ humanæ finis: cum in eo finis positus esse dicatur quod est in aliqua re præcipuum, ut in homine, nemine refragante, est rerum notitia cum honestate uitæ coniuncta; quorum altero sublato, nulla esset hominis naturalis beatitudo: cuius hæc est natura, ut sit per se expetibilis, & sine vlla modificatione. Ex quo colliges, errare eos, qui alia bona, vt sunt diuitiæ & opes, sine modo quærenda & paranda putant; uirtutem vero, & id in quo vere sita est fœlicitas, non item; sed satis esse quantulacunque sit: quos his rationibus egregie in politicis refellit Aristoteles. Primo, quia cætera bona adeo sunt bona & nobis prosunt, prout a virtute administrantur, & ad rectum vsum traducuntur: & ideo in ethicis idem auctor scripsit, fortunæ bona non facile sine virtute consistere: quippe rerum copia ad ea nos impellit quæ cum recta viuendi ratione pugnant: quo fit, ut diuites soleant esse elati, contumeliosi, & iactatores. Quare potius curandum erit, vt magis eo abundemus & perfruamur bono, quo cætera nobis accidunt bona, cuiusmodi est virtus. Secundo, quia id magis habet boni rationem, magisq; expetendũ est, quod sine modo & termino expeti potest, ac debet, ut est id q̃d habet rationẽ finis, cuiusmodi est beata vita, q̃ ea quæ propter aliud expetuntur, ut sunt corporis & fortunæ bona. Exempli gratia, cum sanitas sit ægrotantis finis, ad quem consequendum ordinata est potio, illa sine vlla mensura expetitur, & tantam uellet ægrotus con-

D. Tho. in lib. 6. Polit.

Lib. 7. Polit.

Lib. 4. Ethic.

Lib. 2. Rhet.

sequi sanitatem, quanta maxima haberi potest: potiorem vero cum mensura sumit, & nihil amplius, quam sit necesse. Ex quibus inferre licet, cætera bona, vna excepta virtute, & bono illo quod per se expetitur, aut expeti potest, tanquam medicamenta naturæ, cum certa mensura expetenda esse, vt omnia quæ animum nõ perficiunt: at peruersa hominũ mens contra facit. Etenim, animi bona, quo plura & maiora sunt, eo magis psunt, cætera vero cõtra; ac proinde cã definita ratione ea expetere debemus. Præterea, quia id magis videtur optandum, quo recte disponitur id quod est in aliquo præstantius: atqui in nobis nihil est mente præstantius, cum ab ea potissimum ab alijs secernamur naturis, præcipueque nominemur; quæ virtute & beata vita, Philosophiæque doctrina perficitur: igitur præ omnibus alijs rebus, hæc una expetenda erit. Denique, omnia alia bona, diuitiæ, opes, honores, & corporis integritas, referuntur ad vitam honeste agendam: quare hæc sola per se expectibilis, ac proinde sine modo. Itaque, tantum quis erit beatus, quantum virtutis ac prudẽtiæ habebit, & ex virtute viuet, quidquid de cæteris bonis accedat, siue decedat: cum ista a fortuna pẽdere dicantur, a qua beatus nullo modo pendet, sed a seipso omnia sibi petenda ducit: ob quam caussam Deus dicitur plene beatus. Quare recte monebat ille, qui dicebat.

Arist. lib. 7. Polit. c. 1.

Nec te quæsiueris extra,

His iactis fundamentis, ad dubitationem propositam, sequentibus respondeo positionibus.

Prima positio, si Philosophiæ studium ex se cõsideretur, non videtur recte dictum, paucis esse Philosophandum: Hanc positionem euidenter demonstrant ea, quæ proximo fundamento adnotata sunt: Quia, si philosophari est beate uiuere, & beata vita est hominis finis, & finis, vt adnotauimus, sine ulla certa mensura expetendus est, profecto recta philosophandi ratio nullis erit circumscripta finibus. Adde etiam, quod ea res

non

non est certa mensura quærenda, quæ nos ad Deum maxime cognoscendum atque amandum prouocat: cuiusmodi, re vera, est Philosophiæ studium, modo quis, vt debet, philosophetur: hoc est ex rerum cognitione, rectæq; vitæ institutione se Dei in dies magis magisq; similem reddat. Hũc esse vnum Philosophiæ fructum quisque ex se optime cognoscet, & ita cognoscet, ut necessario id fateri debeat, quod D. Thomas aliquãdo confessus est, cum dixit, Philosophiam illuminare mentem, & ad æternorum amorem a fluxis rebus traducere, quod etiam testatum reliquit Augustinus, lecto M. Tulij libro qui Hortensius erat inscriptus, in quo Philosophiæ laudes continebantur. Philosophia itaque hominem a rebus hisce caducis, abducit, & in Deum trãsfert: nõ secus ac sol vapores a sordibus, quos attenuat, eleuat, in ignemque conuertit.

SECVNDA positio, ei qui cum ratione philosophari cœperit, non facile est, paucis philosophari. Qui autem, ait Tullius, si maxime hoc placeat (de hoc studio loquitur) moderatius tamen volunt fieri: difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum, coerceri, reprimique non potest: vt propemodũ iustioribus utamur illis, qui omnino auocent a Philosophia; quam ijs, qui rebus infinitis modũ constituant, in reque eo meliore, quo maior sit modũ mediocritatem desiderent. Siue enim ad sapientiam perueniri potest, non paranda solum nobis ea, sed etiã fruenda est: siue hoc difficile est: tamen nec modus est ullus inuestigandi veri, nisi inueneris: & quærendi defatigatio turpis est, cum id quod quæritur sit pulcherrimum. Et qui semel voluptatem illam, quæ ex pulcherrimarum rerum cognitione percipitur, gustauerit, qui aliquantulum animũ suum suauissimo illo cibo aluerit, nunquam sponte, sed magna cum difficultate, magnoque cum dolore a Philosophia diuelletur, nisi cum Theologia eam coniugere uoluerit. Adde etiam, ideo difficile esse philosophari paucis; quia, nisi

De fin. li. 1. sub princ.

August. val. li. 1.

nisi multa cognoscantur, pauca vix percipi possunt. Quod quidem affirmabunt illi omnes, qui ordinem & nexum, quo a Philosophis res ipsæ coniunguntur, animaduertent; atque etiam illi qui hoc uerissimum esse putauunt, quod meis discipulis sæpe inculcare soleo, eos qui multum student, parum discere; qui uero parum, nihil. Et ut quod in hac re sentio planius edisseram, quis hominem uere philosophantem, hoc est ex rerum creatarum notitia ad sui & Dei cognitionē, & amorem peruenire studentem, se continere posse existimet, quin in omni loco, in omni tempore philosophetur? cum ei undique ex hac pulcherrima uniuersitatis pictura, & ex hoc aperto diuinitatis, vt ita dicam, libro ob oculos semper versantur, occasiones dentur pene innumeræ, ex quibus in admirationem rapiatur; ex qua admiratione nascitur quærendi desideriū, &, rei quærēdæ inuestigatio, & inuentæ possessio, atque fruitio? Patent semper sensus nostri, uelimus, nolimus, per quos, etiam nobis quodammodo inuitis, rerum creatarum, & per eas ipsius creatoris species, quæ menē ad se suumq; auctorem contemplandum, amandum perpetuo inuitant, prouocāt, trahunt. Quis itaque, ut hunc locum concludam, infinitæ sciendi cupiditati, ac etiam beatæ uitæ modum præscribi posse putet? nisi fortasse is, qui cum se nesciat, cum sui nullum sensum habeat, quantum sit sibi sciendum non intelligit, non sentit.

Tertia positio, fieri potest, ut alicui paucis philosophandum sit explico, si philosophari ita accipiatur, ut sit semper secum de rebus commentari, aut Philosophorum scripta legere, deque rebus Philosophicis scribere; casus incidere possunt, vt melius & vtilius sit ad actionem se conuertere, vel aliquod maius studium, opusve suscipere. Quare, nullo modo nudæ ueritatis cognoscendæ caussa deserenda sunt officia: quod qui facit, is a perfecta philosophandi ratione longe abest: cum vberrima & optima philosophiæ

pars

pars sit ea, ut supra docuimus, quæ in officio uersatur. Quid enim inter res humanas potest esse salutarius ciuitati, quam admirabilis ille chorus virtutũ, qui Philosophum sequitur, veritatis amor, monendi libertas, humanitas, mansuetudo, studium benemerendi, rerũ externarum, & mortis in primis contemptus? Quæ propriæ Philosophorum virtutes, tum a Philosophia morum, tum a cognitione earum rerum quæ in natura sunt, proficiscuntur: quarum altera pars, ita cum altera coniuncta est, ut altera ignorata, in altera proficere neminem posse docti homines crediderint. Cæterum, dum vel veritatem inquirimus, uel recte agimus, quas duas in partes omnis humana uita est distributa, semper philosophemur, vt semper beati simus: nec paucis, sed multis philosophandum esse statuamus; atque tandiu, quandiu philosophari nos pœniteat: pęnitebit autem, vt opinor, nunquam: cum nemo inueniri possit, qui nolit perpetuo esse beatus. Vt autẽ quæ posuimus, adhuc magis confirmentur, allatis in contrarium rationibus respondeamus.

Mar. Tul. lib. de fin.

AD primam cũ dicimus non esse philosophandum paucis, non affirmamus philosophandum esse sine modo; ita ut aliquis uelit ea inuestigare, quæ non debet, aut non potest. Quare, quod attinet ad ea quæ inuestiganda sunt, & ad rationem inuestigandi, modum adhiberi volumus.

AD secundam, cum hæc ratio eandem fere vim habeat cum prima, eodem soluitur modo: concedimus sapientiæ studium esse fauum, siue mel suauissimum; & cum modo edendum esse: sed ut semper viuamus, semper nos eo vesci debere dicimus: & is qui diuina conuenienti ratione quærit, tantum abest, ut opprimatur, ut etiam maxime iuuetur, cum Deus ijs det sapientiæ lumen, qui a se illud petunt, & ad eius gloriam quærunt.

AD tertiam, concedimus Philosophiam certos habere terminos, sed tamen late patentes, intra quos

ſemper aliquid noui inuenire licet : ac proinde nullus dari poteſt inquiſitionis terminus , Sunt itaque viui, ac perennes Philoſophiæ fontes , ex quibus quotidie aliquid de nouo haurire humana diligentia queat .

Ad quartam , qui putant Philoſophiam efficere homines ſtupidos atque ineptos ad remp. gerendam, ij mihi ineptiſſimi videntur : cum tunc beate ciuitates viuant , cum a Philoſophis reguntur , a quibus vt ſint beatæ bonas accipiunt leges ; & Philoſophi ſint veluti ciuitatum medici. Et, ſi ut ſcripſit Cicero , Philoſophia eſt vitiorum expultrix , quæ ciuitas erit vacua vitijs , quibus ſolis ciuitates euertuntur , ſi ab eis Philoſophiam eieceris ? Quis crederet, duos ſummos Philoſophos , Platonem & Ariſtotelem ad remp. adminiſtrandam fuiſſe ineptos ? cum bene rerum adminiſtrandaram boni fuerint magiſtri ? niſi quis eos paucis fuiſſe philoſophatos dicat . In ſumma , ne contra iſtam ineptam Philoſophiæ calumniam hic plura afferam, qui ita diſputant, more cœcorum argumenta cõtorquent . Ignorant iſti, neminem recte alios regere poſſe, niſi ſeipſum prius regere didicerit, ut ſapienter in altero Alcibiade ſcribit Plato : qui non veros Philoſophos, ſed Sophiſtas , ut ſæpe ſolet, uerbis ex eo citatis damnat . Quę poſtea in eodem argumento adduntur , in eos cadunt Philoſophos , qui ſibi ſolis nati videntur, & communem uitam fugiunt; qui ſi abſque iuſta cauſſa ſibi viuant, minore ſunt laude digni .

Plato.

Tuſ. 5.

Ad quinctam , iſta ratio ſatis clare ſoluitur ex ijs quæ adnotauimus : cum Philoſophia potius finis, quã medij ratioñe habeat, & potius fruẽda , quã vtẽda ſit.

Ad poſtremam, hęc quoque ratio ex ijs, quæ poſuimus remanet ſaluta . Atque hæc de prima huiuſce noſtræ Inſtitutionis parte dicta ſufficaint : ad aliam ſtylum conuertamus.

Libri primi finis.

INTRO-



INTRODVCTIONIS in vniuersam Philosophiam

LIBER SECVNDVS:

In quo humanæ scientiæ, & opinionis natura, caussæ, partes, & attributiones explicantur.

Quid sit scientia, & cuius sit artificis agere de scientia. Cap. I.

EX QVATTVOR partibus in quas hanc nostram Institutionẽ partiti sumus, primam absoluimus; vbi vniuerse de Philosophia disputauimus: sequitur secunda in qua priuatim de humana scientia & opinione acturi sumus: cum vniuersa Philosophiæ doctrina, partim scientia, partim opinione contineatur; quamuis id proprie sub Philosophiã cadat, quod certa scientia continetur. Quoniam ergo Philosophia, ut supra non semel diximus, est studium sapientiæ, quæ nihil est aliud, quam veritatis notitia, scientiave; profecto ad plenam Philosophię doctrinam tradendam, de ipsa quoque scientia disputandum est, quod hoc secundo libro nobis faciendũ proponimus: in quo scientiæ naturam, caussas, attributiones, partes, & partium ordinem demonstrabimus, si prius, ad quem

Aristo. lib. 2. Met.

quem artificem tractatio de scientia pertineat, breuiter indicauerimus.

SCIENTIAE nomine, ut hinc exordium sumamus, primo designatur quæcunque notitia certa, & incerta, intellectiua, & sensitiua. Secundo, solum cognitio certa, ita ut excludatur opinio, siue sit cognitio clara, siue obscura, qualis est ea, quæ habetur per fi-
2. Post. dem certam, cuiusmodi est fides diuina. Tertio, cer-
c. vlt. ta & euidens cognitio, siue habeatur per caussam, siue
6. Met. per effectum; ita vt etiam principiorum intelligentia
in prin. sub sciētiæ noīe cōtineatur. Quarto, cognitio certa & euidens per caussas, sub qua acceptione comprehenditur etiam ars, quæ per caussas haberi potest, & ha-
Lib. 2. bet omnes iam insinuatas ad scientiam necessarias cō-
met. c. 2 ditiones. Postremo, nomine scientiæ designatur habitus intellectus, distinctus ab omnibus alijs habitibus, qui sunt in humana mente, a sapientia, ab habitu prin-
Lib. 6. cipiorum, ab arte, & a prudentia; vt designat cognitio-
eth. nem certam & euidentem rerum vniuersalium, & necessariarum per suas caussas: & de scientia in hac postrema significatione sumpta disputaturi sumus. Quæ duobus modis capi potest; primo pro actu, secundo pro habitu actibus comparato, vt hoc loco speciatim sumetur. Rursus scientia hoc postremo modo sumpta, duobus adhuc consideratur modis: uno, ut est quædam realis natura in certa categoria collocata: secundo, ut dicit ordinem ad intellectum quem afficit; & hoc pacto, rursus tribus modis eam considerare licet; vel ut pendet ab ipso intellectu tanquam à caussa efficiente & materiali, cui inhæret; vel ut est quædam
1. Post. intellectus perfectio & absolutio; vel ut est effectus
c. 2. & finis demonstrationis: demonstratio enim est syllogismus faciens scire.

QVO loco animaduertendū est, in aliqua scientia non solū tractari ea quæ proxime, tanquā propria materia, ad ipsam pertinent; sed interdum, alterius artificis suscepta persona, etiam ea, quæ alterius sunt scien-

tiæ,

tiæ, idque non sine caussa & necessitate, vtilitateve, & interdum sub alia ratione fit, quod non vno in loco fecit Aristoteles; vt in primo Physico, vbi, Metaphysici sumpta persona, contra antiquos Philosophos de vno ente disserit: & in primo politico, de domo eiusque partibus, & de ratione acquirendi; quarum rerum explicatio est œconomica: denique in secundo rhetorico de affectibus, quorum explicatio est physica. Et quidem, dum scriptores hæc tractant, mentionem facere solent, vbi de eadem re alias disputauerint, aut disputari debeat; vt non semel fecit Aristoteles, etiam de eadem re agendo, de qua nos agimus. Atque his notatis, quid de eo quod hoc capite docendum proposuimus, tenendũ sit, quibusdã positionis pstringamus.

Tex. 13. Cap. 2. & seq. Lib. 6. eth. cap. 3. lib. 4. & 6. Met.

PRIMA positio, agere de scientia vt est natura quædam, pertinet ad Metaphysicum, quoniam eiusdem artificis est agere de scientia, & de eo quod sub scientiam cadit: atqui de hoc, nimirum de ente, vniuerse sumpto, agit Metaphisicus; igitur ad eundem pertinebit vniuersa de scientia disputatio. Confirmatur, quia eadem ars tractat ea quæ sunt relata: at sciẽtia & id quod scitur sunt huiusmodi: igitur. Denique, de scientia modo dicto considerata, non agit Physicus, cuius subiecta materia est corpus naturale: non Mathematicus, qui nudã quantitatem speculatur, nõ Logicus, qui sola entia rationis cõsiderat: Metaphysicus igitur: ac proinde Aristoteles de ea in Metaphysicis egit.

Lib. 6. Met. Lib. 1. Phys. Lib. 4. & 6.

SECVNDA positio, si scientia consideretur vt est habitus quidam perfectiuus intellectus, & vt ad actionem refertur, pertinet ad Philosophum moralẽ. Etenim, huius artificis est agere de ijs rebus, quibus humana mens perficitur, ac et de humanarũ actionũ principijs, cuiusmodi est scientia; cum nulla actio possit dici humana; quæ non habet ortum a scientia: & idcirco Aristoteles in Ethicis de scientia disputauit.

D. Tho. 1. 2. art. 1. Lib. 6. c. 3.

TERTIA positio, si scientia consideretur ut est habitus quidam acquisitus, & ut hæret intellectui, cu-

ius

jus actionibus producitur,pertinet ad Phyſicum. Hic
ſt. etenim artifex agit de intellectu , quia eſt cauſſa effi-
2. ciens , & materia ſcientiæ:igitur,ad eundem pertine-
bit agere de ſcientia , quæ eſt effectus , & accidens
intellectus.

QVARTA poſitio , agere de ſcientia, ut eſt effe-
ctus & finis demõſtrationis,munus eſt Logici,propte-
rea Ariſtoteles in primo ſecundæ analyſis libro, de ea
non nihil ſcripſit.Quoniam logica tradit inſtrumenta
acquirendæ ſcientiæ,& docet quid ſit ſcientia,& quæ
ad eam conficiendam requirantur;de ea igitur, modo
dicto,aget.Adde etiam,qui logici eſt inueſtigare natu
ram demonſtrationis,eiuſque proprietates exponere,
quæ a fine,hoc eſt a ſcientia ſumuntur:igitur.


QVINCTA poſitio,ponere diſcrimina inter par-
ticulares ſcientias,ad nullum particularem pertinet ar
tificem,ſed ad eum qui eſt omnium ſcientiarum habi
tibus ornatus,quem Peritum vocamus.Siquidem, ne
Lib.2.d mo poteſt diſtinguere omnes ſcientias inter ſe,niſi eas
ani.t. qui nouerit ; cum qui diſcrimen inter res duas ponit,
146. utramque debeat habere perſpectam: atqui ſolus Pe-
ritus omnes artes nouit;igitur;is ſolus eas diſcrimina-
bit. Cæterum,qui duas teneret ſcientias, eas diſtin-
Auer.2. guere inter ſe poſſet.Quod autem aliqui dicũt, Logi-
Phyſ. t. ci eſſe diſcriminare ſcientias,id intelligendum eſt,pro
36. ut logica docet quomodo differat ſcientia, quæ per
demonſtrationem accedit,ab ea quæ non habetur per
demonſtratione & p cauſſas:ꝙ ſi de diſtinctione vnius
ſcientiæ ab alia loquantur,errant,vt ex dictis patet.

SEXTA poſitio, abſoluta ac plena de ſcientiæ di-
ſputatio,commodiſſime ponitur in hac Introductione
ad vniuerſam philoſophiam . Nam , accurate de tota
ſcientiæ natura in Logicis diſſerere , videtur alienum
a Logicæ officio , & a materia ei ſubiecta ; cum hæc
diſputatio tota ſit realis, vt dicitur : Logicus vero ſo-
lum ea ſpeculatur, quæ per intelligentiam exiſtunt:
quare ei Philoſophiæ parti erit magis ſubiecta,

que

quę res ipſas tractat. Nec expectandum eſſe videtur, donec veniatur ad Metaphyſicam, cum ſcientiæ, ſiue Philoſophiæ natura, partes, & partium ordo, in ipſo Philoſophiæ aditu cognoſcéda ſint: quæ ſane ſine hac tractatione cognoſci non queunt. Quare, nemo nos iure damnabit, ſi in hac noſtra Iſagoge de ſcientia copioſe agemus.

Scientiam dari poſſe, atque dari contra Academicos Aporeticos demonſtratur. *Cap. II.*



HVCVSQVE de Philoſophia vniuerſe differendo, tanquam exploratum poſuimus, rerum diuinarum humanarumque aliquam haberi poſſe, atque etiam inueniri notitiam: ſed quoniam nonnulla argumenta contra id, quod vt certum poſitum fuit, afferri ſolent; ideo antequam vlterius in hac de ſcientia diſputatione progrediamur, ſuppoſita veritas, in qua, tanquam in quodam fundamento, quæ deinceps dicturi ſumus, inniti debent, demonſtranda eſt, nimirum aliquam eſſe poſſe rerum ſcientiam.

ET quod ad opiniones circa rem propoſitam attinet, olim Academici Aporetici, vt plene patebit ex ijs quæ poſtea de eis agendo dicemus, negarunt nos poſſe aliquam rem percipere, ac proinde aiebant ſuſtinendam eſſe aſſenſionem, cum omnia ſint nobis incerta. Verum, aliqui adeo omnia nobis incerta eſſe putarūt, vt etiam hoc ipſum pro incerto haberent, quod omnia eſſent incerta: quod tamen Socrates, ſi modo cum Aporeticis numerandus eſt, excipiebat; dicendo, ſe hoc vnum ſcire, quod nihil ſciret. Alij, negantes rerum ſcientiam, admittebant opinionem & veriſimilitudinem; & ita ſapienti concedebant opinionem, & probabilium aſſenſionem, vt Carneades: alij vero eam eidē negabant, vt Arceſilas. At aliqui, ita omnem perceptionem

Lege Aug. lib. cōt. Acad.

ptionem & assensum negarunt, vt dixerint, nec sensibus externis aliquid certi comprehendi: alij vt Cyrenaici, solum tactu intimo nos aliquid percipere dixerunt, vt dolorem & voluptatem: Epicurus vero, etsi sensibus nos aliquid percipere existimauit; tamen, sensui semel decipienti, non amplius credendum esse docuit. Quod vero ad iudicium attinet, Protagoras, id censuit aliquid esse, quod cuique videretur. Cyrenaici præter motiones intimas, nihil existimarunt esse iudicij: Epicurus omne iudicium in sensibus posuit, & in rerum notitijs, ac voluptate. Plato omne veritatis iudicium, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus & a sensibus, cogitationis ipsius & mentis esse voluit. Cæterum, si verum est, quod Tullius scribit, quod ad comprehensionem & assensum attinet, nemo antiquorum dixit, posse hominem nihil opinari; nec solum posse, sed etiam necesse esse sapienti. Sed iam videamus, quibus fundamentis nitantur, qui nihi cōprehensi & certi nos habere posse dixerunt, ac proinde omnem assensionem sustulerunt.

Cic. lib. 2. Acad. q.

Lib. 2. Acad. q.

PRIMO, humana doctrina dicitur habere ortum a sensibus; atqui humani sensus sunt hebetes, & sæpe nos decipiunt, aliterque res repræsentāt, atque sunt; igitur. Sumptum patet, quia non percipiunt solem vti est, mole maximus, & velocissimus, cum paruus & immobilis videatur: arbores moueri videntur, ijs qui in naui velociter nauigant: remus in aqua videtur fractus; in collo columbæ varij apparent colores; nasus denique interdum videtur geminus & non est. Cum ergo sensus, vnde nostram ordimur cognitionem, nos decipiant, nihil certi affirmare possumus: vt omittam quod a sensibus non est petenda veritas, cum non sint veritatis capaces.

SECVNDO, non solum nos decipiunt externa visa, sed etiam interna, quæ nobis vera videntur, & non sunt; vt dormiētium, ebriorum, atque insanorum visa, quæ euanescunt, & eos fallunt.

TER-

TERTIO, res sunt inter se maxime similes, ob quarum similitudinem, vnam ab alia discernere non possumus; vt ouum ab ouo, florem a flore, capillum a capillo, immo & mortuum a viuo: Quare non possumus dicere, hanc rem non esse illam.

QVARTO, ex rerum incerto & mutabili statu; cum perpetuo fluant, & non sint semper eædem; sicuti nec eadem est aqua quæ fluit in flumine. Huc etiam facit, quod sunt singulares: at singularium & corruptibilium rerum nulla est scientia igitur. Quincto, idem demonstrare licet ex eo, quod rerum naturæ sunt abditæ, in quas sensus penetrare non queunt, cum tamen per sensus ad nos venire debeant; vt merito dixerit Democritus, Veritatem in profundo puteo latere; & Empedocles, abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse percipere. Quare, cum tunc aliquis scire dicatur, cum rei naturã nouit, si rerum naturæ nos fugiunt, nullius rei habebimus scientiam.

SEXTO, res ipsæ non perueniunt ad humanam intelligentiam, sed solum earum species & idola, quæ mutabilia & fluxibilia sunt: ergo, vel noster intellectus nihil intelliget, aut aliquid aliud a rebus ipsis diuersũ.

POSTREMO ipsimet Dogmatici, vt ex Augustino, Ciceronis locum referente, habemus, hoc idem fateri coguntur; qui cum veritatem & scientiam dari dicant, eam singuli apud se esse volunt; quod dum faciũt, alios vt insipientes damnant. Et esto dari possit, quis eadem eam inuenit in tanta rerum multitudine, diuersitate, obscuritate, vitæ breuitate, opinionum cõtrarietate, & rationum imbecillitate? Confirmatur, quia, ut ex Aristotele discimus, anima est prona ad falsitatem, & ad ea quæ sunt manifesta in natura, hoc est ad res supremas & diuinas, intellectus humanus se habet tãquã oculus noctuæ ad lumen solis: at primis caussis ignoratis, nihil aliorum sciri potest. In summa, ideo rerum nulla certa potest haberi scientia, quia perpetuo fluunt; qua

Lib. 3. de an. t. 25. Them. Hen. Gãd. in p. p. sum.

similes

similes & indifferentes sunt, neque discerni in eis potest maximi & minimi ratio, vt quidam dicunt; quia visa sunt indifferentia & eodem modo sapientibus & somniantibus sese offerunt: quia anima videtur corporea, vel temperamentum quoddam, vel potentia, ac proinde mutabilis: & denique quia ita multi viri grauissimi olim existimarunt, ut Arcesilæ, & Carneadis sectatores, cum Pyrrhonijs, Heraclitus, Pythagoras, Parmenides, Xenophanes Golophonius, Xeniades Corinthius, Morimus Gynicus, & alij.

Car. cusan. lib. de dest. ignor. Plut. in Brut.

VT allata sophismata facilius tollantur, & propositæ difficultati satisfiat, nonnulla iacienda sunt fundamenta.

PRIMVM fundamentum, pro certissimo haberi debet, apud eos qui rationis vsum habent, in omni disputatione semper ponendum esse aliquid, in quo disputantes conueniant: cum cuiusq; rei dubiæ doctrina, ex aliqua re præcognita ortum habere debeat. Illud autem quod ponendum est, vel a natura debet esse perspectum, vel per certa visa, quæ proprias rerum notas nobis patefaciunt, uel per concessionem eius quocum disputamus. Eorum autem quæ a natura ponuntur, ea debet esse conditio, ut sint stabilia, fixa, & rata, ita vt dimoueri nulla ratione queant; ut sunt visa, quædam, quæ sensibus percipiuntur: modo quæ sentiuntur, ita proponantur, ut proponi debent, & sensus qui ea percipit sit integer: atque etiam quædam notiones, quas, nobis natura impressit. Quare vere ab Aristotele dictum fuit, eum qui sensum negat, egere sensu & pœna, & neminem aberrare posse ab ianua, hoc est ab innata notione, atq; a primis naturæ luminibus. Et hi sunt humanæ doctrinæ fontes, atque primordia, quæ omnino nobis retinenda sunt. Huc pertinent hæc quæ Lucullus apud Ciceronem pro Dogmaticis disserit. Sed disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset, primum animal omne, deinde hominem maxime: quæ uis esset in sensibus: quemad-

1. post. c. 1.

Cic. lib. 2. Acad. q.

Lib. 8. Physi.

Lib. 2. Acad. q.

modum prima visa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulsa sequentur: tum vt sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quæ sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quā intendit ad ea, quibus mouetur: itaque alia visa sic arripit, vt his statim vtatur; aliqua sic recondit, e quibus memoria oritur, cætera autem similitudinibus constituit: ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci tum *ἐννοίας*, tum *προλήψεις* vocant. Eo cum accessit ratio, argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo; tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio profecta his gradibus, ad sapientiam peruenit. Ad rerum igitur scientiam, vitæq; constantiam aptissima cum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem, & istā *κατάληψιν*, quam, vt dixi, verbum e verbo exprimentes comprehensionem dicemus, cum ipsam per se amat, (nihil est enim ei veritatis luce dulcius) tum etiam propter vsum. quocirca, & sensibus vtitur, & artes efficit, quasi sensus alteros; & vsque eo Philosophiam ipsam corroborat, vt virtutem efficiat, ex qua re vna vita omnis apta sit. Idem aggressurus disputationem cōtra Aporeticos, qui nobis omnem lucem auferre conantur, ordiamur, inquit, a sensibus: quorum ita clara iudicia & certa sunt, vt, si optio naturæ nostræ detur, & ab ea Deus aliquis requirat, contenta ne sit suis integris, incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam quid quærat amplius. Neque vero hoc loco expectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ respondeam: non enim is sum qui, quidquid videtur, talem dicam esse, quale videatur. Epicurus hoc viderit, & multa alia. Meo quidem iudicio, ita est maxima in sensibus veritas, si sani sint, ac valentes, & omnia remoueantur, quæ obstant, & impediunt. Itaque & lumen mutari sæpe solemus, & situs earum rerum, quas intuemur, & interualla, aut contrahimus, aut diducimus; multaque facimus, vsque eo, dum aspectus Eod. lib.

ipse fidem faciat sui iudicij,& quæ eleganter & docte apud eundem ad eadem rem confirmandam sequuntur. Quare si sensus bene affectus, si res percipienda proportionata,& si medium purum fuerit, nihil sensus sentiendo erabit. Quod vero ad primarum notionum certitudinem attinet, dicerent aliqui, omnem nostram primam intellectionem esse certissimam, quia proxime dependet a primo intelligente & mouente humanum intellectum, sicuti omnis motus physicus a primo mouente physico. Non secus ac primi actus qui sunt in nobis nullo præeunte voluntatis imperio ab Aristotele reuocantur in Deum, a quo proxime efficiuntur. Quare si ut isti existimant, Deus nostræ intellectioni in initio, in progressu,& fine adsistit, aliqua certa in nobis poterit esse veritatis species.

Arist. 2. de an. t. 63. Lib. de bona. For. & 8. eth.

SECVNDVM fundamentum, res quæ mutationi sunt obnoxiæ, nunquam ita mutantur, dum existũt, vt eorum natura non sit semper eadem: quæ cum sit indiuidua, aut tota existit, aut tota interit: quare, si minimum mutaretur, non esset amplius eadem, nec easdem haberet proprietates; quod esse falsum, experientiã plane docet: vt patet in cursu vitæ alicuius animalis. Cum ergo videamus easdem in rebus fluxis perseuerare proprietates, quæ naturas consequuntur, naturas etiam easdem permanere fatendum erit. Quare, tota illa mutatio, quæ in hoc rerum genere cernitur, fit ratione proprietatum singularium, conuenientium indiuiduis, quæ corrumpuntur ac generantur: de quibus non habetur primo & per se scientia, sed de naturis vniuerse consideratis, quæ ab indiuiduis abstrahuntur. Neque intellectus dum res vniuersas considerat, quicquam errat, modo earum rationes proprias percipiat; quæ rerum singularum notas in se non includunt; & idcirco recte ab illis seiunctæ considerari possunt. Neque, ex eo, quod naturas per earum species & idola comprehendimus, sequitur, nos ipsa tantum visa, seu idola cognoscere, cum rerum species nõ sint

Lib. 2. post. t. 42. Lib. 2. phys. t. 18.

ſint id quod cognoſcitur,ſed rationes per quas cognoſcimus;quare, cum video candidum, non ipſam ſpeciem,vt quod,ſed vt quo video.

TERTIVM fundamentum, duæ potiſſimæ fuerunt cauſſæ,cur Aporetici perſpicuitati,firmitati,atq; euidentiæ rerum de qua diximus,bellum indixerunt. quibus,totidē auxilia contraria,ſunt comparanda.Primum,quod parum defigunt animos,& intendunt in ea quæ perſpicua ſunt; vt quanta luce ea circumfuſa ſint, poſſint agnoſcere. Alterum,quod fallacibus, & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti quidam,cum eas ſoluere non poſſunt, deſciſcunt a veritate.Oportet igitur & ea quæ pro perſpicuitate reſponderi poſſunt in promptu habere, de quibus iam diximus;& ita eſſe armatos,vt occurrere poſſimus interrogationibus eorum,cāptioneſque diſcutere. Cic.lib. 2.Acad q.

QVO loco, cum facta ſit de captionibus mentio, exponere paucis volo,quid ſentiendum ſit, de hoc argumento, quod contra Aporeticos fit; Tu qui dicis nihil nos habere comprehenſi;aut hoc comprehenſum habes,aut non:ſi non habes, nihil vere dicis: ſi habes, igitur aliquid comprehendi poteſt. Simili modo diſputares contra ſocratem dicentem,ſe nihil ſcire, niſi hoc vnum, quod nihil ſciret: & contra Poetam Cretenſem,qui dixit, omnes Cretenſes eſſe mendaces. Vbi non leuis oritur dubitatio de iſtarum propoſitionum ſenſu, & veritate, an ſolum propoſitiones alias, an vero etiam ſeipſas, comprehendant. Et quidem Socrates & Antipater, ut Cicero adnotauit, ac etiam Lactantius, & Clemens Alexandrinus, exiſtimarunt has propoſitiones non deſtruere ſeipſas, ſed alias. Idem diuus Thomas, & Auenroes, vt alios miſſos faciam: At vero Arceſidas, vt ex Cicerone diſcimus, Carneades, & Metrodorus Chius contra ſenſerunt, ac proinde ex iſtorum ſententia dictæ propoſitiones ſeipſas deſtruunt: Quibus Scotus & Gregorius Ariminenſis ſe ſubſcripſere.Pro prima ſententia hoc Eurip. In Luc. lib.6. c. 6. lib. 1. ſtro. Pr. p. q. 2. ar. 1.

facit fundamẽtum, Omne decretum debet esse ratum atque perceptum : at, nihil posse percipi, est Aporeticæ Academiæ decretum : ergo hoc saltem debet habere perceptum. Secũda vero hoc nititur fundamento, Nulla res percipi potest: at hoc ipsum, quod nihil possit percipi, est res aliqua: igitur neque hoc percipi poterit Hanc eandem opinionem Lucretio non displicuisse ex his eius carminibus colligere licet.

1. sen.d. 2.q12. 1.5.d.2. q.1. Lib.4.đ nat.rerũ

Denique nil scire si quis putat, id quoque nescit,
An scire possit, quo nil se scire fatetur.

TOTA huius nodi explicatio pendet ex recta intelligentia cuiusdam regulæ, consequentiarum. Logicæ, An liceat ab assumpto negato infere consequentiã affirmantem, hoc pacto, Nulla datur veritas: ergo verum est nullam veritatem dari, quam vt bonam prima sententia approbat: at vero secunda sententia ex illo assumpto, negantem infert consequentiam, hoc modo, Nulla veritas datur : ergo non est verum aliquam ueritatem dari: de qua re Thomei & Scotei inter se dimicant. Et quamuis non me lateat, quam late a quibusdam de ea disputetur: tamen, cum in præsentia logicari nolim, missis ijs quæ ab alijs dicuntur, quid sentiendum sit, in positionibus docebo: ad quas, his positis fundamentis, accedo.

Polit. in miscel. c.25.

PRIMA positio, ex illa ꝑpositione, Nullius rei datur cõphensio, vel scientia, sequitur consequens affirmatiuum, & verum; sicuti ex illa Epimenidis sententia Cretenses semper mendaces, sequebatur, cum, quamuis esset Cretensis, verum dicere. Ideo autem illi dicebantur mendaces, quod affirmaiét Iouem apud se mortuũ esse. Quare, huiusmodi propositiones tollunt alias, & non seipsas: & ita, cum dicitur, Nulla res comprehenditur, ista propositio tollit omnem veritatem, si ad res ipsas de quibus habetur scientia referatur, at si istæ propositiones ad se referantur, aliquam veritatem ponũt, vt alibi scripsimus. Neque in his propositionibus est verus elenchus, veraque contradictio, quæ ut Logici docent,

ent, debet esse de eodem ad idem, secundum idem, in eodem tempore, & loco. Vnde mendaces erat Cretenses, dum de hac, vel illa re loquebãtur: verax Epimenides respectu suæ orationis, qua dicebat eos esse mendaces. Quo fit, ut huiusmodi propositiones partim sint vniuersales, si referantur ad res quas significãt, partim particulares, si referantur ad se. Quod si dicas, vniuersales propositiones continere particulares; hoc non obstat; quia solũ comprehendunt eas res, quas directe significant, non autem seipsas, quæ indirecte significantur. Nam, vt aliqui scribunt, propositiones duplicem sortiuntur significationem, vnam directam & principem, quam termini primo & per se designant, quam aliqui formalem vocant: alteram secundariam & indirectam, quam materialem & reflexam appellant: illam Aristoteles, simpliciter, hanc secundum quid, de illo Cretensiũ pseudomeno loquendo, appellauit. quare, hæc particularis, Epimenides est verax, vera erat, & nõ continebatur sub illa vniuersali; sicuti cum dicitur, & quod tegit omnia cœlum, in qua enunciatione non continetur ipsum cœlum. En igitur, vt explicari possũt illa enuntiata, quæ quibusdam visa sunt inexplicabilia: de quibus Aristoteles in altero elencho, & Tullius in secundo academico. Quod si allatã explicationem Philetes tenuisset, nõ ob eam caussam mortuus esset, quod tortuosum hoc dicendi genus, quod Græci pseudomenon, Cicero mentiens appellat soluere non potuisset, vt ex eius Epitaphio cognoscere licet, quod ita habet,

Arist. in Elenc.

Suef.

Aegid. & Elec. lib. 2. c. 5.

Lilius Giral. Achem. lib. 10.

Hospes ego hic sum, pseudomenos me sermo Philetã
Perdidit, & cura noctibus Hesperia.

QVOD si vera est allata doctrina, efficax colligitur argumentum cõtra Apoteticos, ad probandum aliquid comprehendi posse.

SECVNDA positio, Aporetici suo dogmate, non omnino Philosophandi viam clauserunt. Etenim verum est id, quod Lactantius de Arcesila loquendo dixit, Is Philosophiam euertendo, quandam constituit non Philoso-

losophandi Philosophiam. Et propterea, siue Philoso-
phari, siue nō Philosophari homini cōueniens ostenda-
Suid. in mus; omnibus modis Philosophandum esse semper col
ver. phi- ligemus. Quare, ut cum Platone concludam, si est Phi-
los. losophandum, ergo Philosophemur: si vero Philosophā
dum non est; Philosophandum tamen erit: cum philoso
phari dicatur etiam hoc ipsum quærere: quomodo non
philosophandum.

TERTIA positio, datur uera aliquarum rerum
scientia & comprehensio. Doctrina est certissima, & cō
trarium cum Aporeticis sentire, est omnino stultum;
quam doctrinam etsi multis rationibus cōfirmare pos-
sem: tamen ne in stulto errore late confutando, stultus
esse videar, breuiter agam. Primum optimum sumitur
argumentum ex prima positione; quia qui pro rato ha
bent nullam dari scientiam, aliquid se scire omnino fa-
teri debent. Nā, aut illud ignorant, & tunc, vt ignoran-
tes, abeant; aut sciunt, & tunc id affirmant, quod nos
docemus. Quare non aliter isti faciunt, ac si quis nega-
ret dari loquelam, & id sermone exprimeret. Secundo,
1. Met. homines natura scire desiderant, & ad hoc, etiam nullo
c. 1. proposito emolumento, trahuntur: igitur dari debet
scientia; ne hic appetitus sit frustra datus; natura autē,
vt Aristoteles varijs in locis docet, nihil agit frustra.
2. Cœl. Quæ ratio tantum habet virium, vt Aristoteles hac
t. 50. 3. vna sit vsus ad probandum dari aliquem humanæ vitę
de an. t. finē; nec vana esset illa appetitio summi boni nobis a
45. 1. po natura tributa. Confirmatur, scientia est maxima homi
lit. c. 1. nis perfectio, & in ea consistit eius naturalis felicitas, sal
Lib. 1. tem ex parte; igitur omnino danda est; ne homo sua ca
eth. c. 1. reat perfectione. Tertio, sublata scientia & assensione,
omnis tollitur virtus, cum ignorans non possit studio-
Lib. 2. se agere: immo omnis etiam humana vita, atque socie-
acad. q. tas funditus euerteretur: ut eleganter docteque dispu-
tat Lucullus. Quarto, dantur res de quibus potest esse
scientia, cum suis principijs, caussis, & passionibus; igi-
tur dari potest scientia; quam tunc aliquis habebit, cū
ali-

alicuius effectus, siue proprietatis caussam nouerit; ut, ideo hominem interire, quia constant ex contrarijs. Confirmatur re ipsa; quia dantur scientiæ Mathematicæ, in quibus sunt rationes certissimę, sine ulla dubitatione, & sensuum errore. Quincto alias sequeretur, omnes homines a mundi principio frustra desudasse in ea re inuenienda quæ esse non posset: & qui nunc sunt, & aliquando erunt omnino abijcere deberent studia, si nihil certi inuenire licet, nec vlli rei præbenda est assensio, quod hominis stupidi, & clarissima naturæ lumina negantis est. Denique ista falsa doctrina falsis nititur fundamentis, ex eorum euersione patebit: reijcienda igitur Et vt hunc locum cum Lucullo concludam, Tune (Tullium alloquitur) cum tantis laudibus Philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commouere, eam Philosophiam sequere, quæ confundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat sensibus? & Cimmerijs quidem, quibus aspectum solis, siue deus aliquis, siue natura ademerat, siue eius loci quem incolebāt situs; ignes tamen aderant, quorum illis vti lumine licebat; isti autem quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scintillā quidem vnam nobis ad aspiciendum relinquunt, quos, si sequamur, ijs vinculis sumus astricti, vt nos commouere nequeamus. Sublata enim assensione omnē & motum animorum, & actionem rerum sustulerunt. Quod non modo non recte fieri, sed omnino fieri non potest. Sed iam argumenta in contrarium allata nihil concludere demonstremus. Lib. 2. Acad.

AD primum, hoc argumentum ex ijs facile soluitur; quæ in primo diximus fundamento: nam sensus, si adsint requisita ad perfecte sentiendum, non decipiuntur, sed sunt certissimi: & cur interdum decipiantur, eorundem auxilio, accedente rationis vsu intelligitur, errorque corrigitur. Et licet non sint veritatis complexæ capaces; tamen ueritas simplex est etiam in sensibus, Aug. li. 3. cont. Acad. c. 11.

AD secundum, vigilantium, siccorum, & sanorum visa non sunt incerta, & imbecilla, vt dormientium, vinolentorum, ac furiosorum, in quibus ob specierũ fortuitam, vel instabilem coitionem incerta, & inconstantia sunt.

AD tertium, nihil est tam alteri simile, vt aliqua priuata nota ab eo non distinguatur, & distingui non possit, præsertim cura atq; usu adhibito; vt patet exẽplo eius qui, cum haberet centum gallinas, quando sibi afferebantur oua, agnoscebat, quodque quæq; gallina peperisset; &, si vna fefellerit similitudo, idcirco omnia reddenda erunt dubia, cum non sint omnia æque similia?

Tul. in Lucul.

AD quartum, satis bene & sufficienter hoc argumentum soluitur, ex doctrina in secundo fundamento allata; ubi plane docuimus, quomodo res sint permanentes, & de illis vniuerse consideratis habeatur scientia.

AD quinctum, in rerum abditas naturas non sensu, sed intelligentia intramus: sensus tamen earum proprietates subministrant, quarum cognitio ad naturas noscendas, ut Aristoteles scripsit, maxime cõfert: & si quid hoc argumentum probat, solum concludit, intimas naturas nos ut, plurimum fugere; nõ tamen uniuerse conuincit nihil posse esse perceptum.

Lib. 1. de an. t. 11.

AD sextum, quid ad hoc argumentum respondẽdum sit, satis patet ex ijs quæ in secundo diximus fundamento: non enim ipsæ rerum species sunt quæ intelliguntur, sed res quas repræsentant.

AD vltimum, licet Dogmatici in quibusdam discrepent: tamen in aliis conueniunt, & saltem in hoc, quod putent aliquid comprehendi posse. Quare, etsi non omnia certo sciantur, & multa nos lateant, & in dubitatione versentur; non propterea inde inferre licet, nulli rei esse assentiendum, & nihil esse perspectum. Quod ex Aristotele obijciebatur, solum probat, animum posse interdum decipi, quod concedimus

mus

mus; non tamen perpetuo, & in omni re: cum idem aliquando dixerit, Homines factos esse ad veritatem, & eam vt plurimum assequi: & alibi, Omnes homines natura scire desiderare, hoc est, appetitu a natura insito scientiam expetere: tum ratione inclinationis, sicuti lapis appetit deorsum ferri; tum appetitu elicito, quia voluntas humana naturaliter appetit scientiam. Quod si supremas caussas non plane cognoscũt, alias tamen cognoscere possunt. Sed, cur naturalis appetitus sciendi, qui non debet esse frustra, non expletur in omnibus? An quia ad eum explendum non satis est natura, sed opus est humano conatu, quem non omnes adhibent? quem qui adhibent, per rerum creatarum notitiam, quasi per quendam circulum, ad ipsum Deum, a quo fluxerunt reuertuntur: qui uero cognitionis vita relicta, uitam cum bestijs & stirpibus communem viuunt; ij non circulum, sed quandam inflexam lineam conficiunt, per quam, non cum vero, sed cum apparenti bono copulantur. At his vna cum Aporeticis omissis, de quibus infra rursus nonnihil dicemus, ad caussam humanæ scientiæ effectricem indagandam transitum faciamus.

Lib. 1. Rhet. c. 1.
D. Thom. p. p. q. 78. ar. 1
Diony. de eccl. hier.

De origine scientiæ, siue unde humana habeatur scientia. *Cap. III.*

CONSTITVTO itaque nostræ tractationis fundamento, rerum scientiã atque comprehensionem haberi posse; consequens est, vt videamus, a qua caussa scientia ortum ducat, an a natura, an vero de nouo accedat: de qua re hæ fuerunt scriptorum sententiæ.

PRIMA Platonis, quæ his dictis explicatur. Primum, Plato existimauit animas existere ante corpus, vt libro tertio planius dicetur. Secundum, in eo statu in quo animæ existunt ante corpus, habent omniũ rerum

In Mẽ. Theet. phæd.

rerum notitiam: nam cum earum propria actio sit intelligere, ni haberent rerum scientiam, essent otiosæ. Tertium, cum in corpora intraduntur, ob subitam mutationem omnium rerum obliuiscuntur: siquidem mutationes repentinæ, vt ait Hyppocrates, maximos addu-

Hippoc. cunt morbos. Quartum, cum animæ sunt in corpore, & præceptoris opera, aut propria industria acquirunt aliquem notitiam, eorum reminiscuntur, quæ prius norant: vnde fit, ut scientia fiat per reminiscentiam. Hanc sentẽtiam multi Platonici suo magistro tribuunt, ac etiam declarant, ut inter alios Alcinous, de doctri-

Lib. 4. Cap. 6. Lib. 11. c 3. lib. đ somn. ĩ proœ. lib. deã. Tus. 1.

na Platonis, Proclus in primum Euclidis librum, Marsilius Ficinus in conuiuium, & in sua theologia Platonica, Sinesius, Philoponus, & vt alios omittam M Tullius his verbis, ex quo effici vult Socrates, vt discere, nihil aliud sit, quam recordari, quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita. Docent enim quemuis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere: nec vero fieri vllo modo posse vt a pueris tot rerum atque tantarum insitas, & quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animas antequam in corpus intrasset, rerum cognitione viguisset. Cumque nihil esset, vt omnibus locis a Platone disseritur, (nihil enim ille putat esse, quod oriatur & intereat, idque solum esse, quod tale semper sit, qualem ideam appellat ille, nos speciem) non potuit animus hæc in corpore inclusus cognoscere, cognita attulit: ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur: neque ea plene videt animus, cum tam repente in tam insolitum, tamque perturbatum domicilium immigrauit; sed cum se collegit, & recreauit, tum cognoscit ea reminiscendo. Itaque nihil aliud est discere, quã recordari. Hæc Tullius. Eandem opinionem aliquando habuit Augustinus: quam postea retractauit: cui sententiæ, hæc quæ subijciam, fauent argumenta.

PRI-

PRIMO sumitur argumentum ab experientia: qa, si interrogetur puer, ait Plato, de rebus Mathematicis, quas nunquam nouit, optime respondebit: & tamé nunquam in hac vita eas didicit; ergo in alia. Igitur signum est cum dicit, eorum quorum quæ prius nocuerat, eum reminisci.

SECVNDO, si scientia non fit per reminiscentiam, alterũ e duobus sequeretur, aut omnia a nobis cognosci antequam cognoscantur, aut nihil sciri: & tamé vtrunque est falsum; consequutio probatur. Quia, cum discimus aliquid, aut illud sciebamus, & tunc sequitur primum: aut ignorabamus, & tunc sequitur alterum: quoniam etiam si inueniamus, quod discendo quærimus, illud non cognoscemus: non secus ac si quis quæret hominem, quem prius nullo modo cognouisset, qui cum occurret, non cognoscetur.

TERTIO, anima est creata ante corpus, quia nõ educitur ex potentia materiæ, & est nobilior corpore: igitur debuit anteire corpus, & habere species omniũ rerum, quæ ad eius perfectionem pertinent.

QVARTO, humana mens antequam aliquid discat, discernit bonum a malo, salutaria a noxijs, id quod etiam in brutis cernitur: ergo prius habere debuit aliquam nationem bonitatis, & vtilitatis. Confirmatur: nemo iudicat id, quod ignorat: at nos nullo docente, iudicamus quid bene, & quid male fiat, & in hoc iudicio nullius est error, ni aliquis fuerit vitijs deprauatus: Quare per solam reminiscentiam cognoscimus quid sit bonum, & quid malum. Cic. lib. 1. offic.

QVINCTO, nos solemus comparare inter se res in aliquo tertio, sine vlla illius tertij præeunte cognitione: vt cum dicimus, mel esse lacte dulcius: igitur innata est nobis dulcedinis notitia.

SEXTO, intellectus corrigit in multis phantasiam, & imaginatiuam, absque vlla de nouo acquisita cognitione; vt cum apprehendimus, vt quantas eas res, quæ sunt ab omni materia seiunctæ, iudicando eas, re vera, esse

esse omnino materiæ expertes, vt patet in cognitione intelligentiarum: quod solum fieri potest per aliquam innatam scientiam: igitur.

SEPTIMO cognitio sensitiua est innata brutis: igitur & cognitio intellectiua debet esse innata naturæ intelligenti: cum eadem ratione notitia intellectiua sit nobis necessaria, vt sensitiua brutis, ne hac in parte essemus illis inferiores.

DENIQVE, Plato suam sententiam confirmauit exemplo cuiusdam hominis, qui in prælio occisus reuixit, & omnia narrauit quæ animabus extra corpus existentibus contingunt.

In fine lib. 10. de rep.

SECVNDA sententia Auicennæ in Tractatu de intelligentijs, non longe ab extremo, qui existimauit dari quandam intelligentiam, quam vocabat, Datricem formarum & Colcodeam, a qua producuntur omnes formæ, tum substantiales, tum accidentales, quæ denouo fiunt in his inferioribus, ac proinde producunt etiã nostram scientiam, quæ est forma quædam. Hæc sententia, hoc nititur fundamento: Vel scientia producitur ab intellectu nostro, & hoc dici non potest, quia intellectus est potentia passiua, de cuius ratione est, vt nihil producat: vel ab obiecto, quod etiam affirmare nõ licet; quia obiectum est materiale, & idcirco non potest producere rem a materia semotam, vt est humana doctrina: & cum nulla alia caussa interna assignari queat, dicendum erit produci ab aliqua caussa extrinsecus agente. Confirmatur, quia vnumquodque producitur a suo simili: atqui scientia non est similis intellectui, uel obiecto: igitur aliunde nobis accedet.

TERTIA opinio aliorũ, quorũ meminit Henricus in sua summa, qui existimarunt scientiam acquiri de nouo per vim intelligendi, sed non sine priuato Dei auxilio: nixi auctoritate Pauli dicentis, Nos non esse sufficientes cogitare quicquam ex nobis: igitur si nihil ex nobis cogitare possumus, nostra scientia efficienter pẽdebit a priuato Dei auxilio. Quam opinionem confirmares

2. Cor. 3. Lib. 1. soliloq.

mares

mares ex sententia Augustini dicentis, Quod sicuti colores sine sole non cernuntur: ita nec intelligibilia sine illustratione diuina.

Qvarta sententia Aristotelis, vt ex multis eius locis colligere licet, scientiam acquiri per vires naturæ, lumenque naturale; ita ut, uniuerse loquendo, non sit necesse assignare aliquam caussam extrinsecā; quam omnes Paripatetici, alijque scriptores sequūtur. Vt quid in hac difficultate tenendum sit exponam, nō nulla subijcio fundamenta. Lib. 1. Met. Lib. 1. post.

Primvm fundamentum, certa fide tenendum est, quicquid Platonici dixerint, & etiam nonnulli ex nostris, Platonicorum doctrina decepti, animas humanas non antecedere corporis productionem, & postea ablegari in corpora, eaque informare, sed tunc a solo Deo ex nihilo creatur anima, cum corpus per naturales dispositiones est idoneum ad talem formam recipiendam. Rursus, certa fide tenendum est, non dari animarum transmigrationem ex vno corpore in aliud corpus, quidquid Pythagorei, & Platonici dixerint, tenentes animas esse immortalis, & mundum fuisse ab æterno, ad vitandum infinitum in actu: quam opinionem egregie Tertullianus, præter alios refellit. Quod ideo adnotauerim, ne quis existimet, scientiam præcedere in aliquo homine, quod eam animam sit sortitus, quæ prius scientia in alio corpore acquisiuerit. lege, Io. Bapt. Crisp. lib. 1. Lib. de anima.

Secvndvm fundamentum: aliquid potest dici naturale pluribus modis, ex quibus solum duo quos hic recensebo ad rem nostram faciunt. Primo, quod in nobis sit appetitus, potentia naturalis ad illud consequendum; qua ratione, ex Aristotelis sententia, virtus censetur esse natura; quia habemus propensionem naturalem ad eam comparandam. Secundo, dicitur res aliqua naturalis, quia homo habet illam a natura: quo pacto homini dicitur naturale, viuere, & augeri. Quæritur ergo vtro modo scientia homini conueniat, dicaturque ei naturalis; an quia potest eam acquirere, an Lib. 2. eth.

vero

vero quod ſit ei indita a natura, ſicuti videndi, & appetendi facultates, inditæ ſunt.

TERTIVM fundamentum, vt materia prima ſe habet ad omnes formas phyſicas, ita intellectus ad omnia intelligibilia: propterea, vt illa eſt idonea ad recipiendas omnes formas, & per eas fieri omnia; ita humana intelligentia per omnium ſpecierum intelligibiliũ formas eſt apta fieri omnia. Et ſicuti materia quæ eſt priuata omni forma, ad quas tamen habet naturalem inclinationem, non poteſt traduci ad actum niſi vi alicuius agentis naturalis; ita nec humana mens poteſt rerum notitia informari, niſi intercedat aliqua efficiens, cauſſa de qua hoc loco, quæ nam ſit, quæritur.

Ariſt. lib. 3. de ani.

QVARTVM fundamentum, res ſunt in triplici differentia: quædam exiſtunt actu, quędam potentia, in ſuis cauſſis, quædam nullo modo, vt ſunt ea quæ nulla ratione fieri poſſunt; ad quas non poteſt eſſe motus, qui eſt veluti via, qua res in potentia exiſtentes reuocantur in actum: ſicut nec ad eas quæ iam re ipſa exiſtunt: cum implicet rem eſſe, & fieri. Quare ad eas ſolum res erit motus, quæ ſunt in potentia, vt ex Ariſtotele diſcimus: & idcirco motus dicitur eſſe actus eius quod eſt in potentia, prout tendit ad actum. Ex quibus intelligeres, ideo aliquos negaſſe ſcientiam fieri de nouo, quia eſt de numero eorum quæ fieri non poſſunt, vel quia iam eſt actu: quod ſi dicamus eſſe de numero eorum quæ poteſtate exiſtunt, profecto produci poterit. Cum ergo aliquid naturaliter cognoſcatur vi innatarum notionum, per quas prima ſcientiarum cognoſcimus principia, in quibus poteſtate continentur alię veritates, quas per diſcurſum, quaſi per motum quendam in lucem proferimus: profecto nouarum rerum doctrina comparari poterit: vt planius in poſitionibus, quas nunc ſubijciam demonſtrabitur.

Lib. 3. phaſ. t. 6

M. Tul.

PRIMA poſitio, ſcientia non fit in nobis per reminiſcentiam. Primo, earum rerum eſt reminiſcentia, vt Plato fatetur, quas prius ſenſu aliquo percepimus, qu

non

non percipimus nisi singularia: atqui, ex eodem, scientia non est nisi vniuersalium: igitur non sciuntur per reminiscentiam.

SECVNDO, ex eodem, quando reminiscimur, debemus prius sciuisse id cuius recordamur, & recordari nos sciuisse: sed quando acquirimus scientiam non recordamur ante nos sciuisse: igitur cum discimus non recordamur, & tamen deberemus maxime recordari, quia scientia quæ præfluit in anima, ex Platonis sententia, fuit certissima, & euidentissima, atque necessaria.

TERTIO, si isto modo fieret in nobis scientiam, sequeretur nos posse scire, omnia sine sensuum ministerio, quod pugnat cũ experientia: non igitur isto fit modo: consequentia, sic probatur. Primo, quia ad hoc vt recordemur eorum quæ scimus, non est ex se necessarius sensus, vt experientia constat. Secundo, quia solum erit necessarius aliquis sensus, qui perducat nos in cognitionem rei sensibilis, vt idem Plato docet; vt patet cum quis videt filium, & recordatur patris, vel audit vocem alicuius, & recordatur proferentis vocem: ergo pari ratione & qui aliquo sensu est destitutus, poterit habere scientiam, illius sensibilis, per perceptionem alterius sensibilis; & ita per sonum percipere poterit colorem sine proprio sensu. Confirmatur, vel recordamur tantum eorum quæ percepimus in alio corpore, animarum posita transmigratione: vel eorum quæ cognouimus extra corpus. Si primum, ergo cognitio quam habuit primus inuentor, alicuius artis, non fuit per reminiscentiam: cum ars illa non fuerit ante cognita, vt patet de quadratura circuli, quæ non dum cognita est, si quis eam de nouo cognosceret, quam se inuenisse quidem meus præceptor ait: & confirmatur, quia anima quæ nunc est in corpore, exempli gratia, Geometræ, potuit non esse in corpore alterius Geometræ, vt ex eodem Platone patet, ergo scientia Geometriæ, quam modo acquirit iste Geometra, non fit per reminiscentiam. Neque alterũ

In Phœd.

P. Clau.

Lib. 10. de rep.

dici poteſt, ob haſce rationes. Primo, quia animę ſine vlla difficultate recordarentur omnium ſcientiarum, cum illas prius habuerint; & tamen videmus quoſdam, non modo non recordari, ſed nec ad eas comparandas eſſe idoneos. Deinde, quia plane recordaremur amicorum, quorum conſuetudinem habuiſſemus in alia vita, & in campis Eliſeis, quos Poetę, & antiqui finxerunt, vel eo in loco, in quo animæ prius extiterunt. Quod ſi dicas, ideo animas non poſſe recordari, quia potarunt aquam lætheam quæ obliuionem inducit; contra. Primum, quia hoc fabulo ſe dicitur, ſine ulla ratione naturali: & tamen ratio, ut ipſe Plato docet, eſt Philoſophiæ inſtrumentum. Deinde, quia fieri non poteſt, vt anima aquam ebibat.

QVARTO, ſi ſcientia acquireretur per reminiſcentiam, deberet eſſe a natura; vnde neceſſario fieret, vt in nobis non eſſet error, ſicuti non poſſet eſſe error in honeſtis actionibus, ſi virtutes eſſent a natura: ea enim quæ a natura inſita ſunt, mutari nequeunt; & ideo, vt Ariſtoteles ait, etiam ſi millies lapidem ſurſum proijcias, nunquam diſcet ſurſum tendere: atqui certum eſt nos in errorem labi: igitur.

Ariſt. 2. eth. c. 1.

QVINCTO, aut ſcientia fuit in anima multo tempore antequam coniungeretur cum corpore, vel eo inſtanti accepit in quo vnita fuit: hoc affirmari non poteſt, quia eſt contra ipſum Platoné, & contra rationem: ſequeretur enim eodem inſtanti babuiſſe ſcientiam, & fuiſſe oblitam: Nec etiam primum, quia tunc anima habuiſſet perfectiſſimam ſcientiam; &, cũ eius vnio cum corpore ſit maxime naturalis, & per eam anima perficiatur, ut ex Platone diſcimus, non potuit eſſe cauſſa tantæ imperfectionis, nimirum obliuionis omnium ſcientiarum.

In Pęd.

SEXTO, ideo Plato poſuit in humana mente ſcientias ante coniunctionem cum corpore, quia mens præcedit corpus; & propterea eam obliuiſci, quia violenter continetur in corpore, quaſi in quodam ſepulchro,

chro, qua in parte ſibi contradicit: at vtrunque eſt falſum, cum utrunque pugnet cum fide catholica, & cũ ratione humana, vt in libris de anima a Philoſophis demonſtratur: igitur.

Septimo, Deus & natura, nihil faciunt fruſtra, ut eſt in ore Philoſophorum omnium: igitur Deus non debuit dare mentibus humanis ſcientias, quarum poſtea obliuiſcerentur. Ariſt. li. 1. Polit.

Octavo, Deus non priuat creaturam aliquo bono, niſi ab aliquod eius vitium: at hoc non poteſt dici de anima, quia non præcedit corpus, forma enim non exiſtit ante materiam: igitur. Sed fortaſſe Plato, ſubodorauit aliquid de caſu dæmonum, uel de uitio primorum parentum, deque eorum primo ſtatu, & inde hoc ſuum dogma confecit, de quodam primo aĩarum ſtatu, deque earum corruptela, atque pęna.

Nono, iſta doctrina pugnat cum modo procedẽdi naturæ, quæ ab imperfecto ad perfectum progreditur; Plato vero contra, a perfecto ad imperfectum eã progredi vult: igitur male philoſophatur. Ideo non ſemel lapſus eſt Plato, quia in ſuis dogmatibus fundãdis non proceſſit ab ijs quæ ſunt nota nobis, & a ſenſibilibus, ſed ab ijs, quæ ſecundum rationem ei viſa ſunt vera, & ab intelligibilibus ad ſenſibilia, quæ philoſophandi ratio, ab ea recedit, quam nobis natura indidit, ut a notioribus nobis auſpicemur. Lib. 1. Phyſ. t. 2

Decimo, & vltimo, poteſt aſſignari naturalis modus quo ſcientia acquiratur de nouo, & nulla eſt neceſſitas cur ponatur modus per reminiſcentiam, qui non eſt ſecundum naturam: igitur hic tollendus, ille vero retinendus erit.

Secunda poſitio, ſcientia non gignitur in nobis ab aliqua intelligentia, ſiue ab aliquo agente extrinſeco; contra Auicennam. Primo, intellectus humanus eſt multo perfectior, quam ſenſus, at ſenſus percipit ſuum obiectum ſine agente extrinſeco, ergo & intellectus percipere debet.

Secundo, de intrinseca ratione actus vitæ, vt est videre & intelligere; est hoc, ut producatur ab eadem potentia in qua recipitur; sed scientia, siue sciendi actus est operatio vitæ, hoc est a viuente producta, & immanens: igitur produci debeat ab eo principio in quo tanquam in subiecto recipitur; & quia recipitur ab anima, ab eadem produci debebit, non a sola caussa extrinsecus agente.

Tertio, idem confirmatur inductione & experientia, quia in nullo agente per cognitione, reperitur extrinsecum agens, a quo producatur cognitio: & omnes homines proprio labore atque industria sentiunt se acquirere scientias; igitur.

Quarto, quia sequeretur nos non egere sensu ad acquirendas scientias: posset enim intelligentia ista assistens infundere rerum species sine sensuum ministerio, vt patet de scientia diuinitus data: at experientia plane demonstrat humanam scientiam ortum habere a sensu; igitur.

Quincto, sequeretur intellectum esse potentiam mere patientem, quia non produceret, sed reciperet intellectionem; quod est omnino absurdum: cũ eã tanquam vera potentia actiua producat, & productam in se recipiat.

Postremo, aut ista Intelligentia producit in humana mente notitiam sui, aut aliarum rerum: non sui, quia per istam non intelligeremus res alias: nõ aliarum, quia sequeretur eam creare de nouo rerum species: atqui creare est proprium Dei: igitur. Vt omittã, quod ista Intelligẽtia est ab humana mente remota: at vero caussa efficiens debet esse proxima; igitur.

☞ Tertia positio, ad acquirendam aliquarum rerum scientiam, non est opus priuato Dei auxilio, sed sufficit eius generalis cõcursus. Primum, quoniam multarum rerum notitia est naturalis humanæ mentis perfectio: quare naturæ viribus poterit acquiri: cum ad ea quæ sunt accomodata naturæ, non sit opus supernaturali

rali

rali gratia. Secundo, quia non eſt credibile profanos & impios homines multarum rerum acquiſiuiſſe doctrinam, vt re vera acquiſiuere, per priuatum ac ſupernaturale Dei auxilium; quo ſi adiuti fuiſſent, non tam multa peccaſſent. Confirmatur, quia in hoc diſtinguũtur effectus naturales a ſupernaturalibus, quod illi ſolo naturali & communi auxilio fiunt, hi vero non item; at ſcientiæ acquiſitio eſt naturalis; igitur. Tertio, multa cognoſci poſſunt per inductionem ſenſuum miniſterio quorum actiones ſunt naturales, ad quas non eſt neceſſaria priuata Dei motio; igitur. Denique alias ſequeretur animam rationis capacem eſſe imperfectiorem omnibus alijs formis, quæ ſuos effectus ſolo communi Dei præſidio queunt producere. Fatendum tamen eſt, ob primi parentis lapſum, & poſt obſcuratum rationis lumen peccatorum & errorum caligine, minus perfecte res naturales cognoſci ſemoto priuato Dei auxilio. Hæc doctrina, quam hac poſitione tradidimus, adeo certa eſt, vt contrarium nullo modo defendendum ſit; licet nonnulli Theologi id faciant; de qua re fuſius diſputant, qui de gratia agunt. His ita poſitis & confirmatis veritatibus, ad argumenta reſpondeamus. Gabr. Capr. Gaſp. Caſal.

Ad primum, ideo puer de quibuſdam rebus interrogatus bene reſpondere poteſt; quia interrogationes, ſeu ſuppoſitiones illæ ſunt naturaliter cognitæ: nam, ut ait Ariſtoteles, ad prima principia habemus rationem internam, non exrinſecus aduenientem; & cum ex illis aliquid neceſſario conficitur conſequutio, illa eſt euidens per naturæ lumen, cuius vi de nouo aliquid diſcitur. Quod ſi puer de quibuſdam rebus Mathematicis non per ſe notis inrerrogetur, reſpondebit nihil. Lib. 1. poſt. cap. 10.

Ad ſecundum, antequam acquiratur ſcientia, ea quæ diſcimus, poteſtate nouimus, non actu: nec implicat aliquid ſciri, & ignorari ſub diuerſa ratione. Illud exemplum de homine ignoto, non eſt ad rem, quia nos ſupponimus id quod de nouo cognoſcitur, eſſe aliquo pacto cognitum in potentia eius, quod actu ſcimus. Vnde, Lib. 1. poſt. c. 1.

de si ille qui hominem quærit, aliquam eius haberet notitiam, quærendo inueniret, ut si eius sciret nomen aut aliquam priuatam notam.

AD tertium, assumptum in hoc argumento est falsum: nec verũ est, ut quod est nobilius semper debeat præcedere: vt patet in composito quod est nobilius partibus, & tamen eas non pręcedit, sicuti nec forma materiam, cum tamen sit ea nobilior.

AD quartum, ideo naturaliter expetimus bona, & discernimus ea a malis, sicuti vera a falsis, quamuis non omnia, quia illa sunt rectæ rationi & naturali lumini cõsentanea. Ad confirmationem, eodem respondetur modo: iudicamus enim nonnulla naturaliter, ob insitas a natura rationes.

AD quinctum, illa comparatio fit per lumen naturale, adiuncta experienta sensitiua: neque fieri potest comparatio in aliquo tertio, nisi illud cognoscatur.

AD sextum, ideo intellectus corrigit sensum, quia percipit repugnantiam per naturale lumen: quod si non sit euidens, opus est scientia: ideo multi qui non habent intelligentiarũ notitiã, putant eas esse corporeas.

AD septimũ, bruta nõ habent actũ sentiendi naturalem, sed solum potentiam a natura, per quã illum exercere possunt: quam potentiam etiam homo habet ad sciendum. Cæterum, in sensu non requiritur aliquis habitus, sicuti in intellectu, q est altioris ordinis, & indeterminatus ad multa intelligéda, quo fit vt indigeat habitu: & ad eius perfectionem pertinet, quod per se possit scientias acquirere. Quod postremo loco dicitur, vt fabulosum reijcendum est.

QVOD vero attinet ad fundamentum Auicennæ, intellectus nõ est potentia pure passiua, sed concurrit actiue ad productioné sciétię. Ad cõfirmationé, neque etiam Intelligentia illa est similis sciétiæ, cum scientia sit accidens, Intelligentia vero substantia: & intellectus humanus non est minus similis suæ scientiæ, quam sit ista Intelligentia.

QVOD

QVOD pro tertia sententia afferebatur, facile confutatur, quia locus Pauli, ut multi scribunt, intelligitur de communi auxilio: nisi quis dicere malit, intelligendum esse de illis operationibus quæ pertinent ad iustificationem & ad æternam vitam; quo etiam modo intelligendus est Augustinus. Concludamus igitur, in nobis fieri scientiam de nouo, & posse dici naturalem, ob naturalem facultatem, quam habemus ad eam acquirendam: non est tamen naturalis ratione actus, vel habitus; quia, alias omnes homines essent æque docti, & in scientiarum acquisitione frustra laboraremus.

De caussis scientiam conficientibus, & quibus modis atque instrumentis acquiratur.
Cap. IIII.

POstquam demonstratum est scientiam existere posse, & non per naturam, neque per caussam aliquã extrinsecam, si de modo naturaliter cõparatur sit sermo: sequitur, ut doceamus, quibus nã caussis, & quo acquiratur modo; quib. expositis, longe facilius eius natura explicari, & intelligi poterit.

ANTEQVAM autem aliquid de rebus propositis doceo, animaduertendum est, scientiam duobus modis sumi: primo pro actu ipso quo aliquid scimus, & pro ipsa rei cogitatione, siue notitia, quam scientiam actualem vocant: secundo pro habitu & qualitate illa quæ intelligentiæ hæret per actus acquisita, quam habitualem appellant: illa non est nisi dum cogitamus, hæc vero perseuerat; cuius beneficio cogitare possumus quandocunqne volumus. Rursus, scientia duobus sumitur modis; vel pro ipsa simplici rei apprehensione, qua rem ipsam cogitamus: vel pro assensione, cum rei apprehensæ negando, vel affirmando assentimur. In præsentia, scientiæ nomen speciatim sumitur, vt designat

gnat habitũ, atque notitiã cũ assensione: de qua præcipue dubitatur, a qua efficiente caussa producatur, aut produci possit, ac etiam quomodo.

Et quoniam hoc loco priuatim de caussa affectrice disserere volumus, ideo alias breuiter attingemus, alibi latius eas explicaturi. Sunt itaque scientiæ, sicuti & aliarum rerum, conficientes caussæ numero quattuor, Materia, forma, finis, & efficiens. Materia scientiæ duplex est: altera, quam tractat, de qua agit, res nimirum ipsa scientiæ subiecta; quæ si vniuerse consideretur, dicitur materia proxima, si vero vt est in singularibus, materia remota. Altera, cui scientiæ inhæret, & hæc est humanus intellectus, qui a scientia vocatur sciens, & intellectus in actu. Forma, est quod sit quidam habitus, & qualitas: quę caussa planius in sequenti disputatione per scientiæ definitionem innotescet. Finis, est subiectæ rei notitia atque perceptio: ex quo multæ proficiscuntur vtilitates, quas supra de Philosophia vniuerse agentes recensuimus. Hinc Dei cognitio, quem per res creatas cognoscimus: hinc nostri notitia: hinc honestatis doctrina, & vitæ honestæ institutio: hinc denique ad res diuinas percipiendas aditus, cum naturale scientiæ lumen supernaturali sit subordinatũ.

Lib. 2. Physi.

Quod vero attinet ad caussam efficientem plures caussæ assignari possunt, Deus aliqua Intelligentia, præceptor, cuiusque hominis intellectus, & principiorum notitia, De Deo & Intelligentia, qui diuinam prouidentiam negant, dicerent, scientiam nostram non posse fieri in nobis ab aliqua mente diuina. Similiter, si loquamur de modo quo acquiri potest, aliqui, vt impius Auenroes, negarunt posse dari scientiam diuinitus reuelatam, ac proinde solum modo naturali, acquiri, & ita omnem prophetiam sustulerunt. Vt quid de caussa efficiente scientiæ tenendum sit plane doceamus, nonnulla fundamenta ponenda sunt.

Primum fundamentum, in omni natura, in qua est aliqua potentia indifferens ad aliquid recipiendũ,

vel agendum, necesse est dari aliquid a quo terminetur, vt hoc vel illud suscipiat, aut efficiat: ac etiam assignanda est caussa efficiens eius vnde oritur determinatio. Cum itaque humana mens sit nuda quædam potentia, vt ad intelligendũ determinetur, eget aliqua extrinseca forma, quam speciem intelligibilem vocant: vt enim res quæ sub sensum cadunt, per earum species, quæ nullo modo negari possunt, a nobis sentiuntur: ita etiam quæ ad intelligentiam veniunt, per suas species percipiendæ sunt. cæterum, vt nonnulli sensiles species negarunt, ita aliqui intellectiles negant, quas tamen communior Philosophorum sententia retinendas esse docet. Quibus positis, alia exoritur difficultas, a qua nam caussa istæ species producantur, an ab aliqua vi extrinsecus agente, vt a Deo, vel ab intelligentia, an vero ab ipsomet intellectu, vel ab obiecto siue a phantasmate. Et cum non sit huius loci has difficultates accuratius examinare, satis nobis erit ea suppone re, quæ sunt communiter recepta, & Aristotelis doctrinæ consentanea. Primum, species intelligibiles necessarias esse ad intelligẽdum, easque permanere post intellectionem, quidquid Auicennas contra dixerit; alias.n. præteritorum meminisse non possemus. Remanent autem in memoria, quæ non est potentia re ab intellectu distincta: quamuis intellectus per eas intelligere non queat, nisi conuersus ad phantasmata & idola, vt in illa aliquo pacto intelligẽdi actus terminetur, quod animæ conuenit propter naturalem connexionẽ cum corpore; ob quam connexionem non potest intelligere res omnino a materia separatas, vt diuo Thomæ placet; licet aliter Doctor subtilis existimet: fieri tamẽ potest, vt aliquando sine vllo phantasmate intelligat, præsertim cum diuinitus docetur. Deinde, necessariũ esse intellectum agentem, vt communis docet Philosophorum, & Theologorum sententia; qui non est re distinctus a possibili, nec per se intelligit, sed suo lumine quod cõmuniter ponitur, species intelligibiles efficiẽter

Arist. lib. 3. de an.

Dur.

Lib. 3. de an. t. 30. & 38.

Arist. loc. cit. t. 33.

Aug. lib. 10. conf. c. 8

Colleg. Coim.

Par. p. q. 84. ar. 7.

Lib. 2. S. d. 3. q. 3.

ter producit ad quarum productionem phantaſmata obiectiue concurrunt; eodem enim modo ſe habet hoc
Lib.3. de an.t. 18. lumē, vt Ariſtoteles ait, ſicuti lumē ſolis ad colores externos; quo fit, vt non ſit productum in phantaſmate, tanquam in ſubiecto; nec eſt ſolum cauſſa apparentiæ, faciens apparere in phantaſmate vniuerſalia, ſed etiā illuſtrando phantaſmata perducit efficienter ſpecies, non ſolum extrinſece, ſed etiam intrinſece, quas etiam illuminat, vt in intellectu poſſibili exiſtunt. Itaque intellectus agens ſolus non producit ſpecies ſine phantaſmate, & obiecto, ſed vna cum phantaſmate, illuminato, ut nonnulli ſcriptores docent; ob quam cauſ-
Ariſt. lib. cit. t.14. ſam obiectum dicitur agere in intellectum. Denique, ſupponimus, intellectum agentem non eſſe ipſum Deum, qui ex ſententia Ariſtotelis nihil agit in
8.phyſi. 12.Met. 8.phyſi. t.88. hæc inferiora niſi per lumen & motum: & quia deberet nobis aſſiſtere tanquam quædam intelligentia orbi cœleſti: at ex Ariſtotele, Deus dicitur eſſe vbiq; igitur. Vt omittam, quod intellectus agens diciiur eſſe veluti lumen & habitus, hoc eſt forma: at Deus non eſt forma igitur. Vnde colligeres, non eſſe aliquam Intelligentiam: quia ſi intellectus agens & poſſibilis ſunt partes & differentiæ animæ, profecto non erunt aliquid extrinſecum: adde etiam quoddebet eſſe virtus
Lib. 3. t. 17. & 150. humanæ mentis, quæ intelligat, non ſolum patiendo, ſed etiam agendo. Quod ſi de ſententia Platonis & Ariſtotelis, vt aliqui volunt, Deus eſſet intellectus agens, a quo in humana mente rerum formæ producerentur; inde profecto maximum duceretur argumentum ad demonſtrandum, quantum veritatis amator, deberet eſſe Deo carus, animo purus, & quanta cum contentione ſapientiam ab eodem petere, ac etiam quanta eſſet hominis dignitas, quia diuinarum formarum particeps fieret: Id quod Lucretius ſignificaſſe videtur, qui de
Lib.5. auctore ſapientiæ agens concludendo dixit,

Nemo, vt opinor, erit mortali corpore cretus
Nam(ſi ut ipſa petit maieſtas cognita rerum:

Di-

Dicendum est) Deus ille fuit, Deus inclite Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia.

An autem aliqua mens extrinsecus assistens possit nos aliquo pacto mouere ad intelligendum, in positionibus docebo.

SECVNDVM fundamentum, agens duplex est; alterum, quod solum habet vim agendi in aliud, vt sunt fere omnia agentia naturalia, quæ agunt in patiens a se distinctum, vt ignis in aquam: & huius ordinis agentia, cum eodem modo semper agant, nullo indigent habitu, quo ad agendum disponantur: Alterum, quod non solum habet vim agendi, sed etiam perpetiendi, & recipiendi in se id quod producit, cuiusmodi est intellectus humanus, qui aliquid sua vi producit, & productũ in se recipit; quod reperitur in omni actione immanente. Potest autem intellectus aliquid de nouo cognoscere, vel per doctrinam, quam audit a præceptore, vel per inuentionem; qui modus requirit sensum & experientiam, principiorumque notitiam. Quo fit, vt in omni cognitione intellectus, tanquam vis actiua, sit princeps caussa, si de naturali cognitione loquamur; secus si de ea quæ a Deo proxime in nobis fieri potest. Et quidem ad productionem habitus scientiæ plures requiruntur frequentati actus; quamuis paucioribus egeat habitus scientiæ ad sui generationem, quam habitus virtutis, qui sunt in voluntate; cum voluntas sit magis indeterminata ac libera ad agendum, quam sit intellectus; & magis propensa in malum, quam intellectus in errorẽ. licet ergo per vnum actum possit produci habitus sciẽtiæ, per vnam nimirum demonstrationem; tamen, si diu hærere debet, frequentia opus erit. Atque ex his colligeres, quænam sint necessaria ad productionem scientię. Primo requiritur ignorantia saltem puræ negationis, hoc est inscientia, tanquam terminus a quo: secundo noua notitia, tanquam terminus ad quem: tertio transitus ab vno ad aliud, qui sit rationis discur-

Arist. lib. 1. de gener.

su;

ſu: quarto ſubiectum in quo fit iſta tranſmutatio, nimirum anima; cum ſine his impoſſibile ſit intelligere generationem & acquiſitionem vllam: denique cauſſa efficiens, nimirum intellectus, ac etiam res ipſa cognoſcenda, ſiue obiactum; vnde conſequitur ipſam ſcire, tanquam finis.

TERTIVM fundamentum, humanæ ſcientiæ acquirendæ duo dantur modi; vnus ſupernaturalis per reuelationem, quam veritaté certa fide tenendam, nũc vt exploratam, & communi etiam omnium populorũ approbatione confirmatam, & alibi a nobis latiſſime demonſtratam ſupponimus. Deus enim & primo Parenti, & Salomoni rerum natura conſtantium doctrinam communicauit & quidquid per cauſſas iuuantes facit, ſe ſolo efficere poteſt. Alter ſcientiæ comparandæ modus eſt naturalis, qui habet ortum a ſenſibus, & a lumine naturali, primiſque notionibus, & quaſi igniculis; vt Ariſtoteles, & M. Tullius non vno in loco docent, & nos ſupra de Philoſophiæ ortu agendo docuimus. Et cum ille primæ notiones, illaque principiorũ ſcientiæ notitia, quæ in intellectu ponitur, pendeat ab experientia, & hæc a ſenſu, vere dici poteſt, ſenſuum cognitionem eſſe primum humanæ doctrinæ principium. Vt merito aliquando Ariſtoteles dixerit, Nihil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu: ideo enim habemus hanc notionem, Totum eſt ſua parte maius, quia aliquãdo totum & partes ſenſu percepimus. Denique, cum naturalis modus cognoſcendi ſit per notiora, & quæ ſenſu percipiuntur ſint huiuſmodi, recte dicitur, Omnem humanam notitiam ortum habere a ſenſibus. Sed obijcies Ariſtotelem dicentem, Principia ſciri, vel ſenſu, vel inductione, vel conſuetudine, vnde colligitur, non omnem ſcientiam pendere a ſenſu; alias enim non bene aſſignaſſet tres modos diſtinctos, quibus principia cognoſcuntur: adderes etiam, experimentum eſſe fallax, vt ſcripſit Hippocrates, quare, male ponitur pro fundamento ſcientiæ. Reſpondeo, illos

Lib. 2. Intro. in Theol.

Lib. 1. De phyſ. t. 2.

Lib. 2. poſt.

Aphor.

tres

tres modos cognoſcendorum principiorum , non poni ita diſtinctos a ſenſu , quaſi in illis non includatur cognitio ſenſitiua , cum inductio fiat per ſingularia quæ ſenſu percipiuntur,conſuetudo etiam eſt circa res ſingulas:& ita aſſignat illos tres modos,qui habẽt aliquid ſupra ſenſum. Quod vero ad experimentum attinet, ſi ſenſus,de cuius experimento hic eſt ſermo, cum debitis circunſtantijs ſuum obiectum percipiat, non decipitur & ita ea habetur certitudo,& euidentia , quæ de rebus naturalibus haberi poteſt; quæ non eſt adeo neceſſaria,vt contrarium omnino implicet : adde etiam , quod ſenſuum errata,facile deprehenduntur.

DENIQVE, quod attinet ad inſtrumenta quibus ſcientia comparatur,alij pauciora,alij plura ponunt,ut alio loco nos docuimus:Quid autem de illis, & de hac tota difficultate tenendum ſit,ſequentibus poſitionibus docebo. In Addit. ad log. Toleti.

PRIMA poſitio,Deus poteſt eſſe cauſſa totalis efficiens ſcientiæ hebitualis. Doctrina eſt certiſſima,quia pōt creare & infundere ſpecies , atque intellectũ ad eas recipiendas,& ad intelligẽdum idoneum reddere.

SECVNDA poſitio, Deus non poteſt eſſe totalis cauſſa efficiens ſcientiæ actualis. Quia actus ſciendi eſt actus vitæ,qui neceſſario produci debet ab animante; igitur non a ſolo Deo. Nec propterea aliquid detrahitur de potentia diuina , ſed impedimentum oritur ex re ipſa:quia cum intelligere ſit actus uitę,produci debet a potẽtia viuente . Quid Deus abſoluta potentia poſſet in hac parte efficere,non eſt huius loci docere.

TERTIA poſitio , Intelligentia poteſt eſſe cauſſa efficiẽs ſcientiæ,nō tamen totalis, ſed partialis,iuuando. Non totalis,quia non poteſt gignere ſpecies de nouo,ſed ſolum productas ordinare ac remouere impedimenta, aut animi perturbationes , atque iſtrumentorum naturalium prauitates aliquas:vnde patet , poſſe eſſe cauſſam iuuantem,ſicuti Medicus dicitur eſſe cauſſa ſanitatis.

QVAR-

QVARTA positio, præceptor est aliquo modo caussa efficiens scientiæ humanæ quæ in alio gignitur iuuando, sed minus perfecte quam Intelligentia: Potest enim explicare & patefacere rem intelligendam, & exemplis id quod docet illustrare; nō tamē impedimēta aufere, aut rerum species ordinare, ut Intelligentia potest.

QVINTA positio, principiorum notitia est caussa agens instrumentalis humanæ scientiæ. Huius enim innatæ notitiæ auxilio, intellectus, uel homo ipse ratiocinando, aliquam eius rei quam ignorabat acquirit cognitionem. Est etiam hæc notitia quasi caussa materialis, ex qua raticinationis vi noua eruitur doctrina.

SEXTA positio, solus intellectus est caussa efficiēs principalis scientiæ actualis & habitualis, si eam modo naturali acquirat. Hæc positio patet ex ijs quæ vltimo fundamento explicata fuere, & nulla eget probatione.

SEPTIMA positio, si loquamur de instrumentis quibus proxime perfecta gignitur scientia, sunt tantū duo, Definitio & Demōstratio. Per hæc enim sola scimus rem aliquam per suas caussas: quare, si scire est rē per caussam cognoscere, ista duo tantum erunt sciendi perfecta instrumenta. Quod si sub nomine scientiæ quæcunque intelligatur doctrina, de nouo comparata, potest etiam addi Argumentatio, qua aliquid non demonstrando probamus, iuxta ea quæ alibi docuimus.

Lib. 1. post. c. 2.

In trac. de Instr. sciē.

OCTAVA positio, sensus non est caussa efficiens scientiæ intellectiuæ. Quoniam sensus non concurrit effectiue ad producendam intellectionem & rei veritatem, quæ est in intellectu. Quare iuuat solum subministrando rerum species quas excipiat, & visa, præparādo materiam ad cognoscendum necessariam.

Quid

Quid sit scientia, & quarundam dubitationum explicatio circa naturam scientiæ.
Cap. V.



T scientiæ naturam nō omnino perspectam, adhuc planius patefacere possimus, præter ea quæ de eius caussis docuimus, nonnulla alia explicanda sunt, ex quibus multo facilius eius definitiones quas afferemus, intelligentur.

PRIMVM igitur animaduertendum est, tres fuisse de natura, siue de entitate scientiæ opiniones. Quidam existimarunt scientiam esse substantiam, quam sententiam nonnulli attribuunt Rabbi Mosi: Cui opinioni id fauere videtur quod Aristoteles aliquando dixit, Potentiam cognoscentem, & obiectum cognitum esse vnam & eandem rem: ac etiam id quod scriptum reliquit Auenroes, ex re intellecta & intellectu magis fieri vnum, quam ex materia & forma; quod verum non esset, si scientia esset forma quædam accidentaria; denique hoc diui Thomæ pronuntiatum, Mentem fieri lapidem, ob speciem quam concipit lapidis. Alij vero dixerunt scientiā esse accidens: quia extrinsecus accedit, tanquam perfectio quædam humanæ mentis. Alij denique, quasi media via incedentes affirmarunt scientiam, non esse substantiam, vel accidens simpliciter, sed quid substantiale. Quoniam scientia non aduenit ut quid accidentale, sed tanquam quid perficiens animam in suo esse, ita vt non possit proprie dici anima, nisi cū adepta fuerit virtutes, per quas habet esse perfectum, & posse operari secundū suam naturam; cum res aliqua tunc dicatur esse, cum est perfecta, & operas suæ naturæ proprias potest exercere; cuiusmodi est intelligere atque cognoscere in homine. Hinc patet, cur Aristoteles dixerit, virtutes non esse alterationes, sed perfectiones. Cum itaque aliquid perficitur, non alteratur

Rab. Moses.
Lib. 3. de an. com. 27. & 37
Caie. p. p. q. 12. ar. 2.
Card. Cont. in sua met.
Alex. Phil. 1. de an. t. 38.
Arist. 7. phys. t. 18.
Lib. 7. phys. t. 16.

sed

ſed potius fit,& cum eſt perfectum, tunc eſſe dicitur: Ideo aliqui, dixerunt, Animam ſine propria virtute & perfectione non eſse proprie animam. Quare, ſcientia non dicetur proprie ſubſtantia vel accidens, ſed q̃d ſubſtantiale, ideſt quid complens, proficiens, & abſoluens ſubſtantiam. Nã, ſi potentia intellectiua conſideretur, non vt res quædam eſt, ſed ſecundum ſuam naturam, & habitus, ſiue rei ſpecies, non ut accidens eſt, ſub qua ratione includit inhærentiã, ſed ut eſt quædam forma potentiæ, ſub qua ratione intime cum ea coniũgitur, & ut quodãmodo fit ipſa ſubſtantia intelligens, ſicuti cum color purpureus cum lana coniunctus, fit ipſa lana, a qua ſeparari non põt: habitus, ſiue notio quę eſt ipſa ſcientia, eſt veluti forma ſubſtantialis, intellectus, & quaſi eius eſsentialis differẽtia, qua intellectus, terminatur, & in tali ſpecie ſcientis conſtituitur, cũ per ſpeciem vel habitum ad actum redigatur: unde fit, ut agere queat. ſicuti etiã qualitates dicũtur eſse formæ elementorum, quibus conſtituuntur in eſſe actiuo. Etenim vnumquodque eſt tale ſecundum aliquam formã ac proinde forma intelligibilis conſtituet intellectum in eſſe cognoſcibili, & intellectus fiet res ipſa cognoſcibilis, per ſpeciem apprehenſam, notionemve expreſſam. Atque propter hoc nouum eſſe intelligens, eſſe in quo per ſcientias & rerum notiones Philoſophus conſtituitur, a viris doctis dictum eſt, hominem dici æquiuoce de homine erudito, & rudi: ut præter alios ab Auenroe procœmio in phyſicam, & a Pythagora in oratione ad iuuens Crotoniatas, cum eos ad diſciplinas perdiſcendas excitaret.

Caiet. p. p. q. 17. ar. 1.

Boet. 4. de conſ.

D. Tho. p. p.

Alb. Mag.

DEINDE animaduertendum eſt, ſcientiam, ſi ſumatur pro habitu, duo ex communi omnium ſententia includere, qualitatem, ſiue habilitatem quandam, quæ frequentibus actibus acquiritur, & ſpecies intelligibiles, quæ ſunt rerum ſimilitudines in memoria, ſiue in ipſo intellectu remanentes. Sed dubitari ſolet, a ſcientia formaliter ſit qualitas, an vero ſpecies ipſa.

ipſa. Aliqui arbitrantur ſcientias eſſe ipſas habilitates & qualitates; includere tamen ſpecies inter ſe ſubordinatas, an autem ſint ſimplices qualitates, poſtea videbimus: alij vero dicunt eſſe ſolas ſpecies ſubordinatas in intellectu exiſtentes, de qua re quid ſentiendum ſit in ipſis poſitionibus docebo.

PRIMA poſitio, ſcientia formaliter non eſt ſubſtantia. Ratio eſt manifeſta, quia extrinſecus accedit, & intellectui inhæret, & amitti poteſt manente ſubiecto, igitur.

SECVNDA poſitio, ſi mens humana conſideretur ut potentia quædam, & ſcientia ut perfectio & ſecundum propriam rationem, vt facit hominem intelligentem actu, poteſt dici quaſi ſubſtantia, ſiue conſubſtantialis. Hæc poſitio intelligenda eſt iuxta ea quæ paulo ante diximus in explicatione tertiæ ſententiæ. Etenim per rerum notiones intellectus fit quodammodo res ipſa cognita, non ſecundũ eſſe reale, ſed intelligibile in actu.

TERTIA poſitio, ſcientiæ non ſunt formaliter ipſę ſpecies intelligibiles, ſed qualitates & habilitates, vt ita dicam, contractæ in ipſa potentia, quibus intellectus recte afficitur ad iudicandum ac diſputandum de rebus ipſis: & ita ſcientia non dicit in recto ipſas ſpecies, ſed in obliquo; ſicuti vnum relatiuum alterum relatiuum. Primo, præter ſpecies ordinatas ad conſtituendam ſcientiam, opus eſt promptitudine in intellectu ad agendum circa illas, quæ promptitudo eſt a ſpeciebus diſtincta, nec per illas tantum haberi poteſt: igitur. Secundo, ſi ponantur obiecta exteriora inter ſe ordinata, ſicuti ſpecies ordinantur, non dũ habetur habitus ſcientiæ, ſed requiritur aliqua qualitas in anima: ergo pari ratione, etiamſi diſponantur ſpecies in mente, requiritur aliqua qualitas, qua bene ſpeciebus vtamur, vel circa illas verſemur, & de illis iudicemus, quod eſt ſcientiæ proprium. Tertio, ſpecies ordinatæ ſunt in anima poſt primum actum, etiã

remiſ

remissum:& tamen scientia non est adhuc perfecta, sed opus est actuum frequentatione, ut ex Aristotele constat: igitur ratio scientiæ non consistit in illa specierum ordinatione. Quarto, habitus est species qualitatis; species autem, cum sint quid aggregatum per accidens, non faciunt aliquam speciem: igitur non cōstituunt naturam scientiæ. Nec valet si dicas, hoc argumentum procedere de scientia totali; quia concludit etiam de partiali, in qua, minimum sunt duæ species, vna subiecti, altera prædicati, quæ simul iunctæ, sunt quid aggregatum per accidens: cum sint duo, quorum neutrum est in potentia ad aliud. Quincto, de ratione habitus est, ut teneat se ex parte potentiæ quam perficit, eam recte disponendo ad bene agendū: atqui species se tenent ex parte obiecti: quare eis nō conuenit ratio scientiæ, quæ cum sit habitus, debet esse dispositio potentiæ ad optimum. Itaque cum species non afficiant potentiam, non habebunt rationem scientiæ, uel habitus. Huc accedit, quod alias nullus daretur habitus specificus scientiæ, qui poneretur in categoria qualitatis. Postremo, certum est habitus aliarum potentiarum, ut habitus uirtutum; esse habilitates quasdam: igitur & habitus intellectus, siue scientiæ.

In cap. de qualit.

Arist. 7. phys. t. 17.

QVARTA positio, scientia vt designat actum sciēdi, hunc in modum definiri potest, Scientia est cognitio rei per caussam propter quam res est, & quod illius sit caussa, & non contingit aliter se habere, quæ definitio colligitur ex doctrina Aristotelis, & hunc in modum explicanda est. Dicitur cognitio, vt indicetur eius genus, in hoc enim conuenit cum omni alia notitia intellectiua: Cæteræ particulæ ponuntur loco differentiæ, per quas scientia distinguitur ab omni alia cognitione, etiam ab ea, qua certe & euidenter aliquid cognoscimus, qualis est cognitio principiorum, & definitionis. In eadem definitione explicantur tres cōditiones scientiæ: quarum prima est, vt sciamus per caussā

Scie. diff.

Lib. 1. post. c. 2

pro-

propter quam res est, qua indicatur medium demonstrationis debere esse vnum, vt aliquando docuit Aristoteles. Secunda, vt sciamus esse caussam illius, qua docetur medium demonstrationis cognoscendum esse, vt est caussa conclusionis. Tertia, vt sciamus non posse aliter se habere; qua designatur necessaria connexio consequentis cum antecedente; ita vt ex ui talis formæ quæ reperitur in demonstratione, necessario inferatur conclusio. Duæ priores conditiones conueniunt demonstrationi, vt demonstratio est, & vt per eam acquiritur scientia: tertia vero potest etiam conuenire syllogismo, si exponatur de necessitate consequentiæ. Ideo autem dictum est, scire esse rem per caussam cognoscere, & non per principia; quia principia, interdū non sunt caussæ; & ita non possunt gignere scientiam eius rei cuius sunt principia, cuiusmodi est priuatio, quæ licet sit principium; tamen non est caussa rei, vt Aristoteles docet. Rursus secunda particula allatæ definitionis, excludit eam cognitionem quæ habetur per demonstrationem Quia, quæ non fit per caussam: & ideo dicitur, quod illius sit caussa, vt indicetur nos debere cognoscere caussam sub ratione caussę, hoc est, vt est caussa talis conclusionis; licet non sit necesse vt hoc explicetur in præmissis. Tertia vero, vel adhibetur, vt designetur necessitas consequentiæ: vel refertur ad obiectum scientiæ quod debet esse aliquid necessariū: vel denique designat connexionem necessariam effectus cū caussa, ita vt effectus alter se habere nō queat. Et sane ista particula tres allatas expositiones admittere potest.

Lib. 1. post. te. 29.

Lib. 1. post. c. 2.

Lib: 1. pysi.

POSSES etiam actualem scientiam hunc in modū describere, Actualis scientia, nihil est aliud quam demonstratio simul cum conclusione: ita vt necessario includat cognitionem præmissarū & conclusionis. Hoc indicasse videtur Aristoteles, cum dixit, Scire nihil aliud esse, quam habere demonstrationem: quod sane falsum esset, ni scientia esset vel tota demonstratio, vel con-

1. post. t. 5.

2. post. t. 2.

In fin. prol. 2. post. Lib. 2. post. com. 100. clusionis notitia, vt a præmissis dependet. Idem etiam Eustratius, & Auenroes docuere, ad quorum auctoritatem hæc accedit ratio. Scire est rem per caussam cognoscere: igitur ad constituendam scientiam requiritur cognitio effectus & caussæ, quæ duo cognoscuntur per demonstrationem: quare scire erit demonstrationem habere: alias propositio demonstrabilis cognosceretur sine cognitione caussæ & demonstrationis, quod est contra Arist. (1. post. t. 5.) Cæterum, actualis sciētia non est idē prorsus ꝙ demōstratio: quia demonstratio adhibetur ad conuincendum intellectum, & tanquam instrumentum acquirendæ scientiæ. Ex quibus colligitur, scientiam actualem particularem, esse notitiam particularis conclusionis: totalem vero omnium conclusionum scientiæ totalis. Sed iam videamus quid sit scientia sumpta pro habitu.

QVINCTA positio, scientia modo dicto sumpta, est habitus rationis rei necessariæ, perficiens intellectum, per demonstrationem acquisitus (D.Tho. 1.2.). Dicitur habitus rationis, vt distinguatur ab habitibus virtutum, qui sunt in voluntate. Dicitur, rei necessariæ, vt indicetur proprium scientiæ obiectum, res nimirum necessaria. Dicitur perficiens intellectum, vt explicetur proximus scientiæ finis, qui est perficere intellectum per cognitionem, quæ non ordinatur ad actionem, sed est gratia sui: indicatur etiā subiectū scientiæ, quæ est in intellectu, tanquam in subiecto. Dicitur, per demonstrationē, vt doceatur medium, siue ratio per quam scientia acquiritur. Denique, dicitur acquisitus, ad declarandum modum quo accedit, quia de nouo aduenit.

(Lib. 1. post. c. 2.) AT vero si scientia sumatur eo modo, quo Aristoteles sumpsit, hunc in modum eam describeres, Scientia est habitus rationis certus & euidens congoscens rem necessariam per caussam, propter quam est, & quod illius sit caussa, & non contingit aliter se habere: cuius definitionis hæc est sententia. Dicitur habitus rationis, ob caussam iam explicatam. Dicitur certus, ad exclu-

excludendam opinionem, quæ non includit notitiam certam. Dicitur euidens, ad excludendam fidem diuinã, quæ licet ſit certiſſima; non eſt tamen euidens. Dicitur per cauſſam, ad excludendam notitiam principiorum. Reliquæ particulæ eodem ſunt intelligendæ modo, vt ſupra explicuimus.

Denique, ſi ſcientia habitualiter ſumpta uniuerſe conſideretur, hoc pacto deſcribi poteſt, Scientia eſt quædam habilitas, ſiue habitus relictus in anima poſt multos actus quo diſponitur intellectus, vt poſſit certe & facille intelligere. Eſt autem hic habitus duplex, alter particularis de vna particulari concluſione: alter totalis de omnibus vnius ſcientiæ cõcluſionibus.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, an ſub definitione ſcientiæ ex Ariſtotele collecta, contineatur cognitio quæ habetur per definitionem; cui reſpondeo ſequentibus dictis. Primum, ſi rem ſecundum ſe ſpectemus, affirmare licet eam definitionem aptari poſſe ſcientiæ definitiuæ. Siquidem definitio facit ſcire rem per cauſſam formalem, & omnes particulæ allatæ definitionis aptari poſſunt ſcientiæ per definitionem acquiſitæ. Secundum, ſi Ariſtotelis mentem ſpectemus, dicendum eſt non contineri: vnde verba illa, ſcire eſt rem per cauſſam cognoſcere, explicanda ſunt, de ſcientia quæ habetur in concluſione, ex cognitione cauſſæ tanquam per medium. Quod autem hæc ſit Ariſtotelis mens, patet ex eo quod dixit, Si eſt alius ſciendi modus: vbi per modum ſciendi intelligit modum quendam a demonſtratione diſtinctum: & aliud inſtrumentum perfectum ſciendi, cuiuſmodi non eſt demonſtratio Quia, quę non eſt omnino diſtincta a demonſtratione propter quid, ſicuti definitio: vt patet ex ratione quam reddit, cur poſterius dicturus ſit de alio modo ſciendi: quia tunc conſiderabat ſcientiam, quæ habetur per demonſtrationem. Adde etiam, quia poſtea male difiniuiſſet demonſtrationem per ſcire, paullo ante difinitum, quoniam non eſſet proprius effectus illius.

Lib. 2. phyſi.t. 28.

Lib. 1. poſt. c. 2

RVRSVS peteret aliquis, an sub eadem definitione contineatur scientia Dei & Intelligentiarum, cui respondeo his dictis. Primum, si Aristotelis intentionem spectemus, talis definitio solum conuenit scientiæ humanæ, quæ habetur per demonstrationem: Patet ex ijs quæ diximus in confirmatione secundi dicti, superioris dubitationis. Secūdum, tota illa definitio accommodari potest scientiæ Dei & Intelligentiarum. Siquidem Deus & Intelligentiæ cognoscunt rerum proprietates certo & euidenter, per suas caussas; non tamē ratiocinando, sed per simplicem intuitum.

Lib. 6. eth. c. 4. & 5. RVRSVS peteres, an sub definitione scientiæ contineatur cognitio artis, & prudentiæ. Ad hanc petitionem respondeo distinguendo: si prudentia & ars considerentur, vt dicunt habitum quo cognoscuntur præcepta quædam generalia recte efficiendi, vel agendi per

Libr. 1. Met. c. 1. proprias caussas, Artifices enim vt Aristoteles docet, caussas norunt, continentur sub vltima scientiæ definitione supra allata, de ea enim hoc loco est sermo: at vero sub alijs definitionibus nō item: quia illa præceptorum notitia, sua vi atque natura refertur ad opus. Si autem considerentur vt dicunt habitum particularem circa hęc, vel illa singularia, & vt spectant vsum & opus dicta definitio eis non conuenit.

Libr. 6. eth. c. DENIQVE, cum in humana mente sint quinque habitus quibus aliquid cognoscitur, peteret aliquis, quo pacto sciētia proprie sumpta ab illis distinguatur. Respondeo, omnis habitus, aut est intellectiuus, aut

D. Tho. 1. 2. q. speculatiuus, aut practicus: si practicus & vniuersalis circa factibilia, est ars: si circa agibilia, est prudentia: si speculatiuus & versatur circa conclusiones, est scien-

Arist. 6. eth. c. 6. tia: si circa principia, est intellectus, si circa vltimas & supremas caussas, siue circa res diuinas est sapientia; atqui ex quorundam sententia, sapientia est habitus primorum principiorum & sciētiæ simul. Atque hucusque de natura & caussis scientię: sequitur ut de eius agamus attributis.

De

De humanæ scientiæ perfectione. Cap. VI.


E humanæ scientiæ perfectione disputaturus, priore loco quid sit id de quo quæritur explanabo. Scientię perfectio ex his capitibus perpendi potest. Primo ex parte naturæ ipsius scientiæ, sitne res quædam perfecta, vel imperfecta: secundo ex parte certitudinis: tertio ex parte rerũ cognitarum, an omnia sub humanam scientiam cadant, eaque a nobis sciri possint.

QVOD attinet ad primum sensum, ideo aliqui putarunt scientiam, siue Philosophiam ipsam esse quid imperfectum, quia est accidens quoddam, accidens enim quid imperfectum est. De secundo, iam supra egimus contra Aporeticos, sed rursus aliquid aliud hoc loco attingemus circa certitudinem. Vnde tota fere difficultas est de perfectione in tertio sensu: qui adhuc tribus modis intelligi potest. Primo, an oĩa sciri queant ex parte obiecti, & tunc certum est omnia, vt entia sunt, sciri posse, cum quidquid est, sub scientiam cadat, & aliquid sit scibile, quia est ens. Secundo, an omnia sciri possint vniuerse & in confuso: & de hoc etiam sensu, res est manifesta, cum hac quoque ratione omnium possit esse scientia: postremo, an omnia sciri valeant perfecte distincte, & in particulari, & sub hac ratione est dubitatio. Rursus, omnia posse sciri dupliciter intelligitur: primo quia habemus potentiam naturalem, qua omnium notitiam comparare valemus, vel solo naturæ lumine, vel etiam diuino: quo intelligentia humana adiuta, omnia sine dubio perciperet: altero, solis naturæ viribus, & sub hac ratione est dubitatio, An scilicet rerum omnium perfecta atque distincta scientia haberi queat: & quod queat, sequentibus rationibus probatur.

PRIMO humana mens naturaliter cognoscit om-

nia principia, in quibus potestate continentur omnes veritates, quas inuenire licet in omnibus scientijs: igitur ex illis ratiocinando eas cognoscere poterit.

Lib. 3. de an. t. 5. & 6.

SECVNDO, sensus potest percipere omnia sensibilia: igitur pari ratione intellectus omnia intelligibilia; cum superior potentia, non debeat esse inferiore minus perfecta.

TERTIO, in homine inest naturalis cupiditas cognoscẽdi res omnes, neque enim est maior ratio unius, quam alterius: igitur talis potentia viribus naturæ expleri poterit: ne hic appetitus sit nobis frustra a natura tributus, vt sane esset, si vacuus remaneret: Et quidem hac eadem ratione Aristoteles efficaciter demonstrauit dari debere quoddam summum bonum, quod naturaliter expetitur.

Lib. 1. eth. c. 1.

QVARTO, si quid est quod a nobis intelligi nequeat, erunt res a materia, iunctę: atqui Deus & Intelligentiæ debent ab omnibus cognosci; cum in eorum notitia, ex Aristotelis doctrina, humana sita sit felicitas: igitur.

Lib. 10. eth.

QVINCTO, obiectũ intellectus est ens, ut ens, quod continet res omnes: nihil erit igitur quod humanam intelligentiam fugiat, cum quæuis potentia ea percipere valeat, quæ sub ipsam cadunt, vt patet in sensu.

POSTREMO, intellectus, vt ait Aristoteles, est omnia in potẽtia, & est aptus fieri omnia: omnia igitur naturæ ui cognoscere valebit; quia intellectum esse potentia, nihil aliud est, quam posse fieri omnia per intellectionem. Circa hanc difficultatem, de qua nonnulla supra quibusdam in locis attigimus, ac proinde eam nunc paucis perstringemus, duę fuerant auctorum sententiæ.

Lib. 3. de an. Lib. de beat. anim. Lib. 3. de an. com. D. Tho. pp. q. 12 ar. 12. Cai. opus. de ent. q. 14

PRIMA Auenrois, Auicennæ, Alexandri, & quorundam aliorum, qui existimarunt omnia naturaliter sciri posse. Secunda, priori contraria, omnino retinenda, quam communiter omnes Theologi defendunt. Et quoniã hic nihil notãdũ occurrit, ad positiones accedo.

PRIMA

PRIMA positio, scientia humana sua vi atque natura, est quid perfectissimum. Explico, licet scientia ut est quoddam accidens pendeat a substantia cui inhæret, & sub hac ratione sit quid imperfectum: tamen, si consideretur, ut est tale accidens, & sub propria ratione, ut perficit supremam humanæ naturæ partem, est quid perfectum, & ipsa substantia perfectius: siquidem perficiens debet esse perfectius eo quod perficitur. Quare, sicuti Theologi dicũt gratiam qua anima Deo grata redditur, esse quid perfectissimum in genere rerum supernaturalium, vt quæ constituit hominem in quodam esse diuino; ita scientia in ordine rerum naturalium censenda est res perfectissima; cum, vt supra docuimus, constituat hominem in esse perfecto, & eius intellectum reuocet ad actum, & ita afficiat, vt per scientiam dicatur esse omnia: & homo inscius non possit plene dici homo, cum non dum sit plene factus.

In centur. de viro iusto. c. 4. Lib. 3. de anima.

SECVNDA positio, licet humana scientia ratione certitudinis possit dici imperfecta nõ tamen eo modo, quo aliqui putarunt: dicentes omnia esse incerta, & in opinione. Hanc positionem esse veram patet ex ijs quę supra de Philosophia vniuerse agentes diximus, & ex ijs quæ contra Academicos Aporeticos disseruimus.

TERTIA positio, falsum est posse omnia naturaliter sciri. Doctrina est certissima, & contrarium asserere est erroneum. Primum, quia in Christiana religione sunt multa mysteria, quæ non solum non possunt naturæ viribus cognosci, sed etiam videntur repugnare principijs naturaliter cognitis. Confirmatur, quoniam, vt supra docuimus, humana doctrina habet ortum a sensibus, qui nullam conuenientiam habent cum multis mysterijs fidei: igitur. Deinde, si omnia naturaliter sciri possent, fuissent iam scita, præsertim ex sententia eorũ qui ponunt mũdum ab æterno: at experientia contrarium docet: igitur sciri non queunt; & speciatim intimæ rerum naturæ. Confirmatur ex diuinis literis, in quibus dicitur, nos ex parte scire, & ex manifesta ex-

D. Tho. 1. p.

1. Cor. 13.

perientia, atque communi opinione. Quod si dicas, quosdam Philosophos, vt Platonem, vt Mercurium, & alios cognouisse mysteria fidei, Trinitatem, resurrectionem, inferni pœnas, & id genus alia; Responderem, ista accepisse a nostris, vt patet ex ijs quæ de Philosophiæ origine scripsimus; & quæ acceperunt, non integre seruarunt, sed aliqua parte temerarunt. Fuerunt itaque fures, & corruptores.

In Pim.
Lib. 2. Met. t. 1

QVARTA positio, nõ posse omnes res naturaliter sciri, naturali lumine cognosci potest: id quod his euidentibus rationibus demonstratur. Primo, multa sunt quæ non habent connexionem cum sensu, vnde nostra cognitio ortum ducit, ut sunt res a materia seiunctæ Deus, & intelligentiæ; igitur ista non possunt plene & in particulari a nobis percipi. Quare, licet naturæ viribus possimus cognoscere Deum existere, & nonnulla eius attributa: tamen naturam diuinam & singularum Intelligentiarum priuatim cognoscere non ualemus: vt merito Aristoteles aliquando dixerit, oculum nostrum se habere ad res diuinas, vt se habet oculus vespertilionis ad lumen diei. Secundo, per res naturales non potest veniri in cognitionem essentiæ Intelligentiarum, & numeri, & distinctionis earum: quare nõ omnia poterunt a nobis cognosci: sumptum probatur, quoniam vi naturæ non possumus venire in notitiam rerũ a materia seiunctarum, nisi per motum cœli, ex quo nõ probatur necessario naturas a mole seiunctas dari; cum nihil implicet cœlũ a sua forma moueri; & esto quod ab aliqua mente necessario moueri debeat, solum colligeremus tot esse numero mentes, quot sunt cœli, de quorum etiam numero non est omnino certa scientia, & an sint essentialiter distincti, & per quid distinguantur. Tertio naturaliter cognosci potest multa pendere a voluntate diuina, quæ per res naturales inuestigari nequit: quis enim nouit sensum Domini? igitur. Quod sumptum fuit, patet: quia lumine naturæ cognoscimus Deum esse caussam perfectissimam & liberam

Ro. 11.

râm, & non fecisse omnia quæ sub eius potentiam cadunt:at per nullam rem creatam possumus cognoscere cur Deus has,uel illas res fecerit,& non alias; cur hoc tempore & non alio,& quid posthac sit facturus:igitur. Et hinc est cur antiqui Philosophi in rebus a diuina voluntate pendentibus errauerint,vt in creatione mundi ab æterno,quę sane,ut ab Aristotele ponitur,est impossibilis;in quo,vt quidam scribunt,secum pugnauit: alij dixerũt perpetuo produci & corrumpi; & cum Plato, relicto sensu,ratione potissimum philosophari voluerit, nonnullas fabulas confinxit.

QVINCTA positio, humana scientia,de rebus naturalibus,non est perfecta simpliciter. Explico,aliqua cognitio dicitur perfecta, vel simpliciter, cum res aliqua cognoscitur omnibus modis quibus cognoscibilis est; vel ex parte cognoscentis,quia explet totam eius capacitatem;ut patet in sensu,qui dicitur perfectus ratione suæ cognitionis;non quod cognoscat res sensibiles omni modo,quo cognosci queunt, sed quia ita cognoscit, vt eius expleatur capacitas. Allata positio intelligitur iuxta primum modum;quam his rationibus confirmo. Primò,quia experientia docet nos multa ignorare de rebus naturalibus in omni rerum genere; quæ tamen sciri posse certissimum est;& multa quæ nouimus,non scientia,sed opinione tenemus.Deinde,quia rerum intimę differentiæ nos fugiunt,& tamen eas esse communis tenet Philosophorum sententia: quibus ignoratis,res non cognoscuntur perfecte ex parte obiecti: cũ quod est in eis præcipuum, ignoretur: quo ignorato etiam proprietates imperfecte cognoscuntur. Tertio, rerum natura existentium perfecta notitia pendet ex omnium caussarum internarum atque externarum cognitione:at oẽs caussæ extrinsecæ, & speciatim Deus, & ideæ quæ sunt in mente diuina ad quarum similitudinem res sunt factæ perfecte cognosci nequeunt; igitur.

SEXTA positio, rerum naturalium cognitio quæ

in no-

in nobis eſt,poteſt dici perfecta ex parte noſtri,ſiue ex parte cognoſcentis. Primo,quia,vt ſenſuum cognitio dicitur perfecta,ex eo quod ſenſus ita percipit ſuũ obiectum,ut ab eo perficiatur ex parte ſui, cum nihil amplius percipere queat;ita intellectus percipiẽdo ſuum obiectum, eodem modo perficietur, vt naturaliter perfici poteſt. Secundo, poſſumus cognoſcere cauſſas proximas rerum naturalium, per quas conficere licet perfectas demonſtrationes, quibus gignitur perfecta ſcientia ex parte cognoſcentis: igitur. Quod ſi nullæ

Lib. 1. Geor. cauſſæ a nobis cognoſci poſſent, nunquam Poeta ceciniſſet.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

SEPTIMA poſitio, ſcientiæ humanæ imperfectio ex his potiſſimum capitibus naſcitur. Primo, ex parte intellectus quo res cognoſcimus: quia eſt potentia ſeiuncta a materia, & tamen a ſenſibus in cognoſcendo pendet,nec ipſas res per ſe primo attingit:eſt etiam facultas valde indeterminata,ſicuti & eius obiectum. Secundo,ex parte modi cognoſcendi, quia cognoſcimus per varias operationes in quibus poteſt contingere error, & maxime in ratiocinando; cum non facile videamus rerum connexionem & diſtãtiam. Tertio,quia vt ſæpe diximus, noſtram cognitionem mendicamus a ſenſibus, qui non omnia ſubminiſtrant: & in cognoſcendo pendemus a corpore,non quod corpus concurrat ad actum ipſum producendum, ſed ex parte obiecti:quia mens non intelligit, niſi conuertatur ad phan-

Ariſt. lib. 3. de an. t. 30. taſmata. Atque ex his facile allata in contrarium ſolues argumenta.

AD primum,non omnia continentur clare in principijs, neque omnia prima principia ita a nobis cognoſcuntur,vt ea omnia comprehẽdere poſſimus,quæ in illis continentur.

AD ſecundum,non eſt parratio de ſenſu & de intellectu:quia ſenſus eſt determinatus ad vnum, & eſt perfectus in ſuo genere,intellectus nõ itẽ. Adde etiã,

quod

quod ſicuti ſenſus impeditus non poteſt percipere ſuũ obiectum, ita & intellectus impeditur, cum rerum naturæ ſint tectæ, & multis accidentibus inuolutæ.

Ad tertium, duplex eſt appetitus in rebus; alter naturalis determinatus ad vnum, qui dicitur innatus: alter liber & indeterminatus, qui vocatur elicitus: primus ſemper expleri poteſt, vel vi naturæ, vel auxilio extrinſecus adueniente: alter vero non ſemper. Appetitus ille ſciendi res omnes, partim vi naturæ expletur, partim vero auxilio diuino. Neque hoc repugnat, vt patet de appetitu beatitudinis quæ eſt ſtatus omniũ bonorum aggregatione perfectus; qui tamen ſolis naturæ viribus, vt ſacra definiunt concilia, haberi non poteſt: & natura ad multa habet potentiam quæ expleri nequit, niſi artis accedat opera. Boet.

Ad quartum, dum in hac vita ſumus, nec Deum, nec Intelligentias perfecte cognoſcimus, id quod etiã Ariſtoteles docuit. Neque eſt neceſſe, vt hic perfecte cognoſcamus, cum perfecta beatitudo non contingat in hac vita.

Ad quinctum, poteſt quidem intellectus cognoſcere omnia, ſed non omni modo: ac proinde ſatis eſt vt cognoſcat iuxta capacitatem ſuam.

Ad ſextum, intellectus eſt omnia in potẽtia, quia, vel ex ſe ſuoque lumine, vel etiam aliunde adiutus omnia cognoſcere poteſt, licet non omni modo.

De vnitate ſcientiæ, an ſit vna ſimplex qualitas. Cap. VII.

DEMONSTRATA ſcientiæ humanæ perfectione, ſequitur vt de eius vnitate agamus, quæ eſt alia communis rerum omnium, vt res ſunt, proprietas. Vt autem propoſitæ quæſtionis ſtatus intelligatur, notandum eſt hanc difficultatem intelligendam eſſe de tota ſcientia, quæ ſub ſe varia continet obiecta, non de partiali & ſingulari,

de

de qua certum est esse simplicem qualitatem. Quod scientia sit qualitas, quamuis species intelligibiles non excludat, ex ijs quæ supra diximus, planum est: at non esse qualitatem simplicem his argumentis suaderi põt.

PRIMO, intellectus humanus, qui est scientiæ subiectum, est vna simplex potentia: quare etiam scientia qua perficitur, erit simplex qualitas, habitus ue. Cõfirmatur, scientiarum habitus sunt qualitates & formæ potentiæ in qua recipiuntur: at in eodem subiecto nõ possunt esse plures formæ numero diuersæ, vt in vno corpore plures albedines: quare scientiarum habitus erunt simplices.

SECVNDO, scientiæ vnitas sumitur ab obiecto formali, quod in quacunque scientia est vnum: ergo & habitus circa tale obiectum erit vnus: neque enim sciẽtia est aliud, quam habitus intellectus circa rem scitã.

TERTIO, multa obiecta quæ conueniunt in vna ratione formali, vnam simplicem constituunt scientiã, sicuti plures soni vnum auditum, & plures sapores vnũ gustatum: pari igitur ratione plura vnius scientiæ obiecta in vna communi ratione conuenientia, vnam simplicem constituent scientiam & habitum.

QVARTO, corporis habitus, vt sanitas & pulchritudo ac etiam virtutes quæ sunt in voluntate, vt fortitudo & iustitia, sunt simplices qualitates: ergo etiam habitus intellectus simplices qualitates erunt, sicuti & habitus diuinitus infusi, fides spes, & alij.

QVINCTO, scientia, vt patet ex dictis, definiri potest, vt quid vnum per se; at si constaret ex pluribus habitibus esset quid aggregatum per accidens, quod nõ est definitionis capax; igitur.

SEXTO, omnia quæ dicuntur de scientia defendi possunt, si dicamus esse vnam simplicem qualitatem & habitum; quare nihil est necesse, ut plures ponantur habitus, si sine necessitate, ut Philosophi docent, non sunt multiplicanda entia.

Lib. 1. phys. tex. 50.

SEPTIMO, si habitus scientiæ non sunt simplices qua-

qualitates, maxime quia scientiæ sunt ipsæ species, qđ indicasse videtur Aristoteles, cum dixit, scientiam nihil aliud esse, quam rem scitam, ac si dixisset, esse species ipsas, quibus, vt idem ait, intellectus, qui est ueluti tabula rasa, inscribitur: ac etiã per ipsas saluari potest, quid quid de scientia dicitur: at id non conuincit, quia per nos scientiæ non sunt formaliter ipsæ species: igitur.

Lib. 3. de an. t. 75. 19. & 27. Loc. cit. t 15.

IN hac difficultate fuit prima opinio multorum Thomęorum, & speciatim Caietani in primam secundę diui Thomæ, Capreoli in prologo sentẽtiarũ quęst. tertia, Ferrariensis in suis commentarijs in lib. primum cõtra Gẽtes, Dominici de Flandria, in lib. sextum Met. quæst. septima, articulo tertio, Soti, q. 3. prœmiali in Logicam, & aliorum; a qua non videtur abhorrere D. Thomas, quæ explicatur his dictis. Primum, in scientię natura duo cõsiderantur, species intelligibiles inter se ordinatæ, & habitus, quo speciebus bene vtimur. Secundum, scientiæ non sunt ipsæ species, sed habitus. Tertium, cuiuscunque rei scientia est una simplex qualitas, non aggregatio ex pluribus qualitatibus. Quartum, hic simplex habitus acquiritur per primam demonstrationem, quæ fit in aliqua scientia, qui postea per alias non multiplicatur, sed extenditur ad alias res, quas per alias demonstrationes cognoscimus.

Hear. q 9. q. 54. ar. 4. Med. ibid: Hom. 1. & 2. Cap. 56. In 1. 2. q. 54 ar. 4. D. Tho. 3. 5. d. 14. q. 1. ar. 1. q. 2

SECVNDA opinio Ocami, & Gabrielis in prologo sentent. Gregorij Ariminensis eodem loco, Antonij Andreæ in librum sextum Metaph. & multorum recentiorum, qui defendunt scientias non esse simplices qualitates, sed constare ex diuersis habitibus, diuersis demonstrationibus generatis, ex quibus omnibus fit vna totalis scientia. verum illi quos speciatim citauimus, existimarunt scientias esse species inter se ordinatas, quæ remanent in intellectu per scientiam actualem: quem afficiunt ad bene agendum circa obiectum: alij vero potius volunt esse qualitates in intellectu contractas, sed includunt etiam species, ut supra docuimus. Vt autem quid in hac difficultate sentiendum sit plane exponã,

q. 8. q. 3. q. 3. Tolet.

in se-

insequentia statuo fundamenta.

PRIMVM fundamentum, in hac disputatione tria potissimum attinguntur: primum, an scientiæ sint species ordinatæ in intellectu existentes, an vero qualitate ex ipsa cogitatione genitæ, & in eodẽ intellectu relictæ; de quo quid tenendum sit, iam supra statuimus: alterum, posito scientiam esse qualitatem, an sit simplex qualitas: postremum, si non est simplex qualitas, an in aliqua totali scientia, puta in Physica, tot sint habitus, quot sunt demonstrationis, siue conclusiones, & res cognitæ. Habitus autem nihil aliud esse videtur quam qualitas quędam naturæ superaddita, quæ non dat simpliciter agere, cum posse agere conueniat potentiæ agenti a natura, sed facile, & bene agere. Supponit itaque habitus potentiam agere potentem, quam afficit ad melius agendum: id quod verum est, tum in habitibus corporis, ut in arte saltãdi, tum animi, vt in virtutibus, & scientijs. Et quamuis habitus recte disponant ad actus quos circa aliqua obiecta exercemus; tamen ex vnitate habitus non licet inferre vnitatem actus, & ex vnitate actus, vnitatem obiecti, uel ex horũ varietate, illorum etiam varietatem. Siquidem, vt statim demonstrabo, maior vnitas est in habitu, quam in actu, & maior in actu, quam in obiecto. Vt autem quod diximus plane exponatur, animaduertendum est, naturã, quo res sunt res altioris ordinis & maioris perfectionis, eo magis earum coniungere perfectiones; contra vero, quo magis sunt imperfectę, eo magis eas separare atque disiũgere. Vnde, esse corporatum, disiungit a vita, quæ est in planta, in qua vtrunque coniungit, sicuti vitam & sensum in bruto, & sensum cum ratione in homine, & rationem cum immortalitate simpliciter in Angelo, & denique omnia perfectissimo modo in Deo. En igitur quomodo res, quo sunt præstantiores, eo plures copulatas perfectiones habent. Quod si contrario modo procederes, contrarium inuenires, hoc est, quo res sunt imperfectiores, eo pauciores perfectiones habere

Arist. 2. eth.

bere coniunctas. Et vt quæ diximus ad rem noſtram accommodemus, in habitibus intellectus, ſeu in ſcientiæ acquiſitione, hic ordo animaduertendus eſt, ut primo loco ſit potentia, ſecundo habitus, tertio actus, & poſtremo res ipſa, ſiue obiectum: unde iuxta ea quæ diximus, quæ ſunt diuiſa in obiecto, vniuntur in actu: quæ ſunt diuiſa in actu, vniuntur in habitu: quæ vero in habitu copulantur in potentia. Quo fit, vt plura obiecta ſpecie diſtincta cognoſcantur per vnum actum, vt cum plures vnico aſpectu videmus colores: ſimiliter plures actus ab uno habitu eſſe poſſunt: & plures habitus in vna recipiuntur potētia. Verum igitur eſt quod ſupra dicebamus, non licere ex habituum vnitate colligere vnitatem actus, & ex vnitate actus, obiectorum vnitatem, vel ex horum multitudine illorum quoque multiplicitatem.

SECVNDVM fundamentum, ex Ariſtotelis doctrina, quam omnes alij vt veram admittunt, potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta: quo loco nomine potentiæ, non intelligitur vis naturalis ad agēdum data, ſed habitus, qui ſolet vocari potentia, cum per eum proxime agere poſsimus; quo fit, vt etiam habitus per obiecta diſtinguantur. Hoc autem non eſt ita accipiendum, vt vbicunque ſunt obiecta ſpecie diſtincta, ſint etiam actus diſtincti ſpecie, & vbi ſunt actus ſpecie diuerſi, ſint etiam habitus eodem modo ſeiuncti: ſed intelligendum eſt de obiectis & actibus totalibus. Illud dicitur totale obiectum, in quod ſub vna ratione formali potentia fertur, ita vt ob illam formalem rationem feratur in omnia obiecta & talis ratio non conueniat alteri potentiæ. Vnde totale obiectū aſpectus, non eſt candor, aut nigror, aut color, aut lumen, quia aſpectus non fertur in dicta obiecta, ut talia, ſunt, ſed ut ſpectabilia: & ita, aſpectabile, erit totale obiectū aſpectus. Ex quibus intelligitur, quid ſit totalis actus, ille nimirum qui fertur in obiectum totale ex cuius diſtinctione, ſicuti & totalis actus, ſumitur diſtin-

Lib. 2. de anim.

distinctio habitus potentiæ. Quare, si totalia obiecta specie distinguentur, habitus & potentiæ erunt specie distinctæ. Et quoniam in scientia totali multa sunt particularia obiecta, videndum erit, an conueniant in vna ratione formali, quæ possit constituere vnum habitum specie, sicuti omnia spectabilia, vnum aspectum. Atq; hæc pro præsenti disputatione adnotasse sufficiat; quędam alia quæ ad idem attributum declarandum pertinent, afferam in disputatione sequenti.

PRIMA positio, totalis scientia non est vna simplex qualitas acquisita per primam alicuius scientiæ demonstrationem: quare Physica, vel logica, non est vnus simplex habitus, vt vult prima sententia, quam his rationibus refelleres. Primo, in vna totali scientia sunt multa obiecta formaliter distincta, quæ conueni-re non queunt in vna ratione specifica, vt in Physicis, cœlum, elementa, & mista: ergo non possunt constitue re vnum scientiæ specificæ habitum, & multo minus vnum numero. Cum ergo in vna scientia sint obiecta diuersa, & demonstrationes diuersæ, & consequenter conclusiones diuersæ, erunt etiam diuersi habitus.

SECVNDO, si scientia esset vna simplex qualitas sequeretur eum qui habet primam demonstrationem, habere totum habitum scientiæ, sicut ille qui habet omnes demonstrationes, pertinentes ad eandem scientiam: quod cum experientia pugnat. Nam, si sit aliquis qui habeat omnes demonstrationes physicas, alter vero solum primam, hi haberent eundem habitum specie: at vbi sunt eædem formæ, sunt etiam eædem operationes: ergo eodem modo possent agere circa easdem demonstrationes physicas, quod est manifeste falsum. Sed responderet aduersarius, ideo argumentum non concludere, quia formæ non sunt eodem modo perfecte, ob quam caussam paruus calor non liquefacit lutum, ut calor intensus, & tamen sunt ijdem specie calores. Atqui hoc nihil est, quia formæ eiusdem speciei semper producunt eundem effectum, si sit pri-

mus

mus & immediatus; & ita omnis calor calefacit; cum hic effectus sit primus & immediatus caloris. Cũ ergo primus effectus habitus scientiæ sit producere actum, illi duo homines poterunt exercere eosdem actus. Neque verum est in allato exemplo primum & proximũ effectum caloris esse liquefacere: quem antecedit saltem exsiccatio. Confirmatur, illi habitus de quibus diximus, sunt eiusdem speciei, neque in vno est aliquid, quod non sit in altero per se: nam quatenus demonstrant, nihil noui producunt; & ita quod potest fieri a primo, poterit etiam fieri a secundo, quod est omnino falsum.

TERTIO, habitus scientię acquiritur per plures actus: ergo, si multiplicentur actus eiusdem rationis, vel acquiretur habitus omnium demõstrationum, vel non: si primum, ergo ex frequentatione vnius demõstrationis acquiretur perfectissimus habitus scientiæ, qui extenderetur ad omnes demonstrationes; quod cum experientia pugnat: si secundum, ergo ille habitus non est simplex qualitas, quæ tota acquiratur, & postea tota paulatim perficiatur: quia ad perfectioně totius habitus requiruntur demonstrationes distinctæ specie, quæ producunt habitus distinctos specie, vel partes distinctas; & ita gignetur scientia perfecta quæ non erit simplex habitus.

QVARTO, si habitus scientiæ essent simplices qualitates, sequeretur in eodem intellectu posse esse simul habitum scientiæ & erroris circa eandem conclusionem, quod est absurdum: essent enim duo cõtradictoria simul: consequutio probatur. quia potest aliquis habere veram scientiam de prima conclusione, & errorem de vltima, quæ conclusiones per aduersarios cognoscuntur vno & eodem habitu numero, quod esse non potest: igitur fatendum est esse duos habitus specie diuersos. Nam, si duo habitus circa eandem conclusionem in duobus hominibus differunt solum numero; habitus de duabus conclusionibus diuersis, debent

differre specie; cum sit maior distinctio inter duos habitus posteriores, quam inter duos priores.

QVOD si dicas, esse plures habitus distinctos specie materialiter, non formaliter, sicut nigredo & albedo materialiter differunt specie, sed conueniunt in vna formali ratione, qua videri possunt: hoc dici non potest. Primum, quia falsum est esse vnicam rationem formalem specificam in omnibus habitibus, sed erit, uel generica, vel analoga. Etenim obiecta partialia in physica, vt cœlum, & mista, non conueniunt in vna ratione specifica; alias enim possemus constituere vnum tantum habitum circa omnia intelligibilia, quia conueniũt in hac communi ratione, quod intelligibilia sint, id quod aduersarij non concederent, cum plures admittant scientias inter se distinctas. Deinde, diuersa est ratio potentiæ & habitus, vt supra docuimus: maior. n. vnitas requiritur in actibus & obiectis ad constituendum unum habitum specie, quam ad constituendam vnam potentiam; quia potentia est superior & in plura ferri potest. Quare, etsi omnia obiecta vnius scientiæ totalis conueniant in unica ratione respectu potentiæ; non tamen conueniunt respectu habitus.

QVINCTO, qui habet solam primam demonstrationem, uel est in potentia proxima ad producendos actus circa alias demonstrationes, vel in potentia remota: hoc si dixeris, sequitur illos habitus esse specie distinctos; quia ad acquirẽdum habitum circa alias demonstrationes necessaria erit aliqua mutatio, quæ faciat habitum in potentia proxima. Primum dici non potest, quia experientia constat eum qui habet primã demonstrationem non posse statim exercere actum circa alias. Illa enim est potentia proxima, vt Aristoteles docet, quæ potest exercere actum quandocunque voluerit.

Libr. 8. phys. tex. 32.

QVOD autem aduersarij dicunt, habitum scientię produci eo modo, quo producitur calor, cuius primo vnus tantum gradus producitur, & postea non auge-

tur per alios gradus, sed solum per maiorem radicationem, vt loquuntur, in subiecto, non placet; tum quia, etiam calor, vt cōmunior & verior docet Philosophorum sententia, per gradus augetur; tunc quia, non est par ratio de calore & de sciētia: quia calor non occupat vnam tantum partem subiecti, sed totum, & ideo non amplius extenditur: sed intenditur: at vero habitus scientiæ circa primam demōstrationem, habet proprium obiectum circa quod versatur, & non potest extendi ad alia; & si extendi debet, aliquid amplius addēdum erit. Sicuti, si calor haberet proprium subiectum, & deberet extendi ad aliud, non sufficeret sola radicatio, sed requireretur aliquis calor de nouo productus.

SEXTO, scientia, vt ita dicam, habilitat intellectū in ordinem ad species intelligibiles, vt supra docuimus: at species sunt diuersæ; igitur & habitus erunt diuersi.

SECVNDA positio, scientia totalis, vt tota Logica, vel tota Physica, non est vnus simplex habitus, sed ex pluribus habitibus conflatur, qui per varias demonstrationes circa partialia obiecta generantur: & ita sunt varij habitus specie distincti. Hæc doctrina intelligenda est, quando demonstrationes habent principia immediata distincta; vel si eadem habent, ex illis tamen non facile propriæ conclusiones colligi possunt: hac posita declaratione, allata positio sic probatur. Primo, scientia habitualis non est vnus simplex habitus, nec etiam species ordinatæ, vt docuimus: plures igitur. Secundo, confirmabitur euidenter allata doctrina ex ijs quæ in sequenti disputatione docebimus, vbi demōstrabitur, vnde scientiæ suam vnitatem sumant.

TERTIA positio, quamuis a quibusdam probabiliter dicatur, tot esse habitus in scientia, quot in ea sunt demonstrationes; tamen probabilius est, tot solum esse quot sunt demonstrationes habentes principia immediata diuersa; vel si habent eadem, ex illis non facile propriē conclusiones colligi possunt: & ita cum magna

esset difficultas, diuersus habitus poni deberet. Allatã positionem hæ rationes confirmant. Prima, quia frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora: sed acquisito habitu per demonstrationem habentem principium immediatum facile est cognoscere omnes proprietates subordinatas; igitur nihil erit necesse vt multiplicentur habitus ob quarumcunque passionum multiplicationem. Minor propositio probatur ac declaratur simul. si quis cognoscat primam passionem quæ homini conuenit per eius definitionem, vt si cognoscat esse discursiuum, quia est rationalis, is cum potestate & proxime habeat notitiam aliarum proprietatum hominis, quæ facile ex eodem principio probari possunt, harum quoque dicetur habere scientiam, ac proinde respectu omnium vnus erit habitus.

SECVNDO, idem probatur experientia in alijs habitibus, quia videmus eos qui habent habitum pulsandi, quo norunt sonorum harmonicorum principia, per eundem percipere etiam sonos aliquos diuersissimos, quorum antea nullam habuerunt notitiam, & idcirco non indigent nouo habitu ab illo distincto, quo norunt proprietates numeri harmonici. Quare, simili ratione sciri possunt per eundem habitum variæ passiones subordinatæ.

TERTIO, idem probatur a pari, vel a simili in virtutibus moralibus, quæ non arguunt diuersos habitus, quando versantur circa actiones, quæ non habent nouam difficultatem, secus cum in illis noua est difficultas: vt patet in habitu temperantiæ, quo quis fit temperatus circa omnia, quæ sub hanc virtutem cadunt. Verum, vt dicebam, quando aliquæ passiones subordinatę non facile ex illo principio immediato colliguntur, distincti habitus ponendi sunt: sed hoc est per accidens, ob debilitatem intellectus nostri non potentis bene percipere omnia quæ ab illo pendent principio. Concludamus igitur, cum omnia saluari possint per vnum habitum ad modum explicatum, nihil esse necesse, ut tot multi-

tot multiplicantur, quot ſunt demonſtrationes.

QVOD ſi quis dicat, poſſe ſaluari omnia per vnum ſimplicem habitum, qui plures habet gradus per diuerſas demonſtrationes acquiſitos; quemadmodum vnus gradus caloris poteſt produci ab igne, alius a ſole, & alius a motu: Reſpondeo, primum concedi poſſe illam conſequentiam: illi tamen gradus qui acquiruntur per diuerſas demonſtrationes improprie diuerſi habitus vocarentur, & ita erit quæſtio de nomine; ſed quia loquendum eſt cum multis, ideo melius vocantur habitus. Deinde, dicerem non eſſe parem ratioñe, quia omnes gradus caloris ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſolum differunt, quod vnus eſt primus, alius ſecundus, nec requirunt neceſſario diuerſa agentia: at habitus partiales ſcientiarum diſtinguuntur, & neceſſario requirunt diuerſa agentia, & ita quando acquiritur prima demonſtratio, non acquiritur ſecunda: quod non contingit in diuerſis proprietatibus, quę ex iiſdem principiis probantur. Etenim cum paſſiones ſunt ſubordinatæ, non requirunt neceſſario diuerſas demonſtrationes; ac proinde non producuntur diuerſi habitus, cum in illis non ſit noua difficultas, ſed poteſtate in prima demonſtratione continentur. Vt quę poſuimus, adhuc firmiora reddantur, ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondeamus.

AD primum, ſi hoc argumentum valeret, probaret etiam vnicam tantum reperiri ſcientiam, quod aduerſarii pernegarent. Rurſus, dico eſſe diſparem rationem, quia potentia eſt a natura, quæ procedit ab vno ad multa: at vero ſcientiæ partim ab obiecto, partim a principiis immediatis, & ab intellectu; & idcirco totalis ſcientia non poteſt eſſe vna, cum habeat multa obiecta ſpecifica. Ad confirmationem, iſtę formæ non ſolum numero, ſed etiam ſpecie diuerſæ ſunt: neque repugnat formas relatiuas multiplicari in eodem ſubiecto, & ita in uno patre poſsunt eſſe plures relationes paternitatis.

AD secundum, obiectũ totalis scientiæ non est vnũ specie, sed genere, & ideo de eo possunt esse plures habitus specie distincti.

AD tertium, concedo ex obiectis partialibus fieri vnam scientiam totalem, & eam habere vnam rationem formalem, vnde vna oritur scientia: sed cum illa vnitas sit generica, ideo non arguit nisi vnum habitũ genere, cõflatũ tamen ex pluribus habitibus, qui conficiuntur ex diuersa ratione, qua intellectus afficitur circa diuersa obiecta. Neque est par ratio de potentia sentiendi respectu sonorum, vt patet ex dictis: quia habitus magis multiplicantur, quam potentiæ.

AD quartum, non est eadem ratio de habitibus corporis & animi, quia illi sunt determinati ad vnum: nec habitus virtutum sunt simplices, sed multiplicantur pro diuersitate ordinum diuersorum ad hæc, vel illa obiecta. Infusi vero non producuntur per actus, & ideo non sunt diuersi: ut omittam, quod sunt altioris ordinis; & vnus potest omnia præstare, quæ præstant plures acquisiti.

AD quinctum, negamus omnia defendi posse per habituum simplicitatem, vt plane demonstrant allata argumenta, quorum aliqua omnino opinionem contrariam euertunt.

AD sextum, iam supra diximus, habitus non esse ipsas species: & ita non assignamus hanc caussam, cur habitus non sint simplices qualitates.

AD septimum, patet ex dictis: nec Aristotelis auctoritates conuincunt, scientias formaliter esse species, sed solum probant species esse necessarias ad constituẽdas scientias; quia, ut diximus, scientia in obliquo includit species, sicuti vnum relatiuum includit alterũ. Sed de hac difficultate satis.

Vnde

Vnde sumatur totalis scientiæ vnitas, & qua ratione scientia dicatur vna.

Cap. VIII.



QVONIAM scientia est qualitas, & talis qualitas, quæ includit ordinem ad obiectum de quo habetur scientia, propterea demonstrata vnitate scientiæ, ut qualitas quædam est, consequitur, vt eiusdem vnitatem indicemus, vt est tale accidens. Et quoniam huius dubitationis titulus dubius est, ideo antequam argumẽta & opiniones affero, quid hoc loco quæratur declaremus oportet.

IN scientia triplex notari potest vnitas, numerica, specifica, & generica. Et quidem de numerica nulla est dubitatio, sed de specifica & generica: verũ de specifica res est magis certa: quia certum est in aliqua scientia, tunc esse habitus diuersos specie, quando propria & proxima principia demõstrationum specie differũt. Potest autem vnitas specifica his modis variari. Primo cum principia, passio, & subiectum sunt diuersa; vt si quis habeat has duas notitias, animam humanam esse corruptionis expertem, quia est a materia seiuncta: & mista esse corruptibilia, quia ex contrarijs conflantur. Secundo, quando idem est subiectum & eadem passio, sed principia diuersa: ut si quis sciat terram esse rotundam, quia vbique terrarum media cœli pars conspicitur, vel quia cum sit grauis omnes eius partes æque tendunt ad centrum, & ab eodem distant, quod fieri non posset, nisi esset sphericæ figuræ. Postremo, cum subiectum est idem, passio vero & principia distincta: vt si probetur hominem esse corruptibilem, quia constat ex contrarijs, & eundem esse risiuum, quia est admiratiuus. Libr. 3. Meth.t. 3.

SED peteres, an quando principia sunt eadem, subiectum vero & passio diuersa, scientiæ sint specie di-

ſt nctæ? Reſpondeo, vniuerſe loquendo, non eſſe diſtin ctas ſpecie, quia ſecunda paſſio continetur in prima, & ſubiectũ inferius ſub ſuperiore. Nam qui ſcit triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis, ſcit etiã poteſtate ſcalenum eoſdem habere: qui ſcit animam eſſe immortalẽ, quia eſt expers materiæ, ſcit etiam eandem non eſſe conflatam ex contrarijs. Verũ, ut proxima diſputatione diximus, ſi ſecunda paſſio difficile colligeretur ex prima, tunc habitus ſpecie diſtinguerẽtur.

Primo poſt. ca. 1.

RVRSVS ad tituli explicationem notandum eſt, ſcientiæ diſtinctionem non eſſe ſumendam ab obiecto materialiter conſiderato, ſed a ratione formali, quæ in ſcientia eſt triplex. vna quæ vocatur per quam: altera, quæ dicitur Quæ, vel ratio formals obiecti, ut res quædam eſt: tertia quæ dicitur, ſub qua, vel ratio formalis ſcientis, vel obiecti, vt obiectum eſt. Prima nihil aliud eſt, quam ipſa demonſtratio per quam acquiritur ſcientia. Secunda eſt res ipſa cognita per propriam rationẽ. Tertia eſt veluti conditio ipſius obiecti. Quæ tres rationes in hoc explicantur exemplo, quo demonſtratur hominem eſſe corruptibilem, hoc modo. Omne compoſitum ex contrarijs eſt corruptile: homo ex contrarijs compoſitus eſt; corruptibilis igitur: Ratio per quã habetur iſta ſcientia, eſt ipſa demonſtratio, quæ continetur in præmiſſis. Ratio Quæ, eſt compoſitum ex contrarijs, per quam homini conuenit eſſe corruptibilem. Ratio ſub qua Phyſicus agit de homine, eſt quod homo conſideretur abſtractus a materia ſingulari. Duæ poſteriores rationes differunt inter ſe his modis. Primo, quia ſecunda per ſe conſideratur in ſcientia; tertia vero eſt ſolum conditio quædam neceſſaria ad hoc vt aliquid conſideretur in ſcientia. Secunda, eſt ratio cur paſsio inſit ſubiecto, tertia vero non item. Secunda eſt aliquid reale in ſubiecto; tertia dicit aliquid in ordinẽ ad rationem.

Et quidem tota difficultas eſt, an ſcientiæ vnitas ſumatur a ratione formali Quæ, vel a ratione, ſub qua, ſi-

ue ab aliquo genere abstractionis a materia.

Est enim triplex abstractio, una a materia singulari notata, qua vtitur Physicus, qui solum abstrahit a re singulari: altera a materia secundum rationem, sed non secundum rem; qua vtitur Mathematicus, qua considerat res quantas in communi, vt solum cadunt sub ratio nem: tertia a materia secundum rem, & secundum rationem, qua ratione abstrahit Metaphysicus, qui consi derat solas rerum naturas, ab omni materia semotas. His ita adnotatis, afferam argumenta quædam, quibus probabitur scientias distingui per diuersas abstractiones, seu per rationes sub quibus.

Primo ex Aristotele, qui non vno in loco distinguit tres scientias Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam iuxta triplicem abstractionem, & per ratione formalem sub qua. Libr. 6. met. t. 1. & 2. 11. met. sum. 3. c. 1. 1. de au. t. 17.

Secundo, nonnullæ scientiæ habent obiecta cō uenientia in ratione quæ attingitur in obiecto, non ra tionem sub qua; igitur earum vnitas & distinctio ab hac postrema ratione sumenda erit: sumptum declaratur exemplo, Physica & Astrologia considerant eandē terræ rotunditatem, & ita conueniunt in ratione formali Quæ; at vero distinguũtur per rationem sub qua, siue per diuersam abstractionem, igitur.

Tertio, si vnitas non sumeretur a dicta ratione, non esset vlla ratio cur sint tres distinctæ scientiæ, & non plures, vel pauciores: quia omnes conueniunt in vna ratione, quod versentur circa res vt intellectiles sunt: igitur.

Postremo, dantur scientiæ quæ non habent obiecta vniuoca, sed analoga: vt patet de Metaphysica quæ versatur circa ens, vt ens est, quod est quid analogum: ac proinde non erit vna scientia genere vniuoco, & ideo non posset poni in categoria qualitatis: cum in prædicamento non ponantur nisi naturæ vniuocæ. Opusc. 70. q. 5.

Prima in hac difficultate sententia est diui Thomæ, quam hi Thomæi sequuntur, Capreolus in prol. sent. art. 2.

sent. quæst. 3. & quarta. Caietanus in prim. part. quæst. prima, art. tertio, Ferrariensis contra Gentes: Dominicus Flandrensis, in 6. Metaphysico, quæst. 7. art. tertio: Sotus quæst. 3. prooemiali in Logicam, & in textu 43. primo posteriorum, & quidam alij, qui existimant sciẽtias sumere suam vnitatem & distinctionem a ratione sub qua, vel a triplici abstractione: discrepant tamen, quod alij putent hinc sumi vnitatem specificam, alij vero genericam: Vnde inferunt, cũ sint tres abstractiones, tres esse totales scientias, vt exposuimus.

SECVNDA sententia aliorum, qui docent vnitatem genericam sumendam esse a ratione formali Quę, vel a principijs intrinsecis, vt in fundamentis explicabimus. Ita Gregorius Ariminensis, quæst. 3. in prol. sent. Durãdus, Ocamus, Gabriel, eodem loco, Antonius Andr. in 6. Metaph & cõmuniter omnes Scotei: item [Lib. 1. post. t. 43.] Albertus, Aegidius, & Paulus Venetus, Vt autem quid tenendum sit plane demonstrem, statuo hæc fundamenta.

PRIMVM fundamentum, multa sunt capita ex quibus diuersitas generica scientiæ, vel alterius cognitionis sumi potest. Primo ex parte subiecti in quo sciẽtia, vel cognitio inhæret: qua ratione cognitio intellectiua & sensitiua distinguuntur, [Lib. 6. eth. c. 3.] quia habent diuersa subiecta, sensum, & intellectum; quę sunt genere distincta. Quam distinctionem sumeres etiam ex caussis efficientibus, cum actiones immanentes ab eodem fiant [Libr. 2. met. t. 3.] agente, in quo recipiuntur. Secundo ex parte finis, quo modo practica & speculatiua scientia ob diuersos fines [Libr. 1. post. t. 44.] distinguũtur. Tertio, ratione medij per quod acquiruntur, quo pacto opinio & sciẽtia sunt distinctæ; cum vna habeatur per demonstrationem, altera per rationem [Libr. 3. de an. t. 38.] probabilem. Postremo, ratione obiecti, quia obiecta habent rationes formales distinctas; & iuxta hunc modũ in præsentia est dubitatio.

SECVNDVM fundamentum, scientia totalis, vt supra docuimus, conficitur ex multis habitibus partiali-

bus:

bus: qui quoniam ad vnum obiectum formale ordinantur; ideo ab eo vnitatē sumunt, ac etiā a modo definiēdi & demonstrandi. Explico, Physica est quædam totalis scientia, quæ constat ex habitibus productis per diuersas demonstrationes specie distinctas; sed quia hi diuersi habitus versantur circa obiecta quæ in vnam rationem formalem coeunt, quæ est corpus naturale, & quia eodem modo definiunt, per materiam & formam, atque eundem habent modum demonstrandi ac procedendi per sensata, & nobis notiora; hinc est, quod ex illis vnus habitus genericus, ob hanc communem rationem fieri dicitur. Neque enim efficere queunt vnam scientiam specie, cum habeant demonstrationes distinctas, & aliæ sint per caussas, aliæ per effectus, & aliæ accidentium, aliæ substantiarum. Quare, ad hanc scientię vnitatem, vt quidam scribūt, quattuor sunt necessaria. Primo vnum obiectum sub vna ratione formali consideratum. Secundo, opus est vt habeant propria principia, & proprium modum definiēdi, & procedendi. Tertio, vt subiectum habeat plures species, quod intelligēdum est de subiecto, formaliter accepto: & ideo Medicina habet vnū subiectum, non tamen plures species, si eius subiectū formaliter sumatur; etenim corpus humanū sanabile, quod est subiectū in Medicina, non habet plures species sanabiles per aliam medicinam. Postremo debet habere aliquas passiones proprias, demōstrabiles. Ex his itaque omnibus vna fit scientia genere saltem analogo. Quod si obijcias, scientiam poni in prædicamēto qualitatis; igitur oportet vt sit vna genere vniuoco. Huic obiectioni satisfacio per hanc distinctionē. Scientia dupliciter cōsiderari potest: primo vt est qualitas & habitus difficile mobilis; & sub hac consideratione omnes scientiæ, siue totales, siue partiales cōueniūt in vna ratione formali vniuoca, secundum quam ponūtur in prædicamento. Secundo, vt dicunt ordinem ad suum obiectum, a quo suam speciem & distinctionem sumunt, & hoc pacto nō cōueniūt vniuoce, sed analogicæ:

Libr. 2. phys. in fine.

cæ. Verum scientiæ partiales sub hac etiam consideratione possunt poni in prædicamento, quia sunt qualitates simplices: Neque enim in intellectu esse possunt duæ scientiæ solum numero distinctæ, cum nō sint duo accidentia absoluta in eodem subiecto numero distincta. His ita adnotatis, has subijcio positiones.

Libr. 8. meth. t. 32.

PRIMA positio, vnitas numerica scientiæ sumitur ab vnitate subiecti. Doctrina est manifesta: & ita tot sunt scientiæ numero, quot sunt qui scientiam habent.

SECVNDA positio, unitas specifica scientiæ non sumitur ab obiecto materialiter sumpto. Quoniā obiectum sub hac ratione non distinguit, nec dat vnitatem scientiæ, quarum multæ possunt esse de eodem obiecto materialiter considerato, vt patet de homine, de quo multæ agunt scientiæ.

Arist. 1. post.

TERTIA positio, ratio Per quam, non distinguit vnam scientiam ab alia, sed sciētiam ab alijs habitibus. Doctrina est manifesta ex dictis, & nulla eget probatione. Quare demonstratio distinguit scientiā ab opinione, & ratio probabilis opinionem a scientia, & auctoritas, distinguit fidē ab alijs notitijs.

QVARTA positio, vnitas specifica scientiæ non sumitur a ratione formali sub qua, vel ab abstractione: quæ doctrina his cōfirmatur argumētis. Primo, Arithmetica & Geometria specie differunt: & tamen eandē habent abstractionem, & rationem formalem sub qua: ergo per eam distingui non poterunt. Quod si dicas, Arithmetica est magis abstracta, quam Geometria, cū numerus de quo illa agit, sit magis abstractus, quam quātitas cōtinua, quā hæc tractat: hoc facile refellitur. Primo, quia eadem est vtriusque abstractio a materia secundum rationem, & non secūdum rem. Deinde, esto sit aliqua ex ista parte diuersitas: tamen non differunt nisi secundum magis & minus: at quod hoc tātum modo differt, solum accidentaliter differt, sicuti calor vt duo, & vt quattuor, igitur. Vnde melius sentiunt illi

Thomei

Thomęi, qui dicunt rationem ſpecificam non eſſe ſumendum ab hac ratione. Secundo, idem confirmares ex Ariſtotele, qui ſcriptum reliquit, ſcientias ſecari ſicut res, & ſcibile & ſcientiam eſſe idem; ergo vbi erit diuerſum ſcibile, ibi erit diuerſa ſcientia.

Libr. 3. de ani. t.38.

QVINCTA poſitio, vnitas generica ſcientiæ non ſumitur a ratione formali Sub qua. Primo, quia iſta ratio non conſideratur per ſe in ſcientia, ſed eſt tantum conditio quædam, quæ ſe tenet ex parte ſcientis igitur. Secundo, ex Ariſtotele, vna ſcientia eſt circa vnum genus obiecti; & hoc non propter rationem ſub qua, quia hæc ratio, etiam ſecũdum aduerſarios, ſe tenet ex parte intellectus, non ex parte obiecti: ac proinde non facit vnum obiecti genus. Tertio, quia ſequeretur, aut ſcientias confundi, aut eſſe plures, quam Ariſtoteles aſſignauit, quod qui contra ſentiunt, negant: ſequela probatur, quia anima rationalis habet abſtractionem diſtinctam a phyſica; abſtrahit enim a materia ſecundum rem, & ſecundum rationem: ac proinde faceret vnam ſcientiam diſtinctam, aut eius tractatio pertineret ad Metaphyſicum: qui agit de ente abſtracto a materia ſecũdum rem, & ita forma Phyſica conſideraretur a Metaphyſico. Similiter Deus & Intelligentiæ habent abſtractionem diſtinctam ab alijs ſcientijs, quæ abſtrahũt a materia ſecundum rem & rationem: obiectum autẽ Metaphyſicæ, in qua agitur de Deo, & de Intelligentijs, quod eſt ens, vt ens, abſtrahit tantum per indifferẽtiam, vt infra ſuo loco docebitur: ergo Deus & Intelligentiæ facerent ſcientiam diſtinctam, quod aduerſarij non concederent. Concludamus igitur, rationem formalẽ ſub qua, nec per ſeipſam poſſe facere diſtinctionem genericam eſſentialem, neque ſi coniungatur cum alijs eſſe rationem formalem huius diſtinctionis.

Primo poſt ca. 6.

SEXTA poſitio, vnitas ſpecifica ſcientiæ ſumitur a ratione formali quæ attingitur in obiecto Hæc poſitio remanet explicata & probata ex ijs q̃ diximus, ac proinde nihil eſt neceſſe, vt aliq̃d aliud de ea dicamus.

adde

adde etiam quod confirmabitur ex ijs quæ in sequenti positione dicentur.

SEPTIMA positio, vnitas generica sumitur a ratione formali Quę, respectu obiecti generici, cum conditionibus in vltimo fundamento allatis: q̃ positio his rationibus confirmatur. Primo, ex Aristotele dicente, vnam scientiam genere esse circa vnum genus obiecti vnum autem genus obiecti fit per vnam rationem formalem Quæ, cum alijs cõditionibus: igitur. Huc etiam facit, quod idem ait, scientias secari sicuti & res, non vt materialiter considerantur, neque secundum rationẽ, sub qua: igitur sub ratione Quæ. Secũdo, sciẽtia actualis est idem cum re ipsa: ergo habet ordinem essentialem & intrinsecum ad obiectum, siue genericum, siue specificum; sicuti vnum relatiuum ad alterum: at talis vnitas non potest sumi a ratione sub qua; igitur a ratiõne Quæ. Tertio, ex Aristotele ab eodem sumitur distinctio, & vnitas scientiæ: sed distinctio sumitur a ratione formali quæ, quia notitia distinguitur ab obiecto a quo actus specificatur; igitur & vnitas. Quarto, vna sciẽtia non potest demonstrare ea quæ sunt alterius, & ita Geometria non demonstrat conclusionem arithmeticam: at si distinctio sumeretur a ratione formali sub qua alterius conclusionẽ demonstrare, & ab vna ad aliã transire liceret, quia Geometria habet eandem abstractionẽ cum Arithmetica; igitur. Denique, si vnitas sumeretur a ratione sub qua, id uerũ esset in omni scientia: atqui hoc in moralibus est falsum; quia, licet habeant eandem abstractionem, sub qua, differunt tamẽ ob rationem formalem quæ. Adde etiam quod argumenta contraria nihil probant, vt ex eorum solutione patebit.

Arist. 1. post cap. 6.

Libr. 3. de an. t. 38.

Primo post. c. 6. & 21

AD primum, Aristoteles in illis locis nõ distinguit scientias per abstractionem, sed eas iam distinctas constituit sub diuersis abstractionibus. Metaphysica enim quæ est vna ob rationem formalem & per alia requisita, vt considerat suum obietcum sparatum a materia

re

re & ratione, Physica vero vt abstrahit a materia signa ti, & Mathematica vt abstrahit à materia secundum ra taonem, & non secundum rem. Diceres etiam, scientias posse distingui penes abstractionem a posteriori; prout per abstractionem cognoscimus scientias esse diuersas; quia singulæ habent propriam abstractionem. Quod autem altero ex duobus modis intelligendus sit Aristoteles, ex eo intelligi licet, quod primo posteriorum, quattuor requirit ad vnitatem scientiæ, quæ alias male requireret; ac etiam perperam, dixisset scientias secari sicuti & res. Tex. 43

AD secundum, licet aliquæ scientiæ vnam & eandem rem interdum demonstrent; tamen differunt in ijs quæ ad vnitatem specificam constituendam requiruntur, hoc est in principijs, & modo procedendi, definiendi, ac demonstrandi.

AD tertium, ideo illæ scientiæ sunt inter se distinctæ quia habent rationes formales distinctas, cum alijs requisitis.

AD quartum, scientiæ totales interdum conueniũt in vnitate analoga, ratione obiecti. Quo autem modo scientia ponatur in predicamento, vltimo fundamento exposuimus. Ideo autem plures habitus vnius scientia dicuntur facere vnam scientiam, quia habẽt idem obiectum formale; quia eisdem vtuntur principijs quia ad vnum proximum finem referuntur; & denique, qa habent eundem procedendi, seu demonstrandi, & definiendi modum. sicuti vnus dicitur populus, vna ve resp. quia sub vno est capite, vnum respicit finem, & eisdem vtitur legibus, eademque gubernandi forma. Arist. in Poli.

Ex-

Explicantur quattuor scientiæ attributa, euidentia, veritas, certitudo, & nobilitas. Cap. IX.



IDEO hæc quattuor scientiæ attributa hoc vno capite perstringemus, quod de illis pauca disputare velimus, vt instituti nostri ratio postulat. Ea autem quę dicturi sumus, facilitatis gratia, quibusdam positionibus complectemur; & quod attinet ad euidentiam, ita statuo.

PRIMA positio, euidentia est quædam claritas, & perspicuitas alicuius argumenti, vel signi; qua ita intellectus conuincitur, vt nullo modo repugnare & non assentiri queat: quemadmodum patet in aspectu, cum proponitur aliquid videndum cum omnibus circumstantijs: qui non potest non apprendere, & illud iudicare, vt tale est: vt si constet arborem habere fructus, signum est euidens prius floruisse. Euidentię opponitur obscuritas, qua impeditur rei comprehensio, atque firma & indubitata assensio.

SECVNDA positio, euidentia non est idem quod certitudo. Quoniam dari potest certitudo sine euidentia: vt patet in fide catholica, quæ est certissima, non tamen euidens: at euidentia non potest esse sine certitudine.

TERTIA positio, euidentia duplex est; vna sensitiua, quæ reperitur in sensu: altera intellectiua, quæ est in intellectu. Hæc subdiuiditur in intuitiuã, vel immediatã, qualis est illa, cũ aliquid p seipsum est euidẽs, vt sunt nonnulla prima principia, & dignitates scientiarũ; vt totum esse sua parte maius, si ab ęqualibus æqualia demas, remanere æqualia: altera discursiua, siue mediata, cum aliquid est euidens per aliud, vel in alio, vt cõclusio per demonstrationem & in principijs.

QVARTA positio, ad scientiam constituendam satis est euidentia discursiua. Quoniam alias solum principia quæ per se sunt euidentia dicerentur scita, quod

quod eſt falſum.Ideo ſcientia præter certitudinem requirit euidentiam,quia debet eſſe certa intrinſece, & ſua natura:at quod eſt hoc pacto certum,neceſſario eſt euidens:igitur. Et hæc de euidentia:ſequitur veritas, de qua ita ſtatuo.

PRIMA poſitio,ueritas,ut hoc in loco conſideratur,eſt conformitas ſcientię,ſiue intellectus cognoſcentis cum re ſcita: adæquatio nimirum intellectus ad ré cognitã, cum ita res cognoſcitur,vt eſt,cuiuſmodi eſt veritas complexa in ſecunda, & tertia operatione intellectus.

SECVNDA poſitio, hæc veritas duplex eſt; una affirmatiua de re exiſtente, cum affirmatur id quod eſt,per quam habetur ſcientia,quam vocant poſitiuã: altera negatiua quæ eſt de re negata, cum negatur id quod non eſt; vt vacuum non eſt;per quam habetur ſcientia negatiua.

TERTIA poſitio, ſcientia non poteſt conſiſtere ſine veritate.Doctrina eſt manifeſta ex communi omnium conſenſu:& propterea cum videmus cognitionem non reſpondere rebus,dicimus aliquem eſſe in errore,& ignorare.Adde etiam,quod res ſunt cauſſa noſtræ cognitionis: ergo noſtra cognitio tanquam effectus debet eſſe conformis cum ſua cauſſa.Ideo Ariſtoteles aliquando dixit,ſcientiam eſſe veluti picturam, quia debet eſſe ſimilis rebus,ſicuti pictura eius rei,cuius imaginem repræſentat. Ariſt. in poſt p̃d. lib.3.de ani.

QVARTA poſitio, ſcientia proprie dicta requirit veritatem complexam & affirmantem, ex qua ſequitur ſcientia negãs.Etenim,ſi animal gratia exempli eſt ſenſitiuum,ſequitur non eſſe inſenſitiuum. Et hæc de veritate; ſequitur certitudo.

PRIMA poſitio,certitudo eſt firmitas intellectus cognoſcentis rem aliquam,ita vt nullo modo dubitet, & titubet.Quo fit,vt differat a veritate,quæ poteſt eſſe cum dubitatione.

SECVNDA poſitio,certitudo duplex eſt:vna ex-

trinſeca,cum intellectus eſt certus de re propter voluntatem,quæ imperat, hoc eſt, trahit intellectum ad aſſentiendum,vt accidit in aſſenſu fidei,ubi,ut diuinæ literæ loquuntur,intellectus captiuatur in obſequium Chriſti:quia non aſſentitur ob vim argumenti conuincentis,ſed ob voluntatis imperium. Altera intrinſeca
2.Cor. 10. quando intellectus ideo aſſentitur,quia cogitur ab euidentia rei,vel rationis; ita vt homo non poſſit contrarium aſſerere,niſi ſit naturali lumine deſtitutus: vt patet in cognitione principiorũ.Hæ duæ certitudines differunt:primo quia,primæ, vniuerſe loquendo, poteſt ſubeſſe falſum,vt ſi initatur fidei humanæ:ſecundæ nõ item.Secundo,prima neceſſario pendet a voluntate,ſecunda vero poteſt eſſe contraria voluntati.Tertio,prima non reuocatur ſemper ad aliquod principium naturali lumine euidens:ſecunda vero maxime. Poſtremo,prima non habet euidentiam: ſecunda habere debet,cum qua ſemper eſt coniuncta.

TERTIA poſitio,ſcientia neceſſario requirit certitudinem intrinſecam. Quoniam ſcientia eſt de re cui non poteſt ſubeſſe falſum:at vero certitudini extrinſecus aduenienti,niſi nitatur diuinæ auctoritati, poteſt ſubeſſe falſum,igit. Huius rei ea eſt ratio,quod ſciẽtiæ naturaliter acquiſitæ pendent a lumine naturali intellectus,quod neceſſario requirit euidentiam,vt ſine formidine p̃beri poſſit aſſenſus rei cognitæ.oportet enim
Libr. 1. poſt ca. 2. ſcientem impermutabilem eſſe.

QVARTA poſitio, certitudo intrinſeca pendet a duobus capitibus.Primo a medio,quando medium eſt certum & neceſſarium,vt accidit in demonſtratione; & quo medium eſt certius,eo ſcientia erit certior:unde fit, vt demonſtratio propter quid,ſit certior quam demonſtratio Quia: cum cauſſa ſit magis connexa cũ effectu,quam effectus cum cauſſa. Hæc certitudo duplex eſt,altera ſecundum naturam,vt quando per cauſſam probatur effectus altera ſecundum nos, vt quando id ex quo aliquid infertur,eſt nobis magis notum.ſciẽ

tia

tia priorem requirit certitudinem: quod si etiam secũda adsit, certitudo maior, & scientia perfectior erit. Secundo ex obiecto, quæ sumitur ab abstractione a materia, quæ est corruptionis caussa: & ita quo obiectum est simplicius, eo est certius: per obiectum simplicius, intelligitur quod est magis abstractum a materia: ob quam caussam Aritmethica dicitur certior Geometria, cum sit de numero qui est magis abstractus, quam quantitas continua. 2. Poster. t. 42.

Qvincta positio, ad constituendam scientiam vtraque requiritur certitudo, medij nimirum, & obiecti, vt Aristoteles docet. Et ratio est, quia scientia est cognitio rei per caussam: igitur per medium certum: est etiam rerum vniuersalium, ac proinde habebit certitudinem ex obiecto. 2. Post. t. 7.

Sexta positio, scientiæ certitudo magis pendet a certitudine medij, quam obiecti. Quia certitudo medij est proxima caussa cur intellectus firmiter alicui cognitioni adhæreat. Sd iam de nobilitate agamus.

Prima positio, omnis scientia ex Aristotele est bona & honorabilis. Quoniam scientiæ sunt res quædam, ad quas intellectus habet naturalem inclinationem, tanquam ad suam propriam perfectionem ac proinde omnis scientia habebit aliquam bonitatẽ, & erit honore digna, etiamsi sit de rebus malis, vt sciẽtia de vitijs. Vnde nullum est inconueniens si dicamus, Deum cognoscere mala, quia non nouit vt faciat, vel approbet, sed vt tantum cognoscat, & puniat. Illud autem quod Aristoteles dixit, quarundam rerum cognitionem esse malam, & melius esse eas non cognoscere, intelligendum est de cognitione rerum malarum, qua impeditur bonarum notitia, & quæ trahit appetitum ad malum, vt contingere solet in nobis: In Deo autem vna cognitio non impedit aliam, nec ad malum trahit. Quod si obijcias de Mathematicis, quæ dicunt abstrahere a bono, & a fine, ac proinde non erunt bonę: Respondeo, hoc dictum intelligendum esse ex sententia Libr. 1. de an. t. 1. 1. Met. c. 1. 12. Met. t. 51. 3. Met. t. 3.

Aristippi dicentis, fabrilem artem esse nobiliorem Mathematicis; quod postea refellit. Diceres etiam Mathematicam abstrahere a bono & a fine ratione obiecti', quia non cõsiderat quantitatem, vt est ens bonum, nõ quoad partes quarum notitia est bõna & vtilis: ista tamen scientia est quoddam honorabile bonum, vt intellectum perficit.

Infr. ca. 22.

SECVNDA positio, vna scientia est nobilior alia his de caussis. Primo rõne obiecti: quo modo sciẽtia de anima est nobilior scientia de elementis; & Theologia omnium nobilissima, vt quæ de Deo agit. Secundo, ratione medij & generis demõstrationis: quo modo Physica est nobilior Logica; quia habet demonstrationes perfectiores, per ꝓprias & reales caussas. Postremo ratione vtriusque: quo modo scientia de homine est nobilior scientia de materia prima: quia homo est ens nobilius, & de eo habentur demonstrationes Propter q d; at de materia solum demonstrationes Quia. Hanc doctrinam de caussis vnde scientiæ nobilitas sumitur tradidit Aristoteles in primo de anima, in principio.

Arist. li. 1. de an. c. 1. Lib. 11. met. sũ. 3. c. 1.

TERTIA positio, scientię nobilitas magis sumitur ab obiecto, quã a medio. Hoc expresse docuit Aristeles, cum scriptum reliquit, Melius esse scire aliquid de rebus diuinis per medium debilius, quam de corruptibilibus per demõstrationẽ. Ex quibus colligeres, notitiam quæ habetur per definitionem esse nobiliorem ea, quæ habetur per demonstrationem.

1. de par. c. vlt. 3. cœl. t. 60.

De diuisionibus scientiæ. Cap. X.



NATVRA, caussis, proprietatibusque sciẽtiæ patefactis, sequit̃ vt de eius partibus, siue de diuisione agamus. Et primum quidem quasdam afferam diuisiones magis celebres, postea quæ circa eas dubitari solent, diligenter examinabo.

PRI-

PRIMA igitur ſcientiarum diuiſio, ea a quibuſdã perhibetur, qua aliæ humanæ, aliæ diuinæ dicuntur. Humanæ illę eſſe cenſentur, quæ ſermonis variationi ſubijciuntur: vnde vulgo humanitatis ſtudia vocantur, in quibus Grammatica, Rhetorica, & Dialectica continentur. Diuinæ, quę perpetuo conſtantique tenore perſeuerant, & eodem ſemper ſe habent modo, qua parte ipſam referunt diuinitatem. Quod enim ſemel eſt iuſtum, ſemper iuſtum eſt, ignis ſemper calefacit, & diuina prouidentia nunquam deficit. Quare, Moralis ſcientia, Phyſica, & Theologia cum diuinitate conſentiunt. Hæ panis & maſſę, illæ fermenti nomine tanquam illarum miniſtræ, in ſacris litteris deſignantur.

SECVNDA diuiſio ex Aegyptiorum, & Græcorum antiquiorum doctrina ſumpta: qui ponebant quẽdam diſciplinarum complexum ſm quem omnes ſciẽtias in quatuor diuiſerunt partes, quibuſdã circulis deſignatas, ob quorum copulationem ſcientiarum colligationem Encyclopediam appellarunt. Finxerunt itaque circulum quendam maiorem per quem Thelogiam, quæ eſt de rebus diuinis ſcientia, deſignabãt: intra quẽ ponebant tres alios circulos centris & circumferentijs ita inuicem complicatos, vt vnius centrum, alterius eſſet principium & circumferentia; quibus humanas diſciplinas deſignabant, Moralem nimirum, Dialecticam, & Philoſophiam, naturalemque ſcientiam, eodem ordine, quo recenſuimus, circulis tribus deſignatas. Hæc eadem diuiſio, vt quidam ſcribunt, deſignata fuit in ornatu pontificio apud Hebræos. Pontifex enim prius debebat lumbos præcingere, hoc eſt honeſte viuere, prauа opera cohibendo: deinde Logium aſſumere, quo indicabatur rationis intelligentia; in quo errat ſcriptũ, Manifeſtatio; qua voce rerum deſignatur diſciplina, videlicet Philoſophia, per quam naturæ ſecreta inueſtigamus, & veluti cerberum ex penetralibus extractũ, in lucem exponimus, & Veritas, quæ dubio procul ipſa eſt Theologia. Pier. lib. 38. Exod. 28.

Lib. 7. in vita Zé. — Pier. — Lib. 10. Laer. in eius vita.

TERTIA diuisio, quam adhibuerũt Stoici, vt est apud Laertium, qui vniuersam Philosophiam in tres distribuerunt partes, in Dialecticam, moralem, & Physicam: quas partes, alij locos, alij species, alij genera vocarunt, & quibusdam similibus explicarunt. Philosophiam animali similem esse dicebant, ossibus ac neruis Logicen, carnibus Ethicen, animæ Physicen conferentes. Item ouo, cuius superficiem Logicen esse aiebant, sequentia Ethicen, intima & penitus abstrusa Physicẽ. Alij agro comparantes, circuniectam sepem Logicen faciunt, fructum Ethicen, humum & arbores Physicem. Alij ciuitati muris optime septæ, & pulchræ, & ex dignitate administratæ. Sunt qui ex scriptis Salomonis tres etiam sapientiæ partes colligunt, Moralem, quam in Prouerbijs, Naturalem, quam in Ecclesiaste, & contemplatiuam, siue diuinam, quam in Canticis tradidit. Quas etiam partes in tribus Patriarchis designatas fuisse quidam scribunt, in obediẽtia Abrahami, moralem: in Isaac qui puteos effodit, Physicam: & in Iacob qui scalam vidit, & Israel cognominatus fuit, diuinorũ contemplationem. Ideo autem omittunt Logicen, quod quasi stamẽ sit cum omnibus contexta, & tanquam spiritus cum omnibus coalita. Stoicorum partitionem varijs in locis sequutus est M. Tullius, cum ea olim esset maxime celebris: & ita quotiescunque de Philosophiæ partibus sermonem habet, Dialecticam, Moralem, & Physiologiam recenset. Epicurus etiam in tres diuisit partes, in Canonicam, in qua continentur ea quæ pertinent ad introductionem & accessum, ad opus: in Physicam, quæ naturam speculatur; & in Ethicam, in qua de vitijs, & de fine agitur. Dialecticam, vt inutilẽ reijciebat, vt non vno in loco docet M. Tullius. Peripatetici etiam Philosophiam in tres partes secarunt, in Physicã, Mathematicam, & Metaphysicam, de qua diuisione postea late disputabitur: sicut etiam de diuisione in practicam & speculatiuam, quam communiter omnes admittere videntur. Denique Cleanthes, vt Laertius re-

fert,ſex fecit Philoſophiæ partes, Dialecticam,Oratoriam,Moralem,Ciuilem, Naturalem,& Theologicam. Laer. in Ethica iuxta varias ſectas diſtributa fuit, in Academi- procem. cam,Cyrenaicam, Eliacam , Peripateticam, Stoicam, Epicuream,& in alias.

SED quoniam nos priuatim diſputaturi ſumus de duabus diuiſionibus quas Peripatetici tradidere, ideo alijs relictis,ad eas accedamus: & primum de diuiſione in practicam & ſpeculatiuam agemus:an autem iſtā diuiſio admittenda ſit,in dubium his rationibus reuocari poteſt.

PRIMO, intellectus practicus & ſpeculatiuus ſunt idem:igitur & ſcientia practica atque ſpeculatiua erũt idem : ſumptum eſt Ariſtotelis, conſequentia videtur Lib.3.de manifeſta. an.

SECVNDO, moralis Philoſophia habet pro fine veritatem,quia vt ſpecultiuę finis eſt veritas quę conſiſtit in conformitate rerum cum intellectu; ſic etiam practicæ finis eſt conformitas operis cum eodem intellect:uat conformitas iſta nihil aliud eſt, quam veritas : igitur vtraque habet pro fine veritatem: in cuius contemplatione per actum reflexum , quo quis cognoſcit ſe veritatem fuiſſe adeptum , ſita eſt hominis beatitu- Ioan. 3. do.Vnde qui recte viuunt, dicuntur veritatem facere, & veritatem diligere.

TERTIO, in omni noſtra notitia,ſiue ſcientia eſt aliquid cognitionis & actionis; ergo ſi actio non poteſt ſeparari a cognitione , nec cognitio ab actione , male ſcientia in agentem & contemplantem diuidetur.Sum Plat. in ptum ſic demonſtrat̃, qa prima Philoſophia nõ ſolum Euthy. Dei veritatem habet,pro fine,ſed etiam eiuſdem amo Porrem & cultum,ex meliorum Philoſophorum ſentẽtia : phyr. at Dei cultus & amor ad praxim pertinent : igitur ea Iam. de ſcientia quæ maxime videtur ſpeculatiua , erit etiam myſt. practica:ita vt Theologia,ſiue Theurgia, ideſt doctri- Proc. na de modo agendi circa diuina , ſiue religio . Phyſi- lib. de ca quoque habet ſuam praxim,dum,rerum proprieta- ſacr.

tibus cognitis, multa traducit ad praxim, vnde extat naturalis magia ex rerum affinium sympathia, & pugnantia. Mathematica etiam aliquam praxim habet: hinc Gnomonica, Geodesia, Mechanica, & Diuinatrix. Logica quoque praxim habet, vnde illa emanauit Logicæ distinctio in docentem & vtentem: ita vt tota Philosophia speculatiua videatur quædam Logica practica. Contra vero Philosophia moralis suã habet speculationem & veritatis inspectionem, in definitionibus & demonstrationibus tradendis, atque in veritate vniuerse cognoscenda: & sane moralis Philosophia Aristotelis tota modo theorica tradita esse videtur. Quare, cum omnes scientiæ speculatrices habeant aliquam praxim, & practicæ speculationem, nulla scientia erit pure practica, vel speculatiua.

Baron. q.4. prolog. sen. ar. 3.

QVARTO, omnis scientia, propriam habet experientiam in qua fundatur, & a qua pendet, atqui experientia omnis est singularium: igitur omnis scientia habebit aliquid practici.

Lib. 1. Met. c. 1.

QVINCTO, omnis recta speculatio dirigitur a ratione, vt conuenienter fiat secundum omnes circumstantias: igitur nulla erit operatio quæ non possit dici practica; cum propriæ illa actio dicatur praxis, quæ a ratione dirigitur. Atque has rationes dubitandi gratia attulisse sufficiat: quibus tamen non obstantibus, cum communi omnium fere Philosophorum & Theologorum sententia, admittenda est ista distinctio scientiæ in theoricam & practicam, vt statim docebo, si prius quid nomine praxis intelligendũ sit breuiter docuero.

NOTANDVM itaque est, hoc nomen praxis, esse vocem græcam ductam a verbo græco Bratto, quod latine, agere, in magistratu esse, & elaborare vt aliquid fiat, significat. Hinc practicus, latine actuosus, in rebus agendis versatus, & occupatus, atque ad res humanas tractandas idoneus: & praxis, latine, actio, exercitatio, vsus, atque exequutio. Actio aliquando sumitur stricte, & significat operam, humanamq; functionem, quæ

Bud. in Com.

ab aliqua virtute proficiſcitur; ita vt actio deſignet actum ab homine productum, vt eſt laudis, & vituperationis capax: hinc bene agere, pro honeſte & beate viuere, græce εὐπράττειν. Aliquando latius ſumitur pro quacumque opera poſt quam nihil relinquitur effectum, ſiue ſit honeſta, ſiue non, vt eſt actio dicendi, & ſaltandi. Denique aliquando latiſſime ſumitur pro ea opera, qua aliquod efficitur opus, ſiue opificium, quod poſt operationem remanet, quæ proprie factio, & effectio dicitur: hinc effector, & opifex. Vnde actio & effectio, ſi proprie ſumantur, diuerſam habent ſignificationem: ſed interdum apud auctores ſine diſcrimine iſtæ voces vſurpantur. Hinc patet quid nomine cognitionis practicæ, vel actiuæ intelligendum ſit, ea nimirum notitia quæ ad agendum refertur; ſicuti nomine ſpeculatiuæ, ſeu theoricæ, illa quæ in ſe ſiſtit, & non habet pro fine opus actionemve. An vero praxis ſit ipſa cognitio ad actionem relata, quæ actionem dirigit, an vero ipſa actio directa, poſtea docebitur. Quo fit, vt in nobis tres ſint actiones, vna qua ſolum cognoſcimus: altera qua agimus, ſed agendo nihil efficimus, hoc eſt nullum opus relinquimus: tertia qua efficimus aliquid: ad quas proficiendas triplici opus eſt habitu, intellectiuo, actiuo, & effectiuo. Vbi nota, quando actio diſtinguitur ab effectione, & habitus actiuus ab effectiuo, tunc actio proprie ſumitur in prima ſignificatione, vt complectitur ſolum humanos actus ad officium & mores pertinentes, qui in Philoſophia morali tractantur: & nomine effectionis, ſeu factionis, & habitus effectiui, intelligimus quamcunque aliam operam, quæ nõ pendet ab habitu virtutis, & a bene affecta voluntate, ſed ab habitu alicuius artis recte dirigitur. At vero cum noſtram ſcientiam diuidimus in ſpeculatiuam & actiuam, ſiue practicam, tunc ſumimus praxim, vt diſtinguitur contra puram actionem ſpeculatiuam, quæ ſola cogitatione eſt contenta. Quæ autem ſit vtriuſque natura mox explicabo, ſi prius, quid de allatis ſcientiæ

&

& Philosophiæ diuisionibus sentiendum sit, vniuerse docuero.

PRIMA positio, diuisio Philosophiæ seu scientiæ in diuinam & humanam, si humana sumatur eo modo quo dictum est in prima diuisione, non est bona. Quia nomine Philosophiæ non continetur litterarum & humanarum artium doctrina, cum ista doctrina non habeatur per certas rõnes. Quod si per scientiã humanã intelligeretur rerum creatarũ notitia, & per diuinam, rerum diuinarum, admitti posset, vt planum est.

SECVNDA positio, illa scientiæ, vel Philosophię, diuisio quæ quattuor assignat partes, seiungendo Dialecticam, siue Logicam ab alijs, admitti potest. Quia Logica, vt est doctrina de modo sciendi, est cognitio quædam certissima, per certas & necessarias rationes: alias enim si hæc esset incerta, omnis humana doctrina redderetur dubia: & cum sit de rebus, de quibus in alijs scientijs non agitur, Logica vt scientia, vel Philosophiæ pars ab alijs seiuncta ponenda erit; vt ab omnibus fere antiquis posita fuit: &, vt quidam dicunt, illa distinctio in quattuor partes ex Hebręorum disciplina manauit.

TERTIA positio, illa Stoicorum tripartita diuisio non omni ex parte placet. Quia videtur excludere sciẽtiam diuinam, quæ sub nomine naturalis scientiæ non satis bene comprehenditur: secus dicẽdum, si quis sub illa appellatione etiam rerum sublimium notitiam cõtineri contenderet.

QVARTA positio, Philosophiæ diuisio in tres partes, omissa Logica, vt bona admittenda est. Quia si Logica consideretur vt est applicata rebus, & vt est necessario cum alijs scientijs coniuncta, non facit vnam Philosophiæ partem, sed est diffusa per omnes alias: at de hac diuisione postea latius.

QVINCTA positio, scientiæ, seu Philosophię diuisio in practicam & speculatiuam, vt bona admittenda est. Primum probatur ex communi meliorum Philosophorum,

losophorum, atque Theologorum sententia; ac etiam ex duplici genere vitæ cognoscentis,& agentis. Deinde,quia dantur res aliquę, quæ sola cogitatione attinguntur, aliæ vero, quæ etiam efficiuntur: igitur alia erit theorica,alia practica notitia.Sed quia de hac distinctione late infra disputaturi sumus, nunc satis sit eam retinendam esse docuisse:quam non tollunt argumenta in contrarium allata, vt ex eorum solutione patebit.

Ad primum,intellectus practicus & speculatiuus sunt idem re,sed ratione differunt: nec ab intellectus identitate scientiarum est inferenda vnitas; vt patet ex ijs quæ supra disputata sunt.

Ad secundum,moralis Philosophia habet pro fine veritatem practicam, & actiones cum recta ratione congruentes:& qui non solum verbo sed etiam reipsa honeste viuunt,ideo dicuntur veraces,quia ea faciũt q̃ dicunt;secus,qui se gerunt,pro mendacibus habentur, quia opere negant ea quæ dicunt.

Ad tertium, praxis illa quæ accedit, ad scientias speculatiuas,vel ipsas subsequitur,non pertinet ad naturam scientiæ speculatiuæ,sed est veluti fructus quidam qui ex speculatione ab homine colligitur.Id vero speculationis, quod est in Philosophia morum,totum reuocatur ad actionem, vt Aristoteles, non vno in loco docet. Lib. 2. eth.c. 2.

Ad quartum,experientia, est initium & præambulum Philosophiæ & scientiæ,& ita non includitur in ratione scientiæ.

Ad quinctnm, speculationis actus directus a Philosophia practica secundnm debitas circumstantias, potest dici quidem practicus; sed tamen sub hac ratione non producitur ab habitu,seu a scientia speculatiua; directus,inquam,ratione vsus, non autem ratione operis,vt opus cum ratione fiat.

Quid

Quid sit proptie praxis, & habitus practicus. Cap. XI.



ON me fugit, quam late a multis de re proposita disputari soleat: sed instituti memor, breuitatē hac in parte, ut etiã in alijs feci retinebo. Et quod attinet ad præsentem difficultatem, primum aliorum placita recensebo: deinde nonnulla fundamenta ponam: postremo, quid sentiendum sit, quibusdam positionibus docebo.

Quest. 4. art. 2. in pol. FVIT ergo de re proposita prima opinio Ioannis Bacconis, viri eruditi, qui existimauit praxim esse discursum practicum intellectus habitu practico instructi: ita vt ad naturam praxis nihil aliud pertineat, nec actus elicitus, hoc est productus a voluntate, nec alius ab ea imperatus. Quare, si quis ratiocinando faciat argumentum practicum, hic actus dicetur practicus.

Quæst. ult. pl. SECVNDA sententia Doctoris subtilis, qui censuit praxim esse actum productum ab aliqua potentia diuersa ab intellectu, & speciatim actum a voluntate elicitum. Vult ergo praxim esse actum intellectione natura posteriorem, natum elici consentaneum rectæ rationi.

Lib. de an. c. 36. TERTIA Philoponi, & Gandauensis, qui existimarunt praxim esse quoddã aggregatum ex discursu practico intellectus, & actu a voluntate producto, qui sit practicæ rationi consentaneus.

In p. par. q. 26. ar. 3 QVARTA, sententia domini Caietani, qui credidit praxim esse actum imperatum a voluntate, & vt loquitur, actionem exequutiuam: quam etiam quidam Herueo tribuunt. Tota itaque dubitatio in hoc sita esse videtur, An praxis sit solius intellectus operatio, an voluntatis, an vero vtriusque. Rursus dubitari solet, an intellectus dicatur practicus quia dirigit, vt voluit Gaietanus, an vero quia dictat quid agendum sit

vt

vt placuit Scoto. Vt huic dubitationi ſatisfaciam, hæc ſubiicio fundamenta.

PRIMVM fundamentum, in quo explicabo qua ratione intellectus & voluntas conueniant ad praxim conſtituendam, cum certum ſit vtriuſque actum requiri. In praxi duo aſpectari poſſunt, terminus qui ſe tenet ex parte actus eliciti a voluntate: & ratio terminãdi; quæ ſe tenet ex parte intellectus: quo fit, vt tot modis poſſit variari praxis, quot iſta duo quæ ad praxim requiruntur variantur: qui ſunt quattuor. Primus, cũ vtrumque eſt vniuerſale, vt cum volumus bonum commune abſtrahendo a ſingularibus conditionibus, ob rationem communem: voluntas enim poteſt ferri in commune bonum, ſicuti & ratio: vt ſi quis moueretur ad appetendum bonum, quia omnes illud appetunt. Secundus, cum vtrunque eſt ſingulare: vt ſiquis moueretur ad appetendam hanc vindictam, quia nunc, vel hoc loco videtur conueniens. Tertius, cum terminus eſt ſingularis, & ratio vniuerſalis: ut ſi quis vellet ſcire aliquid particulare, etiam impertinens ob rationem vniuerſalem, quia omnis ſcientia perficit. Quartus, cum terminus eſt ſingularis ratione voluntatis, ſed ratio terminandi communis, non quia illud percipit & proponit ſub ſua communi ratione, ſed quia plura proponit, non determinando voluntatem ad vnum numero, ſed ad plura diuerſa; quo modo voluntas poteſt appetere aliquid ſingulare, vt vtile, vel delectabile propter conditionem communiter in pluribus conſideratam, quæ moueret, etiamſi in aliquo ſingulari inueniretur. En igitur modos quibus voluntas & ratio quæ ſunt duo agendi principia, ad praxim formandam conueniunt.

SECVNDVM fundamentum, in quo explicabitur, cur duo conſtituantur intellectus, ſpeculatiuus, & practicus, & cur, cum vterque aliquam veritatem cognoſcat, & aliquid praxeos habeat, vnus ſpeculatiuus, alter practicus dicatur. Potentiarum & actuum diſtinctio, vt

supra scripsimus, ex rebus ipsis petéda est, vnde & omnis nostra petitur cognitio. Et quoniam rerum aliæ sũt quæ a sola natura pendent, & vt necessariæ semper eodem existunt modo, in quas cum mens nostra intendit; non potest quicquam aliud nisi earum percipere veritatem; aliæ vero ita se habent, vt a nostra voluntate pédeãt, & vario modo existere, ac etiam cõmutari queãt, hinc est, vt in his non solum veritas, sed etiam rectitudo, atque perfectio a mente pendeat, cum ipsa esse debeat quasi earũ canon, quia uariis modis effici possunt; ut patet in actionibus morum, & artium, & in productione rerum quæ a nobis fiunt, quarum rectitudo pédet a recta ratione: contra uero in primo rerum genere, recta ratio pendet a rebus ipsis, quæ sunt cognoscẽdi principia. Quo fit, ut in hoc genere ita uersetur ratio, ut solum eas possit cognoscere: in altero, ut etiam eas queat efficere. Merito igitur humana mens in duas diuiditur partes, in speculatiuam & practicam, & omnis habitus cognitionis in speculantem & agentem. Et licet hi duo habitus in hoc conueniant, quod per utrunque aliquid cognoscimus: tamen in eo maxime differunt, quod speculatiuus, in re a se cognita, nihil aliud præter nudam inspectionem habet, & idcirco in ea cõsistit: at uero practicus quod cognoscit ex se, suaque natura ad agendum & efficiendum refert. Quamuis ergo intellectus in scientia practica, aliquid uniuerse definiat, ut iustitiam, ut finem, atque etiam cõmunes uirtutis attributiones demonstret: tamen in his rebus etiam uniuerse consideratis, quædam apparet ratio ad praxim accommodata, ad quam sua natura referri potest, ac debet; ut cũ dicitur, bonum esse id quod omnia expetunt, iustitiam esse uirtutem, quæ suum cuiq; tribuit: idque eo magis cernitur, cum ad priuatas actuũ humanorum species explicandas acceditur; ut cum docetur quid sit iustitia cõmutatiua, uel distributiua, ex cuius definitione facile probares honores non ob affinitatem, sed ob res præclare gestas distribuendos esse;

Arist. 1. eth. c. 1. Lib. 5. eth.

eum,

cum, ut quidam dixit, Arctiora sint uirtutis uincula, quam sanguinis. Huc facit quod M. Cato, ex definitione libertatis, uirtutis & gloriæ, militum animos uehementer commouit. Patet ergo cur notitia rerum ab humana ratione pendentium, debeat dici practica, quamuis interdum nō proxime dirigat, quod munus est praxis proprium: cuiusmodi est doctrina Philosophiæ morum uniuerse tradita, respectu prudentiæ cuius est proxime actiones dirigere. Antisth. Plut. in Cat. Vtic.

TERTIVM fundamentum, intellectus speculatiuus ex se fertur in uerum, ut in proprium obiectum; uerum autem, ut tale, non habet uim mouendi appetitum ad aliquid faciendum, ac proinde cognitio speculatiue non potest esse initium praxis. At uero intellectus practicus fertur in bonum, de cuius natura est, ut sit q.d appetibile, sub qua ratione induit naturam accidentis, quia ad aliud ordinatur, ut accidens ad substantiam: & ut se communicet cum aliis, & sub hac consideratione, substantiæ naturam suscipit: cum ordine ad aliud careat. Vt est appetibile eum gignit amoré, qui uocatur concupiscentiæ, quæ in amante supponit indigentiam, quæ est amoris mater. Hic amor proprium commodū querit, ac proinde, amati hostem appellant, cum extincto cupiditatis ardore, amatum negligat. At uero ratione alterius conditionis, hoc est, ut se communicat, gignit amorem, quem uocant amicitiæ, & beneuolentiæ; qui amor amantem cogit ad suam bonitatem cum aliis communicandam: & idcirco opulentiam quandam in amante supponit, & in amato inopiam. Vt uerum sit quod aliquando Plato dixit, omnem humanum amorem supponere penuriam; quod dictum male a quodā damnatum fuit. At inquies, sublata ergo penuria, amor cessare debebit: Nequequam, quia remanet atque perseuerat ratione coniunctionis & communicationis uitæ: qua communicatione, amico sublato, careremus. Vtaque prior amor propriam utilitatem iucunditatemque spectat, ita posterior alienam: ille, ueluti coquus Arist. Dion. Are. Contar. lib. 3. suæ met. D. Tho. 1. p. q. 60. ar. 3 Plato Xeno. Plat. in Lysid. in fine. Cic. lib. de Am.

agnum diligit, ut eo uescatur, hic uero quasi pastor, ut illum pascat & conseruet: ille ex pessimo sui amore nascitur, hic vero ex vera beneuolentia. Quando igitur intellectus practicus ordinare ac determinaret debet, ne quid erret, bonum vt communicabile spectet: cum magis commune bonum quam priuatum, inspiciendum sit; & quæcunque pars, magis totius, quam sui conseruationem respiciat; vt homo tanquam bona apes, suos labores in commune conferat, & non quasi fucus, alienos in sui vtilitatem conuertat. Atque ex dictis patet, cur theoricus intellectus non moueat, practicus vero maxime, & vt recte moueat, qua sub ratione, bonum quod volũtati proponendum est, spectare debet; quæ ab ipso bono commota, est praxis initium. Sed dicat aliquis, cum intellectus per aliquam ratiocinationem proponit voluntati commune bonum, & illa acceptat, & per facultatem motricem, atque per actus aliarum potentiarum illud prosequitur, praxis non in actione voluntatis, sed aliarum potentiarum consistet; & tamen contrarium videtur dicendum. Responderent aliqui, actum exteriorem, non esse praxim ipsam, sed eius finem: quæ responsio iure optimo quibusdam non arridet; cum talis actus sit potius effectus, quam finis, qui effectus ex intellectus practici, & ex voluntatis actu elicito, in quibus praxis intrinsece consistit, sequitur, & est veluti voluntatis efficacis materia in qua versatur, & circa quam laborat. Quare proxima praxis materia in qua recipitur est potentia intelligens & voluntas; remota vero est facultas mouens, & exequens imperium. Explicata boni natura, quam intellectus practicus propositam habet, sequenti fundamento aliquid dicemus de vero, quod intellectus speculatiuus habet propositum.

Arist. 1. eth. c. 2.

Heru.

QVARTVM fundamentum, verum vt verum, quod est obiectum intellectus, siue eius conditio, duplex est, iuxta duplicem ordinem rei ad intellectum, alterum quod est caussa efficiens rerum, vt est verum

in men-

in mente diuina;alterum quod efficit veritatem in nostra mente,& hoc est in rebus,ipsis. Tunc autem intellectus dicitur verus, cum est conformis cum re cuius notitiam habet. Sed hic dubitare licet, an intellectus practicus qui pro obiecto hobet bonum, aliquam ueritatis rationem in eo rimetur, & quidquid aliqui dixerint, censendum est intellectum practicum circa bonum eius veritatem inquirere, ita vt veram rationem boni cognoscat, & cognoscendo voluntati proponat. Neque enim idem sunt omnino ratio boni, & bonum ipsum,licet aliqui aliter sentiāt:siquidem bonum non abstrahit ab existentia,ratio vero boni maxime,& per illam mens practica,verum bonum dijudicat,& voluntati proponit:cum ad eam pertineat videre quid sit bonum,quid malum; ex qua determinatione, vniuersa hominum vita regitur, iuxta illud quod quidā cecinit. Sco.4.S. d. 49.q. 4.

Est,& non,cuncti monosyllaba nota frequentant: Auson.
His demptis nihil est hominū quod sermo frequētet:
Omnis in his,& ab his sunt omnia,siue negoti,
Siue oti quidquam est,seu turbæ,siue quietis.
Qualis vita hominū,duo quæ monosyllaba uersāt?

His enim monosyllabis efficiuntur enunciationes, quæ sunt veræ,vel falsæ:ac proinde quando fiunt circa bonū,aliquid veri,vel falsi enūciabunt. Atque intellectus practicus,ita circa verum versatur,vt quidquid veri cognoscit ad res singulares referat, & ad ipsum bonum,quod solum in rebus extra animam reperitur,vt Aristoteles,& alij docent. Quare,siquis mentis practicæ ratiocinationem intelligeret, quales inde operationes sint futuræ, cognosceret. At vero intellectus speculatiuus,qui totus in veritatem fertur,quæ in ipsa ratione formaliter existit,si quid in speculatione intercedit actionis, vt est experientia, sine qua scientia esse non potest, cum sit veluti pædia ad scientiam, & habitus quidam ab alijs distinctus id totum ad scientiam refert,nec ipsam praxim attingit. Quod si quis Physicas, vel mathematicas veritates ad praxim traducat, Auen. 12. Met. com. 36.

practici personam induet:cum hæc doctrinæ vniuersæ ad res singulas applicatio formaliter ad praxim pertineat, quamuis usm & efficaciam a scientia contemplatrice sumat. In summa, scientia practica non solum versatur in operatione, in qua etiam speculatiua versari potest, sed in eiusdem operationis recto & legitimo vsu, quem speculatiua, vt talis est, ignorat.

QVINCTVM fundamentum, praxis nomen de quo non nihil supra diximus, varijs modis vsurpari solet. Primo sumitur pro quacunque operatione & actione, siue sit intellectus, siue voluntatis, quæ non relinquit aliquod opus post se, & ita excluditur effectio, quæ proprie designat operationem aliquid post se relinquentem. Secundo, vt significat actum directum ab alio actu intellectus, siue sit actus intellectus, siue voluntatis, siue circa media, siue circa finem: verum hæc significatio, sicuti & prima est impropria. Nã iuxta hãc significationem sequeretur omnes scientias esse practicas, cum dirigantur a Logica, ac etiam ipsam Logicam. Quare, non placent illi qui hoc secundo modo praxim sumendam esse putarunt: cum ille actus proprie dicatur praxis, qui ad amussim prudentiæ & artis dirigitur, & qui dirigit, ac facit aliquid. Et quod de Logica dicebamus, ut speculatur suum obiectum, & instrumenta sciendi modo speculatiuo per resolutionem iudicando de principijs formalibus & materialibus demonstrationis, & definitionis, nullam habet directionem, & praxim nullam si uero consideretur ut applicata scientijs, tunc dirigit quidem, sed operationes speculatiuas, solius intellectus: praxis autem est operatio extra intellectũ, ut statim dicemus; nisi uocare uelles practicam, ut in seruit Philosophiæ practicæ & morali. Tertio, ut significat solam uoluntatis operationem, quæ est apta regi ac dirigi a prudentia in honestis actionibus; cuius operatio speciatim actio dicitur, ut supra adnotauimus. Postremo, praxis sumitur pro actu alterius potentiæ ab intellectu ordinato, siue eliciatur

Sonc. 6. Met. q. 2 Scot. pl. S. q 4.

Gab. in prol. S. Greg. ibid. Ocam. 1. S. d. 35. q. 6.

Aug. 8. de ciu. c. 4.

ciatur a voluntate, siue imperetur; vt actus canendi, dandi eleemosynam, modo dirigi possit a ratione. Atq; his duobus posterioribus modis actus aliquis proprie dicitur praxis; vt ex positionibus, in quibus summatim iam explicata colligam, patebit.

PRIMA positio, praxis non est vlla operatio, siue interna, siue externa, quæ necessario, & naturaliter sine imperio voluntatis exercetur. Quoniam praxis in sua ratione includit ordinationem & determinationem, quorum illa operatio quæ necessario fit non est capax.

SECVNDA positio, operatio exterior, imperata a voluntate & a ratione ordinata, non est per se primo praxis, sed quasi illius effectus, & materia, circa quam versatur: præsertim, si loquamur de praxi morali, hoc est de actibus humanis, vt officij rationem continent: nam, si de illis sit sermo, qui ab arte pendent, isti fortasse ad praxim proxime pertinent. Hæc positio patet ex ijs quæ in tertio diximus fundamento.

TERTIA positio, solus actus intellectus practici, qui aliquid determinat, aut ordinat, non continet totã rationem praxis. Primum, quia sequeretur habitus practicos esse in sola ratione, quod est falsum, cum sint etiam in voluntate, vt habitus virtutum. Deinde quia praxis includit exequutionem ordinationis, actumve ordinatum, ab ordinante diuersum; ergo non consistet in solo actu rationis.

QVARTA positio, praxis non includit solum actum voluntatis a ratione proxime ordinatum, ita vt ab eius ratione excludatur actus intellectus. Primum, quia tam Plato, quam Aristoteles aliquem actum intellectus vocant practicum: immo Plato, qui magis con- Lib. 7. siderauit rationem determinationis, quam determina- pol. c. 3. tionem, iuxta ea quæ in primo diximus fundamento, omnes virtutes vocauit scientias, prout a ratione pen- In polit. dent, qua errante, oritur vitium: & ideo scientias in agentes & cognoscẽtes diuisit: ac proinde eius doctrina

fauere videtur ijs, qui praxim in ſolo actu intellectus conſiſtere volunt. At vero Ariſtoteles, qui potius determinationem & actum ordinatum ſpectauit, magis in voluntate, quam in ratione praxim collocauit, vt ex eius varijs locis cognoſcere licet: vt, cum ait, Nos magis velle eſſe iuſtos, quam ſcire iuſtitiam, & magis bene habere, quam ſanitatem cognoſcere. Deinde, quia praxis deſignat actionem ordinatam ſecundum debitam rationem: igitur includit rationis actum.

Lib. 1. mag. mor. c. 3
Lib. 2. eth. c. 2.

QVINCTA poſitio, praxis intrinſece includit vtrunque actum, rationis nimirum, & alterius potentię a ratione ordinatum: actum inquam quo cognoſcimus opus, & id quod agitur, qui dicitur regulans, & actum ab alia potentia vel habitu productum, qui dicitur regulatus. Placet itaque nobis hac in parte opinio eorum, qui dixerunt praxim vtrumque actum includere: ex qua conciliares Ariſtotelem, qui aliquando in actu intellectus, alias in actu voluntatis eam poſuiſſe videtur: cum intellectus practicus cum voluntate ad quam ſe extendit copulandus ſit.

Gand. Phil. 3. de ani. t. 36.

SEXTA poſitio, ratio praxis magis proprie videtur ſita in actu directo ab actu intellectus diuerſo, quã in actu intellectus dirigentis & cognoſcentis. Primum patet hæc poſitio ex doctrina Ariſtotelis paullo ante allata, qui praxim magis in voluntate, quam in ratione poſuit. Ideo aliquando dixit, voluntatem eſſe principium artificialium, & operabilium. Deinde, quia ex communi vſu loquendi, eum vocamus practicum, qui agit, & praxim ipſam operationem ordinatam, intellectum vero ordinantem non praxim, ſed practicum appellamus. Quare praxis erit in illa potentia quæ proximæ elicit actũ ordinatũ. Cæterum, vt intellectus vel habitus practicus dr̃, vt extendit̃ proxime ad potentiã appetentem; ita etiam praxis videtur eſſe notitia ab eodem intellectu procedens ad actum appetitus, & alterius potentiæ ab intellectu diuerſæ. Huc facit quod Auenroes definiendo praxim: dixit, eſſe ſecundum electionem

Lib. 3. d' an.
Lib. 6. eth.
Lib. 6. met. in prin.
2 Phyſ. t. 58. & 59.
Lib. 1. eth. c. 1.

ctionem hominis energiam, ideſt operationem. Lib. 3. pol. c. 7.

Qvæ hucuſque poſuimus, omnia fere Ariſtoteles hac ſententia expreſſit, ſed actiuam uitam non eſt neceſſarium eſſe ad alios, vt quidam putant: neque eas meditationes ſolum eſſe actiuas, quę gratia eorum fiunt, quæ ex agendo proueniunt: ſed multo magis, quæ in ſeipſis perfectę ſunt, ac ſui ipſius gratia fiunt contemplationes, & meditationes. Bene agere enim finis eſt; quare & actio quædam. Maxime autem proprie dicimus agere etiam externis actionibus, eos qui intelligentia & cogitatione operibus præſunt, vt architecti. In quibus verbis hæc deſignantur: Praxim non referri neceſſario ad aliud, ſed in nobis conſiſtere: vltra praxim aliquid produci: ſed magis poſitam eſſe in actu interno, quam externo: mentis operationes poſſe dici praxes: & includere intellectus ordinationem.

Septima poſitio, magis dicendum eſt notitiam practicam intellectus ordinare, quam dictare. Hoc affirmauerim cum Caietano contra Scoti ſententiam. Etenim ars practica non dicitur talis, quia dictet faciẽda, iubeatque quid agendum ſit; ſed quia modum rationemque in agendo præſcribit. Potentia enim rationalis, qualis eſt notitia practica, eſt indifferens ad oppoſita, determinaturque ab appetitu, non contra; quem poſtea ordinare debet ſecundum circumſtantias. Vnde colligeres, Philoſophum moralem (niſi cum doctrina morum habuerit prudentiam coniunctam) non eſſe proxime idoneum ad res humanas recte gubernandas. Lib. 6. met.

Octava poſitio, ſcientia ſpeculatiua ex ſe nullam includit praxim, & practica nullam puram theoriam, ſed omnem ratiocinationẽ ordinat ad actionem. Tota hęc poſitio remanet explicata, & probata ex fundamentis.

Nona poſitio, practicus intellectus conſiderat aliquam veritatem. Hoc affirmauerim contra quoſdam, qui aliter docent: & eſſe verum euidenter colligitur ex ijs quæ quarto fundamento docuimus.

DECIMA positio, praxis sũpta pro ipsa actione directa, hunc in modum a quibusdam definitur. Praxis est actus alterius potentiæ ab intellectu, intellectione naturaliter posterior, aptus elici conformiter rectæ rationi, adhoc vt sit rectus. In qua definitione exprimuntur nonnulla quæ iam de praxi statuimus; necessario includere duos actus; pręcipue consistere in actu ordinato a voluntate elicito, vel imperato; & solum reperiri in actibus liberis, qui aliter, ac aliter fieri pñt. Vbi nota, duobus modis posse aliquẽ actũ a ratione dirigi, quoad vsum, & quod speciem. Tunc dirigitur ratione vsus, quando dirigitur quantum ad circunstantias temporis, loci, modi, & personarum; vt si prudentia aliquẽ moneret, quando, vbi, & quo modo cum aliquo esset disputandum; quæ disputatio posset dici recta, non solum logice, vel dialectice, sed etiam moraliter. Tunc ratione speciei, vel specificationis, vt loquuntur, cum ratio demonstrat quid agendum fugiendumve sit; cum nimirum hoc vel illud faciẽdum præscribit, vnde actus tanquam ab obiecto suam speciem sumit. Iuxta primũ modum omnes actus intellectus dirigi possunt; sed hic modus est proprius prudentiæ, quæ est virtus moralis. At vero ordinatio secundo modo sumpta, pertinet ad habitum practicũ qui primo regulat voluntatis actus, & consequenter alios. Artes etiam suos actus ordinãt determinando, ac præscribendo modum quo opus fieri debet, non moraliter, sed ex arte bonum, & cum regulis artis consentaneum. Ex quibus colligeres, praxim esse duplicem, actionis, vel morum, & effectionis, siue artis; illius finis est honesta vita, & agentis bonitas, huius verò opus bonum & laudabile secundum artem; quarum partium prior ad Philosophiam pertinet, posterior uero minime, vt supra docuimus.


AT vero alij hunc in modum praxim definiunt. Praxis est actus secundus intellectus practici, ab obiecto agibili, quatenus tale, productus, & efficaciter operationes facultatis motricis, siue internæ, siue externæ

ad

ad bonum commune dirigens. In qua definitione 1.post.t.
caussas praxim conficientes (per has enim accidentia 45.
definienda sunt) contineri dicunt: Materiam, his ver- 1.de an.
bis, intellectus practici: efficientem, his, ab obiecto c. 1.
agibili; nam obiectum agibile apprehensum, est caussa praxis, cuius executio consistit in efficacia voluntatis impellentis potentias motiuas: finem, cum dicitur, ad bonum commune. Cuius definitionis maior explicatio petenda est ex ijs quæ adnotauimus.

An distinctio scientię in practicam & speculatiuam sumatur ab obiecto, vel a fine, & vtra magis proprie dicatur sciētia.

Cap. XII.



EX ijs quæ proximo capite de natura praxis, & speculationis docuimus, facile intelligi potest, allatam scientiæ distinctionem & ab obiecto, & a fine sumi. Ab obiecto quidem, quia obiectum scientię speculantis est aliqua res necessaria vi naturæ existens, practicæ, id quod a nobis efficitur: a fine vero, quia finis theoricæ est cognitio, actiuæ operatio: sed ab vtra re magis sumatur, in dubium reuocari potest. Et quod magis sumatur ab obiecto, quā a fine, his rationibus demonstratur.

PRIMO, scientia, vt supra docuimus, suam speciē sumit ab obiecto; igitur & eiusdem diuisio inde sumēda erit.

SECVNDO ex Aristotele, qui practicam notitiam Lib. 6.
ea de caussa a speculatiua distinxit; quod illa uersetur eth.
in ijs, quorum principium est in nobis, hæc vero in ijs quorū principia non sunt in nobis: cuiusmodi est obiectum de quo est scientia: quare ex obiecto earum sumāda erit distinctio.

TERTIO, medicina diuiditur in practicā & speculatiuam, quę tamen tota refertur ad operationem:

ergo talis distinctio, nõ a fine, qui vnicus est, sed ab obiecto petita erit, quod est partim practicum, partim speculatiuum: atque idem de distinctione Philosophiæ dicendum erit.

Ob allatas rationes aliquis facile existimaret hanc distinctionem potius ex obiecto, quam ex fine perpendendam esse: Alij vero contra sentirent, quorum opinio, quia est magis cum ratione consentanea, magis retinenda est, vt in positionibus docebo, si prius vnicum posuero fundamentum.

Notandvm itaque est, in quacunque scientia siue practica, siue theorica tria considerari posse, obiectũ, finẽ, & ꝓcedẽdi modũ; quorũ duo priora sunt sciẽtiæ intrinseca, alterũ nõ item: quia mutari potest cum scientia, alias practica, tradi possit modo speculatiuo, vt Aristoteles moralem Philosophiam tradidit, & speculatiua modo practico. Quare, si aliqua scientia careat suo procedendi modo, ab obiecto & fine qualis nã sit dijudicanda erit. Explico, si Physica procederet modo practico, magis dicenda esset speculatiua, quam practica; quia habet obiectum & finẽ speculatiuum. Quãuis ad plenam scientiæ practicæ, vel speculatiuæ rationem, omnia iam dicta desiderentur. Tunc autem modus procedendi censetur speculatiuus, quando scientia procedit per resolutionem, per diuisiones, definitiones & demonstrationes: practicus vero contra, cum procedit per compositionem, per præcepta, & per actionum directionem, rerum caussis & principijs omissis, Hoc posito fundamento, sequentes adstruo positiones.

D. Tho. opus. 7? q. 5. ar. 1. Prima positio, scientiæ distinctio in practicam & speculatiuam, magis sumitur a fine, quam ab obiecto; quæ positio his confirmatur rationibus. Primo, Aristotelis auctoritate, qui distinctionem intellectus practici, & speculatiui sumpsit a fine: igitur ab eodem sciẽtiæ distinctio sumenda erit. Secundo, scientia practica & speculatiua diuersos habent fines, quibus positis, ipsæ ponuntur, & illis sublatis, tolluntur: quare earum di-

stinctio

ſtinctio præcipue a fine ſumenda erit. Cum dicimus ſcientiæ diſtinctionem ſumendam eſſe a fine, intellige non de fine ſcientis, hoc eſt eius qui ſcientiam habet, quia ex hoc capite varios poſſet habere fines: ſed de fine ipſius ſciẽtiæ proprio, qui ſumitur ab eius propria operatione circa proprium obiectum. Vnde infero, ſcientiam quando verſatur circa obiectum modo ſpeculatiuo, & obiectũ eſt ſpeculabile, debere habere finem ſpeculatiuum: quando vero uerſatur circa illud modo practico, debere habere finem practicum. Rurſus allata diſtinctio ſumenda eſt a fine proximo, non a remoto: tum quia omnes habitus per actus & fines proximos ſpecificantur: tum quia alias nulla daretur ſcientia quæ eſſet proprie & per ſe ſpeculatiua, cum omnia in Deum, tanquam in finem remeent. Finis itaque intrinſecus, vt eſt ille ad quem ſcientia ſua natura ordinatur, diſtinguit ſcientiam in has duas partes. Dion. c. 4. de diui. nom.

SECVNDA poſitio, allata diſtinctio aliquo pacto ſumitur etiam ab obiecto. Quoniam finis intrinſecus, qui eſt huius diſtinctionis ratio, pendet ab obiecto: ob quam cauſſam Ariſtoteles interdum dicit, hanc diſtinctionem ſumi ab obiecto, interdũ a fine: cum ab vtroque ſumatur, ſed magis a fine. Cum ergo ſcientia in has duas diuidatur formas, peteret hoc loco quiſpiam, an ad perfectam ſcientiæ rationem requiratur quod ſit ſpeculatiua. Et quidem Ariſtoteles agendo de ſcientia, nullibi expreſſe docuit, eſſe de perfectione ſcientiæ, qđ ſit ſpeculatiua: ut omittam, quod ſcientiæ abſolutio in eo ſita eſſe videtur, vt ſit per cauſſam, quod æque ſpeculanti & agenti conuenit ſcientiæ. Vt huic petitioni ſatisfaciam, animaduertendum eſt Ariſtotelem varijs in locis egiſſe de ſcientia, & varias eiuſdem aſſignaſſe conditiones. Verum quid de eius natura ſenſerit, ex iis quæ in ethicis ſcripſit ſpectandum eſſe videtur. Nam cum de hac ſciẽtię diſtinctione alijs in locis mentionẽ facit, ſe de hac re in ethicis egiſſe ait: ut conſtat ex primo capite primi Metaphyſici: & alibi ſcriptum reli- Lib. 1. poſt. Lib. 11. met. Lib. 6. eth. c. 4.

quit,

quit, pertinere ad philosophum moralem docere, quo modo intellectus & scientia differant. Quare censendum est ex citato loco potissimum spectãdum esse, q̃d de re proposita Aristoteles senserit.

TERTIA positio scientia proprie dicta, requirit hanc conditionem, vt sit speculatiua. Primum ex citato loco hũc in modum hanc positionem probare licet. Primo, quia, vt diuidat habitus intellectus, distinguit partem rationalem in duas; quarum vna versatur circa obiectum necessarium, quod non potest aliter se habere; altera circa obiectum contingens, quod aliter esse potest; illam vocat facultatem sciendi, hanc consultandi: quoniam non capimus consilium de rebus necessarijs, sed de ijs quæ a nobis fieri possunt. Secundo, ibidẽ meminit harum facultatum, & vnam vocat speculatiuã aliam practicam, & ait illius finem esse veritatem cognoscere, huius vero opus, quod congruit cum recto appetitu. Tertio, recenset quinque habitus intellectus quibus dicitur verus, & duo assignat eius obiecta, necessarium, & contingens, & ait circa illud versari facultatem sciendi & intellectum speculatiuum, circa hoc uero facultatẽ cõsultatiuã siue intellectum practicum. In intellectu speculatiuo tres ponit habitus, scientiam, quæ est notitia conclusionis, intellectum, qui est cognitio principiorum, & sapientiam quæ vtranque notitiã includit. In intellectu practico duos ponit habitus artem, & prudentiam: illa versatur in actionibus externis quarum perfectio non pendet a voluntate bene affecta, hæc vero in internis, quæ proxime a uoluntate pẽdent. Ex hoc itaque loco colligere licet, scientiam proprie sumptam debere esse speculatiuam, cum sit in intellectu speculatiuo, de obiecto necessario in quo versatur ea animæ pars, quæ sciendi facultas nominatur.
1. Met. c. 1. Secundo, idem confirmares ex alio eiusdem Aristotelis loco, in quo ait, prius fuisse inuentas artes necessarias & vtiles, & postea eas, q̃ cognitionis gratia expetuntur, cuiusmodi sunt illæ, quæ proprie scientiæ nominantur.

minantur. Tertio, idem probari potest ex definitione philosophię ab eodem tradita, qua dicitur, Philosophiã esse cognitionem veritatis; quia finis speculatiuæ est ueritas, practicæ vero opus. Nam, licet scientia practica consideret aliquarum rerum naturas, non tamen secundum se, sed ad aliud, & aliquo tempore. Huc facit quod alio loco dixit, illam esse maxime scientiam, quæ est sui gratia. Quarto idem confirmatur ex alio loco, in quo dixit Philosophiam naturalem esse speculatiuã & proprie scientiã: quia considerat ea quæ habẽt principia in seipsis. Denique, huc facit, quod idem dixit, fabrum & Geometram considerare angulum rectum, sed non eodem modo; illum vt agat, & ideo nõ habere proprie scientiam, hunc secundum se, & ob id habere proprie scientiam.

2. Met. t. 3.

1. Met. c. 2.

Lib. 11. met.

Lib. 1. eth. c. 7.

NEQVE obstat quod dicebatur, Aristotelem nullibi mentionem fecisse de hac conditione, quia quid sentiendum sit, haud obscure insinuauit, in definitione scientiæ, cum dixit, debere esse de obiecto necessario, cui illud est proprium, vt pertineat ad eã partem, quæ sciendi facultas nominatur. Et esto nullibi meminerit, non ideo concludere licet, non pertinere ad scientiam. Denique in ethicis meminit, & alibi supponit quæ in ethicis docuit. Quod vero addebatur, perfectionem scientiæ in eo tantum consistere, quod sit per caussam, dicimus id non satis esse, sed oportet vt sit de obiecto necessario, & sui gratia.

VLTIMA positio, habitus practicus varie diuidi potest. Cuius prima diuisio est in prudentiam & artẽ: Prudentia est virtus quæ versatur in illis operationibus, in quibus potest esse ratio virtutis & vitij: ars vero in alijs operationibus quibus conficitur opus bonũ, nulla habita ratione vitij, vel virtutis, & non supponũt uoluntatem bene affectam.

AD maiorem explicationem eorum, quæ de distinctione scientiæ, siue Philosophiæ hucusque diximus, animaduertendum est, cum vniuersa Philosophia

diuiditur in practicam & speculatiuam, spectari hominis finem, ad cuius consequutionem cõparata est Philosophia: & cum finis hominis sit cognitio veritatis, & honesta vita, ideo Philosophiæ partes erunt, vel speculatiuæ, vel practicæ, sicuti duplex est felicitas, alia practica, alia speculatiua. Propterea antiqui eam diuiserunt in moralem, quæ est practica, & in naturalẽ, & rationalem, siue logicã, quæ sunt speculatiuæ. Quã diuisionem alij amplificantes, ista tria membra in alias partes subdiuidunt. Naturalem, in Physicam specialẽ, quæ agit de rebus motui subiectis, in Mathematicam, & Metaphysicam, siue Theologiam: Ethicam, in scientiam de moribus singulorum, in Oeconomicam, & Politicam: Logicam vniuerse sumptam, vt continet etiã artes sermocinales, in Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Mathematicam etiam in Geometriam, Arithmeticam, Astrologiam, & Musicam: de quibus infra accuratius dicetur. Ex his quattuor, cum tribus rationalibus, siue logicis septem faciunt artes liberales, cum omnes aliquam praxim vsumque ad humanã vitam accommodatum habeant. Ideo autem aliquæ artes dicuntur liberales quod uersentur in animæ, & rationis operibus, est enim anima libera & corporis domina, vel quia sunt libero homine dignæ: in quas olim homines ingenui, tum apud Aegyptios, tum apud Romanos, operam dabant: sic enim antiquitus comparatum erat, ut homines nobili loco nati honestas profiterentur artes, vt sunt illæ, quæ aliquid maioris industriæ, & ingenij requirunt, quibus opponuntur aliæ, quæ mechanicæ & seruiles uocantur, quia ad corpus pertinent, & in corporis vsu potissimum consistunt, quæ hoc disticho continentur.

D. Tho. opusc. 70. q. 5.

D. Tho. opus. 70 q. 5. a. 1.

Lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina,
Theatrum socia; sunt hæc mechanica dicta,

Hoc est, lanificium, venatio, militia, nautica, agricultura, ars medica, & theatralis. Vnde mechanicus dicitur opifex earum rerum, quæ ingenio simul & ma-

nibus

nibus fiunt, ἀπὸ τῆς μηχανῆς, quod inuentionem significat. Vnde proprie ars mechanica, non dicitur illa, quæ est sordidior, & solius lucri gratia exercetur. Et vt inter liberales vna est magis ingenua, quam alia, ita inter mechanicas, alia magis, alia minus ad liberales accedit: quas olim prius discebant, vt essent quasi aditus ad scientias speculatiuas. Sed de his pro nostro instituto satis: ad argumenta respondeamus.

Ad primum, concedimus sumi etiam ad obiecto, & ut aliqui loquuntur, originaliter. Prima enim radix practici est obiectum practicum, & ideo finis est practicus: sed plena ratio habetur a fine; qui nisi esset practicus, scientia non esset perfecte practica. Modus autem procedendi est tanquam propria passio, quæ sequitur finem, & obiectum: & vbicunque vtrunque est practicum, si procedendum est modo rebus congruente, modus debet esse practicus.

Ad secundum, concedimus bonam distinctionem sumi posse ex eo capite, quod tamen reuocatur ad obiectum & finem. Ideo enim scientia practica versatur circa ea, quorum principia sunt in nobis, quia habet obiectum & finem practicum.

Ad tertium, tota medicina, proprie loquendo, est practica: quod si vocatur speculatiua, id fit, quia nonnulla tractat modo speculatiuo, vel quia magis accedit ad scientias speculatiuas, in quibus eam nonnulli Bur.
reponunt.

An esse practicum & speculatiuum sint duæ differentiæ essentiales scientiæ. Cap. XIII.



Circa allatam scientiæ diuisionem illa nobis difficultas enodanda restat, qualis sit ista diuisio, an essentialis, an vero accidentalis: & quod sit accidentalis his rationibus demonstratur.

Primo, ex Aristotele diuersorũ Cap. 4.
generum, diuersæ sunt specie differentiæ: & ita dif- Antip.
ferentiæ

ferentiæ reuocantur ad prædicamentum sui generis: quo fit, ut differentiæ entis absoluti non sint aliquid respectiuum: sed esse practicum & speculatiuum dicunt relationem ad finem & obiectum: ergo non possunt esse duæ differentię essentiales scientiæ, quæ est
6.Meta. quid absolutum. Confirmatur ex Aristotele dicente,
cap.1. has esse differentias habitus, qui est genus ad scientiã: non erunt igitur differentiæ ipsius scientiæ.

SECVNDO, scientia est quid reale, speculatiuũ vero est quid negatiuum, dicit enim id quod non ordinatur ad opus, seu negationem ordinis ad opus: quare cum dicat negationem, non poterit esse alicuius rei differentia, quæ cum naturam constituat, debet esse res aliqua.

TERTIO, scientia cum sit quid absolutum ponitur in prædicamento absoluto qualitatis: at speculatiuum & practicum dicunt aliquid respectiuum: igitur in alia ponuntur categoria, a scientia diuersa: & ita non
Platin. poterunt esse differentiæ entis absoluti.

POSTREMO, practicum ordinatur ad speculationem, ac proinde aliqui reprehenderunt Aristotelẽ qđ
Lib. 1. duo posuerit summa bona, vnum in virtute & actione,
& 10. alterum in contemplatione, cum illud ad hoc sua natu
eth. ra referatur: at vna differentia non potest referri ad
In prol. aliam non erunt igitur vere differentiæ.
sen.q.2. IN hac difficultate est prima opinio Thomistarum
ar.3. ad qui putant esse differentias accidentales, quamuis in-
6. ter se non omnino consentiant Nam Capreolus, ait es-
Lib. 6. se accidentales simpliciter. Dominicus de Flandria di-
met.q.2 cit esse extrinsecas, sed si consideretur scientia secun-
ar.3. dum habitudinem ad illas, ait practicam & speculati-
Lib. 6. uam specie differre. Paulus Sõcinas ait esse essentiales,
met. q. vt sumuntur ab obiecto, accidentales vero vt sumun-
5. tur ex fine.

Lib. 6. SECVNDA opinio Ianduni, qui docet esse diffe-
Met. q. rentias essentiales, non vt habent respectum ad obie-
2. ctum, vel finem, sed vt dicunt id a quo talis oritur respectus.

ſpectus.Idem videtur ſentire Sueſſanus:qui ſcribit ſciẽtiam conſiderari poſſe, ut dicit quid abſolutum, & vt ponitur in categoria qualitatis, & ſic ſunt differentiæ accidentales:uel ut ſcientia eſt,& vt dicit ordinem ad obiectum,& ſub hac ratione ſunt eſſentiales. Atq; idẽ ſentire videntur Dominicus, & Paulus, licet nomine differant. Vt huic difficultati ſatisfiat,hęc ſtatuo fundamenta.

Primvm fundamentum,relatiua ſecundum dici, vt talia ſunt,cum non dicant purum reſpectum,ſed primo & per ſe aliquid abſolutum, ex quo tamen exoritur reſpectus aliquis,qui reuocari poteſt ad categoricã ſui abſoluti,non ponuntur in ordine relatiuorum. Explico, potentia dicit ordinem intrinſecum ad obiectũ, qui ordo reuocari poteſt ad prædicamentum ipſius potentię,quæ non dicit purum reſpectum, ſed includit aliquid abſolutum,eſt enim qualitas quædam,quæ tamen non poteſt concipi ſine aliquo ordine: quia ſi eſt potentia,alicuius erit potentia. Vnde ſit,vt reſpectiuũ eſſe poſſit de eſſentia rei abſolutæ,vt patet de materia prima,de cuius eſſentia,vt Philoſophi docent, eſt ordo ad formas: qui ordo eſt relatio quædam tranſcendentalis,vt dicunt.Idem dicas de accidenti reſpectu ſubſtãtiæ, & de quauis potentia reſpectu ſui obiecti.Et quoniam ſcientia eſt quidã habitus,neceſſario dicit ordinẽ ad obiectũ, qui ordo erit quiddã ei intrinſecum & eſſentiale.quare ordo ille dabit ſpeciem ſcientiæ. Eſt autem hic ordo relatio quædam ſecundum dici: & ideo aliquid reſpectiuum poterit eſſe de ratione ſcientiæ: quod etiam affirmant auctores prioris ſententiæ. Eſt enim opinio certiſſima omnium Peripateticorum, potentias & habitus ſpecificari per actus,& actus per obiecta:quæ ſpecificatio non fit niſi per ordinem,ac proinde ordo erit quid eſſentiale. Atque ex his haud obſcure intelligi licet, falſum eſſe ſundamentum eorum qui dicunt, practicũ & ſpeculatiuum non eſſe differentias eſſentiales,quia dicunt reſpectum;cum hic reſpectus,

ctus, vt diximus, sit essentialis humanæ scientiæ, cuius natura pendet ab obiecto, a quo nostra scientia sumitur, & gignitur. At vero practicum & speculatiuum vniuerse sumptum, non differunt specie, quia diuina scientia est simul practica & speculatiua, & habitus fidei æqualiter inclinat ad omnes veritates credendas, tum practicas tum speculatiuas.

SECVNDVM fundamentũ, ideo scientia recte diuiditur in practicam & speculatiuam, quia nullam est assignare scientiam, quæ sub vnum ex his membris nõ cadat; quanquam hæ differentiæ, etiam conueniant habitui intellectus, cum omnis huius ordinis habitus sit, vel practicus, vel speculatiuus: scientia, sapientia, & intellectus sunt habitus speculatiui; ars vero, & prudentia practici. Quod si scientia proprie sumatur pro ea notitia, quæ simpliciter vocari potest scientia, aliqui reperiūtur habitus cognitionis, qui nõ sunt proprie practici, vel speculatiui, neque ad illos reuocantur; ut humana fides, & opinio, quibus deest medium necessarium: & vt quibusdam placet, etiam logica, cui deest obiectum practicum, uel speculatiuum. Hic non est sermo de scientia stricte sumpta, quia vna tantum datur scientia, nimirum speculatiua: sed de scientia ut cõplectitur etiam morales scientias, quæ vere possunt vocari scientiæ, cũ includant cognitionem certã, & indubitatam de rebus eis subiectis. Quare, difficultas est, an hæc differẽtia quæ reperitur in practicis, faciat eas differre essentialiter a speculatiuis: quæ differentia, vt supra docuimus, sumitur potissimum ex fine & ex obiecto, & ita vtrunque requiritur ad scientiam practicam vel speculatiuam cõstituendam. His notatis, ad positiones pergamus.

Arist. 6. eth.

PRIMA positio, practicum & speculatiuum essentialiter differunt, &, si proprie sumantur, ab eodem habitu acquisito se excludunt. Primo, scientia practica & speculatiua specie differũt, vt est probatum: at non differunt nisi per practicum & speculatiuum: sunt igitur

differen-

differentiæ essentialiter distinctæ. Secūdo, praxis essentialiter differt a speculatione, quia speculatio est solius intellectus operatio, praxis vero, vt supra docuimus, non est actus intellectus, quāuis eū includat. ergo practicum & speculatiuum, quæ differunt per praxim & speculationem inter se essentialiter different. Tertio idem probatur ex proprijs rationibus practici & speculatiui: nam practicum est illud quod ordinatur ad opus, & non est sui gratia, speculatiuū vero contra: sed istæ duæ rōnes inter se essentialiter differunt: igitur & illa in quibus reperiuntur eadem rōne different. Cōfirmatur, contradictoria differunt essentialiter; sed esse practicum & speculatiuum sunt contradictoria igitur. Postremo, esto scientias speculatiuas non distingui essentialiter a practicis; non propterea sequitur, has duas differentias, inter se non esse essentialiter distinctas: sicuti, licet homo albus, & homo niger non differant inter se essentialiter: tamen albedo & nigredo sunt duæ res essentialiter distinctæ.

SECVNDA positio, scientiæ diuisio in practicam & speculatiuam, est essentialis. Primo hanc docrinam probare licet ex Aristotele, qui varijs in locis diuidit primo scientiam in has duas formas: at bona diuisio fieri debet per oppositas differentias; igitur: Omne enim genus prius diuiditur in differentias essentiales, & postea in accidentales. Cum ergo scientia primo diuidatur in practicam & speculatiuam, ista diuisio debet esse essentialis. Confirmatur, prima diuisio fieri debet in membra maxime opposita: hoc autem fit, cum diuidimus per differentias essentiales: igitur. Secundo, ab eodem res aliqua habet vnitatem & distinctionem: ergo cum scientia distinguatur essentialiter ab obiecto, & ex eodem sumatur ratio practici & speculatiui, istæ differentiæ facient distinctionem essentialem. Quod sumptum fuit, est certissimum, quia ab eo a quo habetur entitas, habetur etiam vnitas: etenim eo ipso, quo res est, vna est. Tertio, scientia speculatiua ha-

Sot. q. 4. proœ. in logicam

Lib. 6. eth. Porphyr. c. de diffe.

P bet

bet obiectum, actum, & finem diſtinctum a practica: igitur ab ea eſſentialiter differt. Conſequentia patet, quia ab illis tribus ſumitur ſcientiæ diſtinctio: antecedens eſt manifeſtum ex dictis. Quarto, ſcientia practica eſt de re contingenti, quæ poteſt aliter ſe habere, ſpeculatiua vero de re neceſſaria: atqui iſta inter ſe eſſentialiter differunt: igitur & ſcientiæ, quæ circa iſta verſantur. Poſtremo, ſcientia ſpeculatiua eſt proprie & ſimpliciter ſcientia, practica vero non item, vt ſupra docuimus, igitur.

TERTIA poſitio, allatæ differentiæ non conuertuntur cum ſcientia, niſi addatur particula, ſcientia. Quoniam primo cunueniunt habitui, quo cum ſimpliciter conuertuntur: dantur enim quædam notitiæ practicæ, vt ars & prudentia, quæ non continentur nomine ſcientiæ. Hanc doctrinam colligere licet ex Ariſtotele, qui ait, omnem habitum perficientem intellectũ, Lib. 6. eth. eſſe practicum, vel ſpeculatiuum. Ex his colligeres, practicum & ſpeculatiuum non eſſe differentias vltimas; quia ſub vtroque membro continentur plures partes, .i. plures habitus ſpeculatiui, & plures practici. Vnde aliqui inferunt, eſſe accidentales differentias, ſumptas ex ordine, quam habent ad obiectum. quare dici poſſet, eſſe accidentales, ſed inſeparabiles, ſicut eſſe bonũ & malum in actibus humanis.

QVARTA poſitio, ſcientia proprie ſumpta dicitur analogice de practica & ſpeculatiua. Primo patet Lib. 1. met. ca. 2. & lib. 2. ca. 1. ex Ariſtotele, qui ait Philoſophiam recte dici ſpeculatiuam & ſcientiã, quia non ordinatur ad opus: ſupponit ergo ſcientiam primo dici de ſpeculatiua; alias enim nihil conficeret, ſi vniuoce de vtraque diceretur. Secundo, Lib. 1. poſt. t. 5 ſcire eſt rem per cauſſam cognoſcere; quod per ſe conuenit ſcientiæ ſpeculatrici, practicæ vero, vt habet 2. Met. t. 3. ſpeciem ſpeculatiuæ, & nonnullas continet ſpeculationes. Ideo qui non habent ſcientias practicas, non Lib. 2 cap. 6. appellantur ſimpliciter ſcientes, vel ſapientes, ſed prudentes: at qui habent ſpeculatiuas, vocantur ſimpliciter

ter ſapientes. Tertio, obiectum ſcientiæ debet eſſe aliquid certum, & neceſſarium: at practica habet obiectum contingens: ergo non conueniunt in vna ratione vniuoca. Quod ſi dicas, id eſſe verum in ſcientijs practicis cum verſantur circa ſingularia, non autem quando docent præcepta vniuerſalia, vt accidit in Philoſophia morum, Reſpondeo, etiam res vniuerſales in moribus eſſe contingentes; quia ex ſe poſſunt aliter eſſe & fieri. Deinde, ſcientia practica quo magis accedit ad ſingularia, eo eſt perfectior; at res particulares, ſunt maxime incertæ: igitur. Vnde ſermones vniuerſales in practicis dicuntur eſſe inutiles: ac proinde in rebus ad mores pertinentibus, vt in ſanciendis legibus, ſingularia relinquuntur prudentiæ boni viri, cum de illis certa & immutabilis regula tradi non queat. Quarto, ſcientia eſt perfectio quædam humani intellectus, qui per ſe prius & magis perficitur per contemplationem, quã per notitiam practicam, quæ perficit cum ordine ad opus: igitur. Quincto, ſcientia practica pẽdet a ſpeculatiua ratione cognitionis; vt patet inductione: nam practicæ continent vel artes mechanicas, vel doctrinam moralem: mechanicæ ſubalternãtur Mathematicæ, & morales ſcientiæ de anima: at ſcientia non dicitur vniuoce de ſubalternante & ſubalternata: igitur.

Lib. 1. eth. c. 2. Lib. 6. eth. c. 2. Lib. 1. Rhet. c. 1.

QVINCTA poſitio, ſpeculatiua ſcientia eſt prior natura, & certior, & nobilior quam practica. In hac poſitione tria ſtatuimus, quę ſic probantur. Primum patet ex eo quod intellectus ſpeculatiuus eſt prior intellectu practico; & practica ſcientia pendet a ſpeculatiua igitur. Secundum eſt manifeſtum, quia ſpeculatiua, habet obiectum neceſſarium, practica vero contingens; & certitudo practicæ pendet a certitudine ſpeculatiuæ ſubalternantis: igitur. Tertium probatur, quia ſpeculatiua habet propter quid; practica autem, vt talis, non item: at illa ſcientia quæ habet cauſſam cenſetur nobilior, ex Ariſtotele: igitur. Adde etiam, quod ſpeculatiua habet finem & modum procedendi nobi-

Lib. 1. met. c. 2.

liorem; Quod ſi obijcias, Mathematicas, quæ ſunt ſpeculatiuæ, eſſe ignobiliores moralibus, quia hæ agunt de humanis actibus & de ſumma felicitate, quæ materia eſt longe nobilior, quæ quantitas quæ Mathematicis eſt ſubiecta; igitur erunt ignobiliores. Reſpondeo, hoc argumento ſolum probatur eſſe ignobiliores ſecundum quid, ſicut opinio de rebus ſupremis cenſetur nobilior ſcientia de rebus infimis: at Mathematicæ ſunt nobiliores ratione modi ſciendi & finis. Argumenta in contrarium allata ſic ſolueres.

Ad primũ, relatiuum ſecundum dici, ponitur reductiue in prædicamento ſui abſoluti; ſicut differentia in categoria ſui generis. Ad confirmationem, concedimus non eſſe differentias conuertibiles, vt ſupra diximus, poſſunt tamen applicari ſcientiæ, & in illa facient diſtinctionem eſſentialem.

Ad ſecundum ſpeculatiuum dicitur id, quod eſt gratia ſui & deſignat aliquid in re, licet explicetur per negationem praxis.

Ad tertium, reſpectiuum ſecundum dici poteſt eſſe de eſſentia abſoluti, vt contingit in omnibus habitibus & potentijs; vnde argumentum ſolum concludit de relatiuo, ſeu reſpectiuo, cuius totum eſſe, eſt eſſe ad aliud, quod in ſua ponitur categoria. Rurſus, ſpeculatiuum & practicum poſſunt dici differentiæ eſſentiales ratione fundamenti, ad quod ſequitur relatio, vt in poſitionibus diximus.

Ad quartum, ſpecies vniuocæ non ordinantur inter ſe, in analogis vero poſterius analogatũ ordinatur ad prius: ſcientia autem dicitur analogice de ſpeculatiua & practica. Rurſus, practicum non refertur intrinſece ad ſpeculatiuum, tanquam ad finem: pendet tamen ab illo, vt ſcientia ſubalternata a ſubalternante. Atque de diuiſione ſciẽtiæ in ſpeculatiuam & practicam hucuſque.

An Physica, Metaphysica, & Mathematica sint tres scientiæ distinctæ totales, an vero vnius scientiæ partes. Cap. XIIII.



ON me fugit, quam late a quibusdam neotericis scriptoribus de subiecta materia disputatum fuerit: sed mei instituti memor, quæ alij multis sunt prosequuti, ea paucis complectar; nihil tamen quod rem contineat, omittam. Cũ ergo de prima scientiæ humanæ vniuersæ sumptæ distinctione, supra egerimus; nunc sequitur vt de altera, quæ apud Peripateticos est celebratissima agamus, qua scientia speculatrix in tres diuiditur partes, in Physicã, Metaphysicam, & Mathematicam, de qua a recentioribus in dubium reuocatum fuit, sit ne diuisio generis in tres scientias omnino inter se distinctas, tanquam in tres species; an uero vnius scientiæ in tres partes, ad eum modum, quo scientia Logica diuidi posset, in eam quæ agit de definitione, de propositione, & de syllogismo, vel argumentatione; & physica in eã quæ agit de cęlo, de elementis, & de mistis; q̃ partes vnam totalem conficiunt scientiam, ratione vnius obiecti formalis, quod est corpus naturale, vel mobile. Et quod sint partes vnius communis scientię, & non scientiæ inter se omnino distinctæ, his rationibus suaderi potest. Lib. II. Met.

PRIMO, ex quibusdam locis Aristotelis; Quarto Metaphysico, particula secunda, dicitur, eiusdem esse scientiæ considerare ens & species entis, & species specierum entis; vna igitur erit scientia, quæ omnes res considerat. Cõfirmatur exemplo quo Aristoteles vtitur; vt enim vna Grammatica, est vna omnium vocum quæ aliquid significãt; ita vna scientia omnium rerum: at vna Grammatica considerat omnes voces vniuerse, & particulariter; ergo & vna scientia omnes res vni-

uersas & priuatas. Rursus, vt est vna scientia quæ considerat album, & nigrum, & omnia colorata in particulari; ita vna scientia quæ considerat res omnes. Quarto Metaph. particula sexta, ita ait, qua propter & eius quod est, vt ens est, quęcunque sunt species vnius & scientiæ genera, & species specierum contemplari. Itē,
4. Met. t. 1. vndecimo Metaph. summa secunda, capite secundo, ait istas tres scientias esse partes vnius scientiæ; & alio loco scribit, Physicam & Mathematicam considerare partes entis: sunt igitur partes eius scientiæ quæ versatur circa ens.

SECVNDO, scientia, quæ est de vno subiecto,
Tex. 25. est vna, vt ex primo secundæ analysis constat: sed ens reale communiter sumptum est vnum subiectum genere comprehendens sub se omnia entia particularia; igitur eius consideratio pertinebit ad unam scientiam.

TERTIO, si sunt tres scientię totales, maxime quia Metaphysica considerat ens in communi, alię vero duæ partem entis, Physica ens naturale, & Mathematica ens quantum: sed hoc est falsum quoniam etiā Methaphysica considerat species entis, Deum & Intelligentias igitur. Confirmatur, vt Metaphysica descendit ad ens immateriale, ita potest descendere ad materiale: & vt Physica considerat ens naturale, & Mathematica ens quantum; ita dari potest vna scientia quæ consideret omnia simul.

QVARTO, vnius scientiæ est assignare subiecta scientijs particularibus, & considerare illa secūdum se: sed Metaphysica diuidit obiecta scientiarum, ergo ēt
Tex. 146. illa considerat. Maior patet ex secundo de anima, vbi dicitur, eam potentiam quæ ponit discrimen inter duo debere vtrunque cognoscere: quare, si Metaphysica diuidit scientiarum obiecta, illa considerare debet.

QVINCTO, ad eandem scientiam pertinet constituere seriem prædicamentalem, & eandem constitutam considerare: at, qui talem seriem considerat, om-

nia,

nia,tum vniuerſe,tum particulariter conſiderat:ergo. ſumptio eſt manifeſta, quia in tali ſerie omnes rerum ſpecies continentur, vſque ad ſpecialiſſimas.

SEXTO,& eſt argumentum a pari,vt eſt vna ſcientia Phyſica de corpore naturali,& de omnibus eius ſpeciebus,de cœlo,de elementis,& de ceteris corporibus, ex quibus fit vna ſcientia: cur non etiam conſtituatur vna ſcientia quæ cõſideret ens in communi, & ens particulare? ne tot multiplicentur ſcientiæ pro rerum particularium varietate.

VLTIMO, omnia entia conueniunt in ratione entis intelligibilis,ergo poſſunt conſtituere vnam ſciẽtiã: conſequentia patet,quia illa eſt vna ſcientia, quæ vnũ habet formale obiectum.

IN hac difficultate fuit prima opinio Antonij Bernardi Mirandulani,quem nonnulli recentiores ſequũtur; quæ explicatur his dictis. Primum,ſcientia ſpeculatiua eſt vna ſpecie omnium rerum, quæ conſiderat ſubſtantiam & accidentia,& ens materiale & immatele. Secundum,iſta vnica ſcientia,commoditatis gratia, ad tollendam confuſionem,ut quoddam totum, diuiſa fuit in tres partes integrales, ex quibus vna totalis fit ſcientia ſicut ex quattuor partibus Grammaticæ, quæ sũt orthographia,proſodia,ętymologia,& ſyntaxis,vna fit Grammatica. Quarum prima conſiderat ens commune & ſpecie entis in communi,& Deum, atque Intelligẽtias,quę Metaphyſica vocatur:ſecũda ens quantũ,& eius ſpecies,quæ Mathematica nominatur:tertia conſiderat ens naturale,& eius partes,quę dicitur Phyſica. Tertium, iſtæ tres partes ſcientiæ ſecundum ſe conſideratæ, non poſſunt proprie vocari Philoſophia, ſed partes illius. Quartũ,quamuis iſta diuiſio,vt diximus,facta ſit commoditatis gratia, tamen ſumpta fuit ex natura rerum. Nam ens quantum, magis poteſt abſtrahi a ſubſtantia,quam alia accidentia,habetque multas ſpecies & ꝓprietates quę de eo demõſtrari queũt; & ideo conſtituit unam partem Philoſophię. Materiale

Lib. 13. euer. ſin. cert. ſect. 6. & ſeq.

autem & immateriale maxime inter se distât : & ideo, si simul explicarentur, magna esset confusio, ac proinde distinctæ sunt aliæ duę Philosophiæ partes, Physica & Metaphysica. Hęc noua in hunc in modum explicata sententia, vt nonnullos, vt dixi, habuit sectatores, ita & impugnatores quosdam.

Sco. pl. sen. q. 3. SECVNDA sententia priori omnino contraria aliorum, qui putarunt tot esse scientias, quot sunt rationes formales obiectorum, quarum vna non continetur virtute in alia : ita vt non solum de duabus speciebus sint distinctæ scientiæ, sed etiam generis & speciei cum aliæ sint generis, aliæ specierum passiones. Vnde, vt prima sententia, sub vnitate entis, quasi sub quodã toto omnes scientias tanquam partes contineri dixit, ita secunda, iuxta diuersas rationes formales, quarum vna non continet aliam, eas distinguit. Quare, tot erũt scientiæ, quot sunt rationes formales obiectorum, in quibus virtute continentur veritates pertinentes ad aliquam scientiam. Itaque ex ac sententia subiectum alicuius scientiæ debet continere virtute omnes veritates scientiæ.

TERTIA sentẽtia aliorũ, dicentium scientiam nõ distingui per partes entis, neque per rationes formales obiectorum virtute continentium passiones demonstrabiles, vnde innumere fere orirentur scientiæ : sed per obiecta formaliter considerata, vt sunt tali vel tali modo scibilia, prout sub vna generica ratione omnia attinguntur in aliqua scientia : vnde oritur illa distinctio speculatiuæ in tria genera de quibus quærimus. Vt ergo distinctio specifica sciẽtarum sumitur ab hac, illa re scita; ita generica, a vel ab obiecto hoc, vel illo modo cognito: qua ratione Aristoteles distinxit. Physicus enim nihil definit, vel cognoscit sine materia & motu: Mathematicus vero, ab omni motu & caussa efficienti abstrahit, sicuti etiam a materia secundum rationẽ : at Metaphysicus, etiam a materia secundum rem : ut planius in fundamẽtis docebo. Est itaque cõmunis opinio

Lib. 6. Met.

nio omnium Græcorum, & Latinorum, tres dictas sciẽtias non esse vnius Philosophiæ, vel scientiæ partes integrantes, sed tres scientias totaliter distinctas. In eo tamen dissentiunt, quanam ratione inter se distinguantur, de qua re postea dicetur. Nec defuerunt, qui ex Platonis sentẽtia vnicam tantum faciant scientiam speculatiuam, Metaphysicam nimirum, quam Dialecticã appellant, quod de rebus physicis ob earum uarietatẽ non habeatur nisi opinio, & omnes aliæ sint veluti pædię ad scientiam diuinam; & Mathematica secundum eundem Platonem, non sit proprie scientia. Quare unicam tantum scientiam faciunt, quæ omnia considerat: cum eius obiectũ sit ens, ut ens est, sub quo omnia intelligibilia continentur. Vt autem quid in hac difficultate tenẽdum sit, doceamus, insequentia pono fundamenta.

D.Tho. opusc. 70 q. 5. art. 1.

Iac. Maz.

PRIMVM fundamentum, illa ex Aristotelis doctrina vocanda est vna scientia, quæ unum habet obiectum formaliter sumptum, cũ de una & eadẽ re materialiter accepta uariæ possint esse sciẽtiæ: ut de quãtitate tres illę de quib. hic disputamus. Quo fit, ut scientiæ unitas & distinctio sumenda sit ab obiecto formaliter considerato, cuius principia, partes, species, & proprietates inquirit: ex quarum rerum cognitione per aggregationem multorum habituum una fit scientia ob has caussas, ut supra diximus. Primo, ob eundem finem, quo modo scientiæ de humanis actionibus, possunt dici una scientia, quia omnes pro fine habent beatam uitam. Secundo, ratione principiorum, quia ex ijsdem proficiscuntur principijs: quæ caussa non reperitur in illis, quę diuersa habent principia. Tertio, ob eũdem modum procedendi, & demonstrandi. Quarto ratione unius obiecti formalis. Et quidem hi duo posteriores modi maxime faciunt ad constituendum unam scientiam. Tunc itaque una dicetur totalis scientia, quando habet unum obiectum formale, utrumque procedendi modum ab alijs distinctum. Etenim scientia

est

est cognitio quædam, quæ necessario dicit ordinem ad obiectum, & ad principia; & idcirco scientia totalis erit illa quæ unum habebit obiectum, quod unum requirit procedendi modum: unde, si obiectum esset idem & modus procedendi diuersus, scientia nõ diceretur proprie una. Cæterum, quandocunque erit vnum obiectum formaliter distinctum, semper modus procedendi erit diuersus. Ideo Aristoteles docendo modum cognoscendi, quando non sit vna scientia, & quæ diuersa dixit, eam esse vnã quæ est vnius obiecti, cuius principia, species, & passiones considerat: eas vero esse diuersas, quæ habẽt principia ita distincta, vt sub vna ratione formali conuenire non queant. Ex quibus colligeres, in constituenda totali scientia, non solum habendam esse rationem obiecti formalis, sed etiam principiorum, ex quibus modus procedendi nascitur: quamuis & principia, & procedendi modus ab obiecto pendeant. Quo fit, vt scientiæ quæ habent obiecta coniuncta in vna communi ratione formali, habeant etiã principia & modum procedendi conuenientem in vna ratione superiore. Quamobrẽ, vt videatur, an dictæ sciẽtiæ sint totales, videndum erit an earum obiecta conueniant in vna ratione formali.

1. Post. t. 43.

SECVNDVM fundamentum, ad explicandum id quod diximus de obiecto formali, assignanda sunt triũ dictarum scientiarum obiecta. Physica considerat corpus naturale, vel mobile, ex ijs quæ nota sunt secundum sensum: cum non abstrahat a materia sensata. Quod vero attinet ad modum procedendi in suis definitionibus ponit res sensiles, materiam & formam; abstrahit tamen a materia singulari. Ratio huius modi procedendi ea est, quia quæcunque cognitio debet esse accommodata ipsis rebus: & quia rerum physicarũ natura hæc est, vt sint sensiles, & includant materiam, propterea, vt tales cognosci, & per materiam definiri debent. Quare scientia de corpore naturali, vt naturale, in definiendo & demonstrando vtitur materia ac

Lib. 11. met. sum. 3. c. 1. Lib. 2. phys. t. 19. Lib. 11. met. loc. cit.

proinde

proinde in principio materiam inuestigat,& per eandẽ probat proprietates rerum physicarũ.Hinc fit,vt multa prædicata de re Physica,non demonstrentur in ipsa, sed in Metaphysica; qui habent caussas abstrahentes a materia.Mathematica vero, quia non habet pro obiecto essentias rerũ,neque considerat proprietates quæ ab essentia fluunt, nec etiam caussas,aut effectus, sed solum necessariam connexionem earum affectionum quæ dicuntur de suo subiecto, hoc est de quantitate a sensibus abstracta,ideo habet modum procedendi distinctum a physica:& cum non habet veras caussas, vt est omnino certum,nec etiam veras definitiones demostrationesq;habebit. Quod dixi,abstrahere a materia sensili, intellige de puris Mathematicis,non de medijs inter puras Mathematicas, & Physicam;vt est Armonica & Perspectiua,quæ considerant sua obiecta,ut sub sensum cadunt. At vero Metaphysica,cum habeat pro obiecto rerum quidditates & naturas vniuersas a materia re & ratione abstractas,procedit per quædã principia vniuersalissima & per se nota lumine naturæ, & habet definitiones & demonstrationes a materia abstractas.Circa cuius obiectum illud animaduertendum est,quod communiter ab omnibus docetur,eam considerare Deum & Intelligentias, non solũ ut entia sunt, sed etiam in particulari: de qua re non est parua difficultas. Scientia de Deo & Intelligentijs habet obiectũ valde distinctum a scientia de ente vniuerse sumpto: quia illa habet obiectum abstractum a materia re & ratione, cum Deus & Intelligentiæ nec habeant materiã,nec dicant ordinẽ ad illã:hæc vero habet obiectũ abstractũ a materia solũ per indifferẽtiam. Quare illud ens quod consideratur in Metaphysica abstractum a rebus materialibus & immaterialibus, non potest abstrahere realiter a materia,sic.n.non conueniret rebus materialibus,sed consideratur,vt indifferens ad vtrunque genus, sicuti animal respectu hominis & equi. Rursus, obiectum scientiæ de Deo,est distinctum ob

Lib. 1. phys.

Lib. 2. phys.t. 20.

Lib. 11. met. sum. 3. c.1.

obiecto ſcientiæ de Intelligentijs: magis enim differt Deus ab Intelligẽtijs, quam Intelligentię ab ente materiali. Quare, ſi Intelligentiæ faciunt obiectum diſtinctum ab ente materiali, etiam Deus faciet obiectum diſtinctum ab Intelligentijs. Modus etiam procedendi in ſcientia de Deo eſt diſtinctus a modo procedendi in ſcientia de Intelligentijs: & ambo ſunt diuerſi a modo procedendi in ſciẽtia de ente a rebus corporeis abſtracto. Deus enim & Intelligentiæ habent modum procedendi, qui non ſolum non includit materiam, aut rem ſenſibilem, ſed excludit: ens vero, ſeu ſcientia de ente, vt ens eſt, habet modum procedendi, qui neque includit, neque excludit materiam, ſed eſt indifferens. Scientia de Deo habet modum procedendi abſtractum ab omni potentia: at ſcientia de Intelligẽtijs includit aliquam potentiam. Ex quibus fit, ut hęc tria obiecta non poſſint pertinere ad vnam & eãdem ſcientiam totalem. Quod ſi petas, cur Metaphyſica conſideret Deum & Intelligentias in particulari, cũ habeat pro obiecto ens indifferens? Reſpondent aliqui, id factum fuiſſe, quia Deus & Intelligentiæ ſunt prima & præſtantiſſima ſpecies entis, & entis principia: ſed hæc ſolutio non uidetur tollere difficultatẽ. Nam, ſi ſcientia de Deo eſt totalis & diſtincta a ſcientia de ente, non poſſent ſimul conſiderari in eadem ſcientia: quia hac ratione, ſcientia tranſiret ab vno genere in aliud, quod eſt contra Ariſtotelem. Dicendum eſt ergo, ſcientiam de Deo, & Intelligentijs eſſe diſtinctam a ſcientia de ente, nec conſiderari hæc entia per ſe a Metaphyſica, ſed ſolum ei fuiſſe adiuncta commoditatis gratia: quia pauca dici poterant lumine naturali de Deo & Intelligentijs.

TERTIVM fundamentum, tunc una ſcientia eſt totalis & diuerſa ab alia, quando eius obiectum adæquatum non ordinatur ad obiectum alterius, tanquã principium, vel pars, vel ſpecies, vel paſſio: quando vero refertur aliquo ex dictis modis, nõ eſt vna ſcientia diſtincta,

ſtincta,ſed aliquid illius. Poteſt autẽ obiectum vnius ordinari ad obiectum alterius dupliciter: primo materialiter,quando refertur,vt res quædam, non ſub ea ratione,ſub qua conſideratur in ſcientia: ſecundo formaliter, vt accidit cum obiectum vnius ſcientiæ ex ſe ordinatur ad obiectum alterius, & ab illa ſcientia conſideratur ſub tali ratione,vel quod idem eſt, ad illam pertinet, vt ad illud refertur. Porro ad ſcientiam totalem diuerſam, non requiritur vt obiectum adæquatum ipſius non referatur ad obiectum alterius primo modo, ſed ſecundo. Exempli gratia, Mathematica conſiderat ens quantum in ordinem ad has, vel illas figuras, & proportiones: ſi quantitas conſideretur, vt quædam res eſt,cõtinetur ſub ente reali, quod eſt obiectum Metaphyſicæ: quod tamen Metaphyſica non conſiderat ſub eadem ratione,neque ad ipſam,ſub tali modo quo conſideratur a Mathematica,pertinet, ac proinde Mathematica eſt ſcientia totaliter a Metaphyſica diſtincta.contra uero, materia prima,quia ſua natura ordinatur ad corpus naturale, & ſub tali ratione conſideratur a Phyſico, ideo eius cognitio non facit ſcientiam totaliter diſtinctam, ſed comprehenditur ſub Phyſica.

Qvartvm fundamentum, in hac difficultate non quæritur an iſtę tres ſcientiæ, ſint tres ſimplices habitus ſpecie diſtincti: non ſupra late demonſtratũ fuit, ſcientiam totalem eſſe vnam per aggregationem, & non ſimplicem habitum; vel qualitatem; ſed, an per aggregationem omnium habituum,qui ſunt in Phyſica efficiatur vna ſcientia totalis diſtincta: ſimiliter,an ex aggregatione habituum, qui ſunt in Mathematica, fiat alia ſimilis ſcientia, atq; idẽ dic de Metaphyſica: an potius ex omnibus prædictis ſcientijs vna totalis,& vniuerſaliſſima fiat ſcientia, quæ cõſtet ex alijs tanquã ex partibus integrantibus, ſicuti ex quattuor partibus vna conficitur Grammatica. His poſitis fundamentis, quid in hac parte tenendum ſit, ſequentibus

poſitionibus

positionibus docebo.

PRIMA positio, probabile est tres dictas scientias esse partes vnius vniuersalissimæ scientiæ. Primo, eõ-firmatur ista positio ex auctoritatibus Aristotelis supra citatis, quibus redditur ualde probabilis recentiorum opinio. Secundo, quia rationes quæ in contrariũ afferuntur, non omnino conuincunt, sed aliquo pacto solui possunt. Tertio, quia omnia æque bene defendere licet, si vna tantum ponatur scientia, quæ consideret ens reale speculabile, & scibile in communi quocunque modo, quæ postea diuidatur in aliquas partes ad cõfusionem remouendam. quare non videtur necessarium vt ponantur plures scientiæ totaliter distinctæ.

SECVNDA positio, probabilius est non esse vnã scientiam totalem rerum omnium, sed admittẽdæ sunt plures inter se distinctæ; scientiæ: vnde communis sententia retinẽda est, quæ his confirmatur argumentis.
1. Post. t. 43. Primo, illa est vna scientia, q̃ hẽt unũ obiectũ & unum modũ ꝓcedendi, ut Aristoteles docet: sed oẽs res non possunt facere vnum obiectum, nec vnum modum procedendi: igitur. Minor patet, quia physicus necessario debet definire per materiam, & per eandem demonstrare: at scientia quæ agit de Deo, & Intelligentijs non item: cum ergo hæ duæ scientiæ habeãt obiecta & modum procedendi diuersum, erunt scientiæ omnino distinctæ atque diuersæ. Secundo, ex Aristotele non licet demonstrando transire ab vno genere in aliud genus, hoc est, ab vna scientia ad aliam: quod frustra diceretur, si vna esset omnium rerum totalis scientia: quia in scientia totali ab vna parte ad aliam transire licet; vt in Physica, a scientia de elementis ad scientiam de mistis, & de corpore vniuersæ: vnde secundum contrariam sententiam, liceret transire ã Physica ad Metaphysicam, hoc est in ea tractare res Physicas. Tertio, si esset vna omnium rerum scientia, necessario tolleretur sciẽtiarum distinctio, quam re vera assignauit Aristoteles, & alij omnes approbarunt: non secus ac si quis

tolleret

tolleret species, qui necessario tolleret, diuisionem generis in illas: neque enim partes integrantes alicuius rei sunt eius species. Quarto, vbi sunt obiecta principia, species, & passiones distinctæ, debent etiam scientiæ esse distinctę: igitur.

QVOD si dicas, dari vnam scientiam quæ considerat ens in communi, quatenus est intelligibile, & hanc eandem considerare entia in particulari, quia entia particularia sunt intelligibilia, hoc nihil est; quia licet talis scientia detur, & est ipsa Metaphysica, tamen non agit de singulis entibus in particulari, quia solum considerat illa vt intelligibilia sunt, sed non secundum proprias & particulares rationes, secundum quas conueniunt quidem, vt intelligibiles sunt, sed tamen habent multa prædicata particularia, quæ conueniunt illis vt entia particularia sunt, & habent principia, species, & passiones, modumque procedendi omnino diuersum a Metaphysica, quę considerat quidem illa vt entia communiter, non autem secundum particulares rationes; quia alias transiret a suo in aliud genus. Postremo, aliqui ita disputant contra Mirandulanum, dum iste auctor, vnam vult statuere scientiam, potius in quandam infinitam multitudinem diuidit: Quia, si Metaphysica considerat ens, & cæteræ scientiæ partes entis sibi sumunt, illa considerabit ens, vt est quoddam genus, & reliquę eius species; quare, si scientię diuidendæ sunt per diuisionem entis, quot sunt entis species & rerum quidditates tot erũt scientiæ: cum ad vnam entis communem & vniuocam rationem reuocari non possint, ens enim non est vniuocnm.

TERTIA positio, tres dictæ scientiæ, sunt totaliter distinctæ, non autem partes vnius communis scientiæ. Primo, in his tribus scientijs sunt distincta obiecta formalia, & modi definiendi, demonstrandi, ac procedendi distincti, conuenientes distinctis obiectis, ita vt in aliquo superiore obiecto, & communi modo conuenire non queant; erunt igitur scientiæ totaliter distin-

ctę,

ctæ, si quæ diximus, ea totalem distinctionem scientiarum faciunt. Physica enim habet pro obiecto corpus naturale, & procedit per sensata, & per materiam: Metaphysica tractat ens, vt ens, & procedit per principia vniuersalissima, nota secundum rationem: Mathematica considerat nudam quantitatem, & quantitatis accidentia extrinseca, relicta quidditate, nec procedit per caussas & effectus, sed per ea quæ habent quandam necessariam connexionem ex suppositione; igitur. Tertio, si istæ tres sciæ essent partes unius sciæ, sequeretur, vt supra dicebamus, posse fieri transitum ab vna ad aliam, quod est contra Aristotelem dicentem, Geometram non posse demonstrare, contrariorum eandé esse disciplinam, id quod fieri posset, si vna esset omniũ rerum scientia. Quarto, ex Aristotele, qui scientiam diuidit in tres assignatas formas: ergo sunt tres scientiæ totales: consequentia patet, quoniam si non sunt totales, maxime quia sunt partes illius scientiæ, quæ considerat ens, & species specierum entis: at non possunt esse partes illius: igitur. Minor probatur, quia illa scientia quæ considerat ens & species entis, vt patet ex locis citatis ab aduersario, est ipsa Metaphysica: at illæ tres scientiæ non possunt esse partes Metaphy. quia Metaphysica per aduersariũ, est pars sciétię cõis: ergo ipsa non est scientia communis. confirmatur, quia sequeretur Aristotelem in diuisione posuisse diuisum, & mébra diuidentia; vt si quis diuidendo animal diceret, Animal, aliud est animal rationale, aliud irrationale, quæ diuidendi ratio, est contra bonæ diuisionis regulas.

1. post. t. 20.

Lib. 4. met. t. 2

QVARTA positio, si scientia speculatiua realis diuidatur secundum se, diuidenda est in quinque scientias: in scientiam de Deo, de Intelligentijs, de ente quãto in communi, de corpore naturali, & de quantitate, vt a Mathematica consideratur. Quod attinet ad tres posteriores partes, patet ex dictis: de alijs sic probatur. Primo, quia habent obiecta & modum proceden-

di diuersum quæ duo faciunt distinctionem scientiæ: igitur. secundo, idem probares rationibus adductis ad probandam distinctionem aliarum partium.

SED contra dicta obijceres, multitudo quæ tractatur ab Arithmetico, differt a quantitate continua quæ consideratur a Geometra: e go faciunt duas scientias totales; & ita Mathematica nō erit vna scientia, vt nos diximus. Respondeo, vtranque scientiam versari in quantitate, siue sit continua, siue discreta, & habere vnum & eundem modum procedendi, definiendi, & demonstrandi, & ideo non faciunt duas scientias totaliter diuersas, sed sunt partes vnius scientiæ communis: sicut nec scientia de cœlo facit vnam scientiā distinctā a scientia de elementis, si considerentur vt corpora simplicia mobilia motu locali.

RVRSVS obijceres, multitudo, vt multitudo, tractatur ab Arithmetico; at sub hac ratione potius pertinet ad Metaphysicum; quia illa multitudo quam Metaphysicus considerat abstrahit a materia per indifferentiam; est enim communis multitudini prædicamētali, & transcendenti, cum reperiatur in omni re: quod si non pertinet ad Metaphysicum, faciet scientiam distinctam. Respondeo, proprietates multitudinis non possunt demonstrari per principia vniuersalissima, quæ sunt in Metaphysica, sed solum per quendam modum mathematicum, & ideo tractatio de multitudine non est metaphysica, sed mathematica. Dico præterea, Arithmeticam non tractare multitudinem communē etiam rebus abstractis, sed solum multitudinem prędicamentalem, quæ non abstrahit a materia per indifferentiam, sed solum eo modo, quo obiectum Mathematicæ: quamuis proprietates multitudinis prędicamentalis conueniant etiam proportionaliter multitudini transcendentali. Diceres etiam, multitudinem analogice dici de prædicamentali & de transcendenti; & quia predicamentalis est primum analogatum, ideo proprietates multitudinis demonstrantur de prædicamentali;

mentali: sicuti motus dicitur analogice de motu rerum incorporatarum, & corpore carentium, & ita proprietates illius prius demonstrantur de motu rerum quæ corpus habent, deinde applicatur rebus spiritualibus.

RVRSVS peteres, cur facta sit vna scientia de quantitate, & non alia de qualitate, deque alijs prædicamentis, cum omnia sint genera generalissima, & proprietates ipsius substantiæ. Respondent aliqui Scotei, accidentia non considerari per se ab vlla scientia, ita vt constituant obiectum illius, vt patet de Mathemetica, quæ non considerat quantitatem secundum se, sed substantiam corporeā, quatenus habet quantitatem: non dantur tamen aliæ scientiæ quæ considerent quantitatem vt habet qualitatem, & alia accidentia, quæ omnia tractantur in physica, in qua consideratur substantia sensibilis, complectens omnia alia accidentia. Sed hec solutio est falsa. Primo, quia scientia Mathematica non considerat substantiam corpoream, sed nudam quantitatem, & ita abstrahit ab ente bono, & a fine. Secundo, quia Mathematica nunquam mentionem facit de substantia corporea; & eius demōstrationes ita concludunt, ac si nulla esset substantia corporea, sed solam supponit quantitatem. Tertio, si consideraret substantiam corpoream, deberet tradere illius species, proprietates, & passiones, hoc enim facit quæcumque scientia, vt Aristoteles docet: at Mathematica ista non attingit: igitur. Postremo, ex allata doctrina, Mathematica confunderetur cum Physica, quæ habet pro obiecto corpus naturale, quod substantia corporea: ergo.

RESPONDENDVM igitur est, diuersam esse rationem quantitatis & aliorum accidentium. Nam quãtitas considerari potest sine substantia, vt ab ea abstrahit, alia vero accidentia intrinsece constituunt substantiam sensibilem. Rursus, quantitas habet multas proprietates secundum se consideratas, sine vllo ordine ad substantiam, quod non habent alia accidētia. Quamuis enim quantitas sit proprietas substantiæ, sicuti reliqua acci-

accidentia: tñ multa ei cõueniunt, vt quãtitas eſt, & vt habet partes extra partes, etiamſi non eſſet proprietas ſubſtantiæ. Quo fit, vt quantitas a tribus ſcientijs conſideretur: a Metaphyſica vt eſt ens, & vnũ genus generaliſſimũ; a Phyſica vt eſt proprietas ſubſtantiæ, & ſecundum propriam naturam; a Mathematica, quatenus habet proprietates quaſdam ſine ordine ad ſubſtantiam. Reliqua vero accidentia conſiderantur a Metaphyſico, & a Phyſico duobus primis modis; & nullã aliam habent conſiderationem. Sed iam reſpondeamus ad argumenta in contrarium allata.

AD primum locum, Ariſtoteles agit ibi de Metaphyſica quæ conſiderat ens & ſpecies entis, quæ ex aduerſariorum ſentẽtia eſſet pars illius vnius ſcientiæ totalis. Quare, aut non datur illa vna ſcientia, aut hic locus nihil cõcludit, quia ex eo ſequeretur illam ſcientiã quam vocat ſpecialem, eſſe totalem, quod tamen ipſi negant. Rurſus reſpondeo, eiuſdem ſcientiæ eſſe conſiderare ens, & eius ſpecies, non in particulari, ſed vt entia ſunt. Ad confirmationem, exempla nõ ſunt ſemper in omnibus ſimilia: quare quod dicitur de Grammatica, non eſt ita accipiendum, vt ſicut Grammaticus conſiderat omnes voces in particulari, ita Metaphyſicus res omnes particulares; hoc enim facit etiam contra aduerſarium. Valet ergo exemplum in hoc, quod ſicut Grammatici conſiderant omnes voces, vel una ſcientia omnes colores, ita Metaphyſicus omnes res, ſed differunt in modo, quia Metaphyſicus non conſiderat niſi vniuerſaliter. Et quod iſta expoſitio ſit ad mentem Ariſtotelis, patet ex ipſo textu: nec enim ait, vnius ſciẽtiæ ſimpliciter eſſe conſiderare ens & ſpecies entis, ſed quot nam, & quæ ſint. Pertinet ergo ad Metaphyſicũ tractare ens & ſpecies entis, non quantum ad ſpecificam naturam, ſed quãtum ad numerum, vt diſtinguat ens in decem prædicamenta, & in ſua inferiora.

SED inſtares, ſcientia ex Ariſtotele conſiderat de ſubiecto principia, ſpecies, & paſſiones, ita vt conſide-

ret illas secũdum suam naturam: at Metaphysica habet pro obiecto omnia entia; ergo. Respondeo, scientiam considerare omnia ista quando continentur sub eadem ratione formali; at entia in particulari non continẽtur sub obiecto formali Metaphysicæ, nimirum secundum prædicata communia, vt patet de Physica, quæ non cõsiderat formam humanam vt ens est; alias enim confunderentur sciẽtię, vt speculatiua cum practica, puta Medicina cum physica, cum illa tractet corpus vt sanabile, quod est species corporis naturalis. Neque secundus locus concludit, ad quem patet responsio ex dictis. dicẽdum itaque est, considerare species entis in communi. Quod attinet ad tertium locum, Aristoteles nomine scientię intelligit Metaphysicam, quæ agit de caussis vniuersalissimis. Quare, si argumentum aliquid probaret, cõcluderet Physicam & Mathematicam esse partes Metaphysicæ, quod est contra aduersarium. Ideo illæ scientiæ appellantur partes vnius, quia habent idẽ obiectum materiale; omnia enim entia, sunt species entis. Vnde ait, primam philosophiam non considerare entia propria secundum se, sed quatenus entia sunt, in cõmuni nimirum: hoc autem non tollit quin scientiæ inferiores sint scientiæ totales. Sicut eadem ratione dicere possemus, Mathematicam esse partem physicæ ratione subiecti materialis, quatenus spectat ad Physicum considerare quantitatem, quam tamen sub alia ratione tractat. Ex quibus patet etiam ad vltimum locũ: quia Physica & Mathematica considerant partem entis materialiter.

Arist. 2. Phys.

AD secundum, ens est vnum analogice, & cõstituit vnam scientiam Metaphysicam, quæ non considerat entia in particulari; quia habent diuersas rationes formales, diuersa principia, & diuersum modum procedẽdi. Quare cum Metaphysica nõ tractet omnia sub eadẽ ratione formali, ideo necesse est facere plures scientias formaliter distinctas.

AD tertium, Metaphysicas, ut diximus, agit de speciebus

ciebus entis in communi, neque considerat Deum & Intelligentias secundum proprias naturas: quia vt adnotaui, Deus & Intelligentiæ faciunt scientias totales distinctas. Ad cõfirmationem, omnia entia considerari possunt vt entia sunt, & ita faciunt vnam Metaphysicam: sed quia habent proprias rationes formales, & distinctos modos procedendi, propterea constituunt distinctas scientias totales.

Ad quartum, assignare obiecta singulis scientijs, non est Metaphysicæ munu, aut alterius scientiæ particularis, sed Periti, hoc est hominis omnium scientiarum genere præditi, qui considerabit omnia entia in particulari, per diuersos scientiarũ habitus. Quod hoc non sit vnius scientiæ munus; patet, quia ista scientia habet proprium obiectum, & distinguitur ab alijs: quare debet dari alia scientia, quæ ei suum assignet obiectum, & illud ab alijs distinguat: de qua erit eadem difficultas, & sic deinceps in infinitum, quod implicat. Quare assignanda est aliqua ratio per quam omnes distinguantur. Vnde colligeres, errare eos, qui munus distinguendarum scientiarum tribuunt Logicæ. Mirand.

Ad quinctum, Metaphysica considerat seriem prædicamentalem, non tamen singulas res quæ in ea contĩnentur, quas relinquit alijs scientijs. spectat ergo omnia quæ in categorijs continentur, sed in communi, vt entia sunt.

Ad sextum, ratio cur detur vna scientia de cœlo & de elementis, non autem de omnibus entibus, supra explicata fuit; quia omnia entia in particulari considerata non conueniunt in vna ratione formali, & in vno modo procedendi, sicuti cœlum, elementum, & corpus animatum.

Ad vltimum, omnia entia cõstituunt in vnam Metaphysicam, vt entia sunt, non autem vnam scientiam, vt entia particularia. An vero tractatio de anima pertineat ad Physicum, vel ad Metaphysicum, vel ad sciẽtiam mediam, alibi explicandum est.

An Physica, Mathematica, Metaphysica, & scientia de Deo, & Intelligentijs essentialiter distinguantur, sintque vniuocæ scientiæ.

Cap. XV.



T si quid in proposita difficultate tenédum sit, aliqua parte, ex ijs quæ proximo capite disseruimus, innotescat; tamen, maiore explicatione opus est: ex qua adhuc planius intelligentur, quæ iam constituta sunt.

QVOD ergo ad opiniones attinet, Mirandulanus loco supra citato, ait istas scientias non distingui essentialiter, cum sint partes vnius scientiæ Nam si essentialiter distinguerentur, aut ex modo procedendi, & hoc nō; quia omnis scientia quodammodo procedit ab experientia per sensum: vel propter abstractioné; & hoc non, quia abstractio est extrinseca, & sub eadem abstractione reperiri possunt diuersæ scientiæ: vel propter obiectum, & hoc non, quia obiectum, efficit distinctionem, seu vnam scientiam in scientijs specificis, non autem in totalibus: adde etiam, quod de omnibus potest esse vna scientia totalis, sicut de omnibus rebus corruptibilibus, prout conueniunt in vna substantia.

Libr. 1. mec. c. 2

IN hac difficultate certum est, dictas scientias esse inter se essentialiter distinctas, si spectetur distinctio specifica, sicuti in vna & eadē scientia, sunt plures species eadē rōne distinctæ: unde tota difficultas est, an illud aggregatum ex pluribus habitibus physicis, quo constituitur vna Physica, sit essentialiter distinctum, ab aggregato, quo constituitur vna Metaphysica, de qua re diuersæ sunt auctorum sententiæ.

PRIMA, quæ asserit dictas scientias non esse essentialiter distinctas, sed tantum accidentaliter; cuius sententiæ, hoc est fundamentum: quia Mathematica,

&

& Physica sunt subalternatę Metaphysicæ: at scientiæ quæ sic se habent, non differunt nisi accidentaliter: igitur. Quod si huius sententiæ auctoribus obijcias, hinc sequi eas non esse scientias totales, quia ex subalternanter & subalternata vna fit totalis scientia, respon derent, negando sequelam; quia vna scientia potest essentialiter pendere ab alia, & tamen non facere vnam scientiam totalem cum illa, vt accidit in Geometria & Perspectiua. Quid de hac responsione sentiendum sit, in tractatione de subalternatione dicetur.

SECVNDA opinio aliorum, qui dicũt esse essentialiter distinctas: sed caussæ ob quas sic distinguuntur variæ assignantur.

EST itaque primus dicendi modus Thomæorum dicentium vnitaté harum scientiarum sumi ab abstractione, ex qua etiam sumitur distinctio: & quia istæ scientiæ habẽt abstractiones formaliter distinctas, ideo sunt inter se formaliter distinctæ. Sed hic modus facile refellitur ex ijs, quæ supra de vnitate scientiarum agentes diximus: Quia, sicuti inde non sumitur vnitas, vt ibi est demonstratum, ita nec distinctio sumenda erit.

SECVNDVS modus aliorum, qui dicunt hanc distinctionem sumi ex diuersis modis quibus obiecta repræsentantur intellectui: obiectũ Physicæ per sensum, Mathematicæ per imaginationem, quia in Mathematica quantitas sine materia, & qualitatibus sensibilibus repræsentatur, sub qua ratione est obiectum imaginationis: Metaphysicæ uero secundum se, sub qua ratione, nec sensu, nec imaginatione percipitur, sed ratione tantum.

POSTREMVS, qui asserit distingui per diuersos modos procedendi, quos supra explicuimus. Quare hoc loco supponendum est, quod supra diximus, vnitatem scientiæ sumi a ratione formali, quæ ex modo procedendi, definiendi, & demonstrandi perpenditur. Quo loco illud adnotauerim, ex eo rem sumere vni-

tatem, vnde & entitatem sumit, & ab eo distinctionem sumi, vnde vnitas sumitur, quæ nihil addit reale supra entitatem, sed tantum negationem. Vnũ enim illud dicitur, quod est indiuisum a se, & diuisum a quo cunque alio. Quare, idem est ens, & vnum ens, & ab eo a quo sumitur entitas, sumitur vnitas: Verbi gratia, homo sumit entitatem a ratione, & ab eadem etiã vnitatem: & ideo vnus est homo, quia unam habet rationem, a qua etiam distinctionem capit. Quare, eo modo quo distinguuntur inter se ea, a quibus sumitur entitas, distinguuntur etiam illæ res quæ sumunt entitatem. Et hac de caussa rationale, quod est in Socrate, vnde ipse habet entitatem, non distinguitur essentialiter a rationali, quod est in alio hoïe; neq; Socrate essentialiter distinguitur ab alio hoïe. Vt ergo videamus, an istæ scientiæ sint essentialiter distinctæ, videndum est, an ea ex quibus sumunt entitatem, & vnitatem distinguantur essentialiter. Sed iam doceamus quid in hac difficultate sentiendum sit.

PRIMA positio, dictæ scientiæ non distinguuntur inter se essentialiter per hoc, quod earum obiecta diuersa ratione repræsentantur intellectui. Est hęc positio contra secundum dicendi modum supra explicatum, quæ his rationibus confirmatur. Primo, quia sequeretur dari plures scientias pro sensuum diuersitate, per quos obiecta comprænenduntur; quod est omnino falsum. Quod si dicas, omnia comprehendi sub vnica ratione, vt sensibilia sunt, ac proinde nõ multiplicari scientias, pro sensuum multitudine; hoc nihil est: quia pari ratione omnia conueniunt in ente intelligibili, quam ob caussam possemus dicere, vnicam esse scientiam, quod supra confutatum fuit. Secundo, quod medium proxime repræsentetur intellectui per imaginationem, vel per sensum, nihil facit ad scientiam, cũ hoc sit quædam conditio sine qua, non sicuti & abstractio. ergo ex hoc capite non potest summi essentialis distinctio. Tertio, si per impossibile obiectum Physicæ

proxime

proxime fieret præsens intellectui, similiter obiectum Mathematicæ, adhuc istæ scientiæ, modo supra dicto, distinguerentur, quia essent eædem conclusiones, & principia eadem: ergo ista repræsentatio nihil facit. Quarto, Physica considerat intima prædicata rerum, vt sunt naturalia, quæ proxime repræsentantur intellectui, quia non includunt qualitanes sensiles, vt tales sunt: ergo non distinguitur ab alijs propter hoc, quod ei obiectum offeratur, ut sensile. Quincto, obiectum est scibile sua natura, vt habet passiones demonstrabiles, & certa principia, quę debent repræsentari intellectui, & non est necesse, vt hoc, vel illo modo repræsententur: ergo repræsentatio non facit distinctionē essentialem scientiarum; quia scientia dicit ordinem intrinsecum ad obiectum, & ad principia: accidit ergo scientiæ, quod hoc, vel illo modo repræsentetur obiectum. Sexto, quantitas non est in imaginatione, nisi cum qualitatibus sensibilibus, sicuti non percipitur sensu exteriore, nisi per aliquam qualitatem sensibilē; neque enim entia sensilia percipiuntur, sine proprijs qualitatibus: ergo quantitas non percipitur sine qualitatibus sensilibus. quare eodem percipietur modo sicuti & obiectum physicum. Vt hic omittam, quod dari posset alia scientia quæ perciperetur vi æstimatiua, quæ a quibusdam ponitur, vt distincta ab imaginatione.

SECVNDA positio, essentialis dictarum scientiarum distinctio non sumitur ex diuerso modo abstrahendi. Patet ex ijs quæ supra disputata sunt. Non negauerim tamen, in his scientijs reperiri abstractiones distinctas, & modos repræsentandi diuersos, sed affirmo, ab his non esse sumendam distinctionē essentialē.

TERTIA positio, dictę scientię distinguuntur inter se essentialiter, propter sua obiecta formaliter distincta, & ob varios modos definiendi & demonstrādi, vt supra docuimus. Quod igitur ista distinctio sit essentialis, his rationibus demonstratur. Primo, ex

Aristotele

Lib. 1. post. t. 42.&43

Aristotele affirmante, ibi esse scientias essentialiter distinctas, vbi obiecta, principia, & passiones sunt distinctæ: sed hæc in illis distinguuntur: igitur. Secundo, scientię partiales essentialiter distinguuntur penes ista: ergo & totales: sed talis distinctio inuenitur in allatis scientijs: igitur. Tertio, scientiæ sumunt suam entitatē & vnitatem ab obiecto formali, & a modo procedendi: ergo ab ijsdem sument distinctionem essentialem: consequentia est manifesta, quia inde sumitur distinctio, vnde vnitas & entitas.

QVOD si dicas, ista vnde sumitur distinctio reperiri solum in illis tribus scientijs de quibus meminit Aristoteles, non autem in scientia de Deo, & de Intelligentijs; quia istæ duæ habent eundem modum procedendi cum Metaphysica, aut saltem idem est modus procedendi vtriusq; ; igitur non distinguentur, Respōdeo, ista esse distincta in omnibus iam dictis scientijs. In Physica, vt non semel diximus, obiectum est corpus naturale: & modus procedendi per materialia & sensata: In Mathematica obiectum est nuda quantitas: modus procedendi per propositiones valde notas, & per necessariam connexionem principiorum cum conclusionibus, siue sint veri effectus, veræ caussæ, & vera signa, siue non, sine vllo motu & fine. In Metaphysica obiectum est ens, vt ens: modus procedendi per principia communissima, naturali lumine nota. In scientia de Intelligentijs obiectum est ens spirituale, quod habet actum & potentiam, genus & differentiam, & proprias passiones, saltem formaliter distinctas, & sub hac ratione definit, & demonstrat. In scientia de Deo, Deus sub ratione deitatis est obiectum omnino simplicissimum, sine vlla compositione, & potentia; & sub hac ratione debet concipi ac describi, & de eo fieri debent demonstrationes, non per veras caussas, sed per rationes priores, quæ sunt veluti caussæ posteriorum, vt simplicitas remotionis omnis potentiæ, & hæc immutabilitatis, & hæc incorruptibilitatis, & sic de alijs. Et

Lib. 3. Intr. in Theol.

quia

qui'a modus definiendi, & demonstrandi diuina nobis qui intelligimus per discursum, est difficillimus, ideo paucissima nos de Deo cognoscimus: sic etiam de Intelligentijs: æterna enim, vt aliquando Aristoteles dixit, a nobis definiri non possunt: & magis rerum caducarum, quam æternarum in nobis esse potest sciẽtia. In ijsdem scientijs reperiuntur etiam abstractiones distinctæ, vt patet ex dictis. Physicus abstrahit a materia signata: Mathematicus a materia sensibili, sed non a materia secundum rem, cum consideret molem, seu quantitatem: Metaphysicus abstrahit ab omni materia per indifferentiam. Scientia de Intelligentijs abstrahit a materia re & ratione, includit tamen actum & potentiam, genus & differentiã. Scientia de Deo abstrahit ab omni materia secundum rem, & secundum rationem, & ab omni potentia, & ita nullam includit compositionem. Qua autem ratione conueniant, & differant, infra dicetur.

2. cęl.t. 34. & 61
Lib. 7. met.

QVOD si obijcias, omnes scientiæ speculatiuæ habent eundem finem, cognitionem veritatis: igitur non differunt, cum earum vnitas sumatur a fine. Respondeo, non esse vnum finem totalem primum omnium scientiarum speculatiuarum: sed sunt plures per se primo diuersi, licet nomine conueniant. Rursus dicerem, aliquam scientiam esse vnam ab vno fine eodem modo acquisito: & quia finis vniuersalissimus scientiæ speculatricis, qui est veritatis contemplatio, varijs modis, per se primo diuersis, a dictis scientijs acquiritur; ideo remanent inter se totaliter distinctæ. Exemplum sumi potest a lineis curuis & rectis, terminatis ad idem punctum; quæ, licet habeant eundem terminum: tamen, quia diuerso modo ad illum perueniunt, ideo diuersę remanent.

Lib. 2. met. t. 3

De scientiarum comparatione, ratione ordinis inuentionis, doctrina, & natura. Ca. XVI.



NATVRA, proprietatibus, partibusque Philosophiæ siue scientię expositis, consequens est vt eas inter se comparemus: & quoniam varie comparationes inter Philosophiæ partes fieri possunt; ideo nos quoque hanc huius tractationis partem, in varia capita distribuemus.

PRIMO itaque agemus de comparatione, ratione ordinis; postea de comparatione ratione nobilitatis & certitudinis; postremo de comparatione ratione superioris & inferioris scientiæ, seu de scientiarum & partium Philosophiæ subalteratione. Quod attinet ad primum, duplex ordo potest animaduerti in scientiarum, vel partium Philosophiæ collocatione: vnus secundum rei naturam, ostendendo quæ nam sua natura anteire debeat, alter secundum nos: & hic rursus duplex est, alter inuentionis, docendo, quænam primo inuenta fuerit: alter doctrinæ, secundum quem istæ partes tradi ac doceri debent; de qua re varie extiterunt, tum antiquorum, tum recentiorum scriptorum sententiæ.

PRIMA Stoicorum quorum, princeps fuit Zeno, qui primo loco Logicam, secundo Physicam, tertio Ethicam tradendam esse censuere.

Lib. 7. SECVNDA Apollodori, vt ex Laertio discimus, qui primum locum tribuit Logicæ, secundum Ethicæ, tertium Physicæ. Atque ita senserunt isti, qui Logicam ab alijs scientijs seiungebant, seorsimque tradebant; secus illi, qui eam cum alijs confundebant, simulque tradebant. (Orig. hom. 1. in cant.)

VNDE tertia sententia fuit aliorum, qui primum locum Ethicæ, secundum Phisiologiæ dabant, vt Diogenes,

genes, alij vero contra, vt Panetius & Possidonius. Et hunc in modum de re proposita antiquiores Philosophati sunt. Illi vero qui Aristotelem sunt sequuti, & eius diuisionem de tribus sciẽtijs speculatiuis approbarunt, aliter Philosophiæ partes ordinarunt, vnde aliæ enatæ sunt sententię.

QVARTA Ammonij, qui primo loco Physicam, secundo Mathematicam, & tertio Metaphysicam collocauit. Quia scientiæ ordinandæ sunt prout magis minusque abstrahunt a materia singulari, & si hoc spectemus, ita collocari debent, vt patet ex ijs quæ supra de earum distinctione agendo diximus: igitur. Prol. in Porph.

QVINCTA sententia Magni Alberti, qui distinguendo de ordine naturę & doctrinæ, duo dicit: Primũ ordine naturæ ita constituendæ sunt, vt primum locum obtineat Metaphysica, secundum Mathematica, tertium Physica: secundum ordinem doctrinæ, prius discenda est Physica, tum Mathematica, & postea Metaphysica. In prol. phys. D. Tho.

SEXTA opinio aliorum qui primo loco ponunt Mathematicam, secundo Physicam, & tertio Metaphysicam Quid autem Aristoteles ipse senserit, tunc testatum reliquit, cum scientiam speculatricem diuisit, in Naturalem, Mathematicam, & Theologiam. Plato, abstractionem fortasse spectando, Mathematicam medio loco posuit. Sed si verum est quod aliqui dicunt, ipsũ vnam tantum agnoscere scientiam speculatiuam, quã nomine Dialecticæ designauit, nullam agnosceret partium Philosophiæ speculatricis diuisionem: cum solũ de rebus æternis & diuinis nos certam scientiam habere putauerit, de Physicis vero solum opinionem, vt illi scribunt. Nos quid de re proposita sentiendum sit, sequentibus positionibus docebimus: & primum de ordine inuentionis, si ponamus Philosophiam ab hominibus inuentam fuisse, vel si quæramus quibus de rebus, qui primo habiti sunt Philosophi, disputauerint, ita statuo. D. Tho. opusc. 70 Simplic. Lib. 11. Met. sũ. 3. c. 1.

PRI-

PRIMA positio, inter partes philosophiæ prius inuenta fuit Physica, vel de rebus physicis prius a philosophis disputatum fuit. Primum, quia illi qui primo philosophiæ operam dederũt, Physici nominati fuere vt Thales, a quo Ionica Philosophia, & Pythagoras, a quo Italica initium sumpsit. Deinde, quia, vt supra diximus, humana scientia ortum habet a rebus, quę sub sensum cadunt: igitur de illis rebus primo disputatum fuit, de quibus in Physicis agitur.

SECVNDA positio, secundo loco fuit inuẽta Mathematica. Quia post sensum externum magis est in promptu id, quod cadit sub imaginationẽ, & ens quãtum, quam id quod sola ratione attingitur.

TERTIA positio, tertio loco fuit inuenta Metaphysica. Quoniam hæc tractat ea quæ sunt a sensu valde remota, & considerat solum res quæ sola intelligentia attinguntur. Confirmatur, quia eam Aristoteles primo ordinauit, & iam constitutam tradidit. Sed cum in Metaphysica, vt supra docuimus, contineatur doctrina de ente vniuerse, & particulariter de rebus ab omni materia seiunctis, peteret aliquis, quæ nam pars sit prius inuenta, an illa quæ agit de Deo, & Intelligentijs, an alia quæ de ente disputat? Respondeo sequenti positione.

QVARTA, positio prius inuenta fuit scientia de Deo & Intelligentijs, quã scientia de ente vniuerse sumpto. Quoniam notio entis est cõmunis, & prius debuerunt cognosci conceptus particulares entis, quã conceptus communis, qui ab illis abstrahitur. Vnde Aristoteles in sexto metaphysico dicebat, si non essent substantiæ præter physicas, Physica esset prima philosophia: non quod substantiæ abstractæ non considerentur a Metaphysica, quæ est prima philosophia, sed quia si non darentur illæ substantiæ, non possemus abstrahere conceptum entis, qui abstrahit a substantia materiali, & immateriali, sed conueniret tantum substantijs materialibus, quæ pertinent ad physicam, & cum

con-

cõceptus ille consideretur a physico, proinde Physica esset prima philosophia, quia consideraret conceptum entis pertinentem ad primam philosophiam.

QVINCTA positio, philosophia morum inuenta fuit post physicam, ante Mathematicam. Est enim minus abstracta, & a sensibus minus separata, quam Mathematica, & habet principia maxime nota: & ideo potuit prius constitui, quam Mathematica: sed quia supponit aliquam notitiam Physicæ, estque de rebus minus sensatis, quam Physica, ideo fuit posterior physica. Huc facit, quod si spectemus philosophorum consuetudinem, Socrates dicitur hanc philosophiæ partem euocasse a cœlo, hoc est a rebus physicis. Cic. lib.

SEXTA positio, Logica quæ, a partibus scientiæ & philosophiæ nullo modo excludenda est, posteriore loco videtur fuisse inuenta, atque absolute tradita. Primum quidem, quia est de rebus, quæ non possunt plene cognosci nisi post aliquam aliarum rerum notitiã, nimirum de secundis intentionibus, quæ sunt minimę entitatis, & non cognoscuntur, nisi per reflexionem, supra actum, quo primo res intelligũtur. Deinde, quia antiquiores philosophi, vel imperfecte eam tradebãt, vel cum alijs confundebant, quos merito Aristoteles redarguit. Postremo, quia ab eodem Aristotele videtur fuisse perfecta. Atq; hæc probabiliter de inuentione dici posse putamus. Sequitur vt de ordine, quo iã dictæ partes doceri debent, dicamus. Libr. 1. Met.

SEPTIMA positio, scientiarum encyclopedia cõstituta, si spectemus ordinẽ doctrinæ, initium sumendũ est a Logica, quia ipsa est ianua & pædia ad omnes alias perfectæ acquirendas, & rerum noscendarum modum sciendique instrumenta necessaria docet. In summa, per Logicam intellectus seipsum instruit, seque ipsum docet modũ, quo res alias intelligere queat. Secundo loco tradẽda est Mathematica, qa agit de rebus notissimis, quæ habent maximam connexionẽ inter se; ideo antiqui a mathematicis initium sumere solebant D.Tho. opusc. 70. q. 5. ar. 1.

ob earum maximam euidentiam. Tertio loco, Physica quæ est de rebus maxime sensatis. Quarto Moralis, tum quia videtur sequi physicam: tum etiam quia maxime præparat animum ad res diuinas percipiendas: qua parte, si commode fieri posset, omnibus præferenda esset: ut per eam animus purgatus, multo melius veritatem intueret. Quincto, scientia de Intelligentijs, quarum cognitio habetur per ea quæ sunt nota sensibus, cum inuestigétur per motum cęlorum. Sexto, sciétia de Deo, ad quem peruenitur per substãtiarum abstractarum notitiam. Quare postremo loco esset collocanda scientia de ente, quia hæc supponit notitiam aliarum scientiarum.

Octava positio, si spectemus ordinem naturæ, hoc pacto dictæ scientiæ collocari deberent. Primo agendum esset de ente in communi, quod spectat ad Metaphysicam: in qua explicantur communia omnia rerum attributa, atque principia. Secundo, de Deo, quia est perfectissimum ens, & caussa omnium entium. Tertio de Intelligentijs, quæ sunt perfectiores omni ente creato, & caussæ rerum inferiorum per motum. Quarto de rebus physicis, & de corpore naturali, quod est prius omni alio accidente. Quincto de moralibus, quia continent actus humanos, qui inter accidentia sunt nobilissimi. Sexto de quantitate, siue de rebus mathematicis, quæ sunt affectiones & accidentia quædam consequentia quantitatem. Postremo de rebus logicis, hoc est de secundis intétionibus, quę sunt minimæ entitatis.

Sed peteres, quo ordine tradendæ sint partes Philosophiæ morum? responderem hoc pacto. Primo agendum est de humano fine & moribus vniuerse, de quibus in ethicis agitur: secundo, de domo, quæ est veluti parua quædam resp. Postremo de politicis, siue de rep. quarum partium, vnus est vltimus finis, vita beata, ad quam per varias virtutes, atque officia, quotquot sunt in humana societate homines tendunt; sicuti

Arist. li. 7. Polit.

Arist. li. 3. Polit.

ſicuti omnes qui ſunt in vna naui miniſtri, ad vnum portum nauigant. Sed contra ea quę poſuimus nonnullæ fieri dubitationes poſſunt, quas nunc proponã, & diſſoluam.

PRIMA, ordine doctrinæ, vt varijs in locis docet Ariſtoteles, debemus incipere a communioribus, & a magis notis: at metaphyſica eſt de rebus communiſſimis, & habet principia notiſſima; igitur ab ea hoc ordine ſeruato, auſpicandum erit. Reſpondeo, licet quædam principia metaphyſica, & quæ in ea docentur ſint nobis nota cognitione confuſa: tamen, ſi loquamur de cognitione diſtincta, qua res Metaphyſicæ cognoſcendæ ſunt, earum notitia eſt nobis obſcura: neque enim poteſt ens diſtincte cognoſci, niſi cognoſcantur inferiora. Siquidem totum cognitione diſtincta ignotius eſt, quam partes: quamuis prædicata vniuerſaliſſima ſint notiora cognitione confuſa.

1. Phyſ. in proę. & t. 57. li. 3. t. 3.

Auic. initio ſuę met.

D. Tho. opuſ. 70. q. 5.

SECVNDA, Mathematica eſt de obiecto magis abſtracto, quã phyſica; igitur ordine naturæ erit prior: ſicuti Metaphyſica ob eandem rationem, quia agit de rebus magis abſtractis, cenſetur prior. Reſpondeo, ſubſtantia, vt Ariſtoteles docet, eſt prior natura, & tempore omni accidente: ac proinde Phyſica quę agit de ſubſtantia, ſua natura erit prior Mathematica, quæ agit de accidente; Metaphyſica vero dicitur eſſe prior, non ſolum quia agit de rebus magis abſtractis, ſed etiam, quia res quas tractat, ſunt ſubſtantia. Vnde argumentum concluderet in eodem genere; hoc eſt, in genere ſubſtantię, vel accidentis, illud eſſe ſua natura prius, quod eſt magis abſtractum; quo modo Deus eſt prior Intelligentijs: at in diuerſo genere, non valet.

1. Pyſ. t. 3.

7. Met. t. 4.

TERTIA, Phyſica acquiritur per ſenſum, Mathematica non item: ergo illa erit prior ordine doctrinæ; cum noſtra cognitio ortum habeat a ſenſu. Reſpondeo, cognitio rerum Phyſicarum per ſenſum eſt cognitio confuſa & imperfecta: at vero cognitio diſtincta ſupponit experientiam, & varios diſcurſus circa abditas rerũ

naturas & ideo non est, prior, quam notitia rerum mathematicarum, quæ habent principia notissima intellectui, & euidentes connexiones conclusionum cum principijs, & a nulla experientia pendet.

SED obijceres, Physica agit de substantia corporea, vt generatur & corrũpitur: at hæc supponit quantitatem: ergo quantitas est prior obiecto physicę. Respondeo, quantitati prius conuenit sua propria natura, quam accidentia: at secundum suam naturam consideratur a Physico, vt passio quædam corporum naturalium, a mathematico vero solum vt habet accidentia quædam; puta quod sit mensurabilis, diuisibilis, & proportionnm capax. Quare, licet Physicæ subiectum requirat quantitatem, non propterea est posterior mathematica, cum Physicus agat de natura quantitatis secundum se: sed de hac comparatione hucusque.

Lib. 3. Phys.

De scientiarum, siue partium Philosophiæ comparatione ratione nobilitatis & certitudinis. Cap. XVII.



VONIAM in re versamur manifesta, in qua nullæ sententiæ sunt nobis citandæ nec ulla afferenda argumenta, fundamentaque ponenda; ideo breuiter quid tenendum si, quibusdam positionibus statuemus: & primum de ordine ratione nobilitatis; postea ratione certitudinis.

PRIMA positio, scientiæ nobilitas ex duplici capite sumi potest. ex obiecto, & medio, vel ex modo procedendi: qui duplex est, alter qui sumitur a ratione certitudinis, alter a ratione medij scientifici.

SECVNDA positio, si spectetur nobilitas ex parte obiecti, Philosophiæ partes ita distribuendæ sunt. Primo loco ponenda est Metaphysica, vt comprehendit Deum & Intelligentias: secundo Physica: tertio Ethica, quarto, Mathematica, & postremo Logica.

Ideo

Ideo Ethica præponitur Mathematicæ, quia est de nobiliore subiecto, nimirum de humanis actibus, & de beata vita, quæ sunt accidentia nobiliora, quam quantitas. Et quia Logica agit de ente rationis, quod est quid minimum, ideo in posteriore ponitur loco.

TERTIA positio, ex scientijs Metaphysicis, priore loco ponitur scientia de Deo, secundo, scientia de Intelligentijs; quia hæc sunt entia præstantissima, & maxime abstracta a materia: tertio loco scientia de ente.

QVARTA positio, si spectetur modus procedendi scientificus, hoc modo distribuendæ sunt, incipiendo a minus perfectis. Primo loco ponenda est Mathematica, in qua est modus sciendi minus perfectus quam in vlla alia: quia caret veris definitionibus, demonstrationibus, verisque caussis & effectis. Secundo, scientia de Deo, quia in Deo nec sunt, nec esse possunt veræ caussæ essendi. Et ideo de Deo non dantur demonstrationes per caussas, sed per rationes, quæ sunt in natura diuina, quarum vna vtimur ad probandam aliam. Tertio logica, cum etiam in ea non sint caussę reales essendi, & cognoscendi Quarto moralis, in qua non sunt proprie caussæ, nisi extrinsece, & non per se influentes. Quincto, Physica, in qua sunt veræ naturę reales, veræ caussæ efficientes, & veri effectus, ac proinde veræ definitiones, & demonstrationes: tamen, cum vltimæ rerum differentiæ, vt plurimum, nos fugiant; raræ sunt demonstrationes, quę habeant omnes conditiones requisitas. Sexto, scientia de Intelligentijs, in qua etiam sunt veræ caussæ definitiones veræ, & verę demonstrationes: cæterum pauca de illis a nobis cognoscuntur. Vltimo loco, est Metaphysica, vt agit de ente, quæ habet perfectas definitiones & demonstrationes.

Ex quibus colligeres, harum scientiarum quasdam non habere, nec habere posse veras caussas, & proinde nec veras definitiones & demonstrationes: alias vero licet interdum non habeant, tñ habere possunt; quia cõ-

siderant res secundum proprias naturas. Et quamuis scientia de Deo, consideret proprie naturam diuinam: tamen quia in Deo nulla est caussa, & nullum prædicatum superius, ideo non habet proprias definitiones & demonstrationes. Sequitur comparatio ex parte certitudinis, quæ partim ex obiecto, partim ex medio sumitur.

QVINCTA positio, ex parte certitudinis obiecti, hoc pacto dictæ scientiæ collocandæ sunt. Primo loco est scientia de Deo, qui est ens omnino necessariū, ita vt implicet contradictionem, aut non esse id quod est, aut esse contrarium; non solum quoad essentiam, sed etiam secundum existentiam, quæ est de essentia Dei. Secundo, scientia de Intelligentijs, quæ sunt incorruptibiles ab intrinseco. Tertio, scientia de ente, quæ abstrahit a materia, ex qua omnis oritur corruptio, & ratio incertitudinis. Quarto Physica, quæ est de substantia, quæ certior est omni accidente, cum sit accidentium fundamentum. Quincto mathematica, quam sequitur Moralis, quæ est de rebus minus certis vnde postremo loco: ponenda erit Logica, quæ considerat entia rationis, quorum esse pendet ab intellectu.

SEXTA positio, si comparentur ratione certitudinis medij, hac ratione ordinandæ erunt, si a minori certitudine initiū capiatur. Primo loco erit scientia de Deo, quæ est minus certa, quam aliæ ratione nostri.
Lib. 1. de par. t. 2. — 1. cœl. t. 17. Ita docuit Aristoteles cū dixit, sed partem illam æternam, & proinde nobilem ac diuinam, minus contemplari propterea possumus, quod admodum pauca illius modo sensui patent: quorum beneficio, tum de ipsa parte diuina, tum de ijs quæ nosse cupimus facultas nobis cogitandi, indagandique suppeditetur. Quibus verbis redditur etiam ratio, cur pauca de rebus ęternis sciamus; quia longe distant a sensu, a quibus nostra
Lib. 2. cœl. t. 60. petitur scientia. Cæterum, licet rerum æternarū quid minimum sciamus, id tamen magis carum est, ob rei præstantiam, & ob illam sitim quam de Philosophia habemus.

bemus. Secundo, ſcientia de Intelligentijs, ob eandem rationem. Tertio Logica, cuius ſubiecta materia ſolum intellectu attingitur. Quarto Metaphyſica, quæ conſiderat ens reale, ſed non vt ſenſu percipitur. Quincto, Moralis, quæ iam a ſenſibus & experientia pendet. Sexto, Phyſica, quæ adhuc de rebus magis ſenſatis agit. Poſtremo Mathematica, quæ ratione c[illegible]citudinis medij alias omnes ſuperat. Primo, quia non admittit niſi rationes demonſtratiuas, aliæ uero etiam rationes probabiles. Secundo, quia mathematica probat etiam ea quæ ſunt nota ſenſibus: Phyſica non item, vt patet ex Ariſtotele, qui damnat eos, qui ea conantur probare quæ ſunt ſenſibus manifeſta. Tertio, tanta eſt certitudo Mathematicarum demonſtrationum, vt omnino conuincant intellectum; ac proinde demonſtrationes certæ ſolent vocari Mathematicæ, vt ex varijs locis Ariſtotelis colligere licet.

2. Phyſ. t.6. Phyſ. t. 22. 1. Eth. c.2. 2. Met. t.16. 3. d coel. t.65.

ATQVE ex ijs quæ hucuſque de ſcientiarum cōparatione diximus, intelligitur, eas inter ſe ſuperare & ſuperari, in rebus tamen diuerſis.

RVRSVS, ex dictis ſolueres hanc dubitationem, an ſcientia vniuoce prædicetur de omnibus iam recenſitis ſcientijs. Nam, ſi ſcientia ſumatur prout eſt effectus perfectæ demonſtrationis, & definitionis, vt in primo ſecundę analyſis definita fuit, dicetur analogicæ, & prius de illis ſcientijs quæ conſiderant res ſecundum ſuam naturam, & poſtea de alijs, vt de mathematica. Si vero ſumatur ſcientia, vt dicit cognitionem certam & euidentem, & neceſſariam, dicitur vniuoce; quā uis vna ſit perfectior alia. Et hæc ſunt quæ ſummatim, & rudi quadam ratione de ſcientiarum ordine ratione inuentionis, doctrinæ, naturæ, nobilitatis, & certitudinis dixiſſe volui.

Quid & quotuplex sit subalternatio. Cap. XVIII.



NTER alias scientiæ diuisiones & cōparationes, vt supra diximus, est hęc, quod alia sit subalternans, alia subalternata, quæ inter se comparatæ ita se habent, vt vna sit superior altera inferior. Et quoniam hæc diuisio est maxime necessaria ad scientiarum naturam dignoscendam, atque ad easdem ordinādas; ideo paullo accuratius a nobis hoc ordine explicabitur.

PRIMO, docebimus quid & quotuplex sit subalternatio. Secundo, quæ conditiones ad subalternationem requirātur. Tertio quo pacto subalternans & sub alternata inter se differant. Quarto, qua ratione subalternata probet, aut supponat sua principia. Postremo, quæ sint scientiæ subalternantes, & quæ subalternatæ. Quod attinet ad primum, cum hic nulla occurrat difficultas, ita statuo.

PRIMA positio, necesse est vt aliquæ scientiæ ita inter se ordinentur, vt vna sit superior, altera inferior, saltem secundum aliquam partem modumque. Ratio est manifesta, quia scientiæ sequuntur res ipsas: atqui res sunt inter se subordinatæ: igitur & scientiæ.

SECVNDA positio, in aliqua scientia sunt tria, penes quæ subalternari possunt: principia, subiectum, & finis; iuxta quæ, triplex esse poterit subalternatio, ratione principiorum, subiectorum, & finium

TERTIA positio, subalternatio nihil aliud esse videtur, quam subordinatio vnius scientiæ respectu alterius secundum quam vna scientia pendet ab alia, vel essentialiter, vel accidentaliter, ratione eorum trium, quæ in vnaquaque scientia esse diximus.

QVARTA positio, duobus modis vna scientia ab alia pendere potest, intrinsece & extrinsece: explico. Tunc pendet & subordinatur extrinsece, quando vna ordi-

ordinatur ad aliam tanquam ad finem extrinsecum, vt ars quę facit frœna ad equestrem, & hæc ad militarem, quæ est finis extrinsecus equestris, sicuti hæc eius artis quæ frœna facit. Tunc subordinantur intrinsece, quando subiectum vnius est sub subiecto alterius; sicuti subiectum Perspectiuæ, linea spectabilis, sub subiecto Geometriæ, que considerat lineam seiunctam ab aspectu. Ad veram subalternationem requiritur subordinatio intrinseca: quæ rursus potest esse duplex. Prima quando scientiæ inferioris subiectum est species subiecti scientię superioris cui subijcitur: quomodo scientia de homine dicitur subalternata scientię de animali. Secunda ratione principiorum quamuis scientiæ sint distinctæ, quo modo vnius principia essentialiter pendeant ab alia: quo pacto Musica est subalternata Arithmeticæ. Et quidem hic secundus modus requiritur ad veram subalternationem: neque enim sciētia de specie, dicitur propriæ subalternata scientiæ de genere. Auer. 1. post. cō. 69.

QVINCTA positio. varijs modis subiectū vnius scientiæ potest esse distinctum a subiecto alterius. Primo secundum rem & rationem: cum res quæ tractatur & tractandi ratio sunt diuersa; vt contingit in Geometria & Arithmeca, quæ considerant res diuersas, illa quantitatem continuam, hæc discretam sub diuersa ratione specifica. Secundo, cum subiectum est diuersū ratione, sed re est idem, vt patet in physica, & Astrologia, quæ considerant quantitatem, vt Aristoteles secū do physico docet: sed sub ratione diuersa. Tertio, cum subiectum est diuersum, sed solum accidentaliter: vt cum subiectum vnius continetur sub subiecto alterius sola accidentali addita differentia. vt subiectum Perspectiuę linea spectabilis, sub Geometriæ subiecto, qđ est linea nō vt sub sensum cadit. Quarto, additur a quibusdam hic alius modus, quando duæ scientiæ conueniunt in obiecto materiali, & differunt in formali, vt cum vna considerat obiectum speculatiue, alia practi- Tex. 18.

cæ: vt accidit in Physica & Medicina, quæ practice cō siderat id quod Physica theorice tractat. Cæterū hic modus nō videtur diuersus a secundo. Ad veram sub alternationem requiritur aliqua diuersitas in obiecto, iuxta duos posteriores modos.

Auer.i. phys. t. 31. SEXTA positio, principia in aliquibus scientijs possunt esse communia multis modis. Primo ratione vsus, quando a multis scientijs vsurpantur, cuiusmodi sunt propositiones probabiles respectu omnium scientiarum. Secundo dicuntur communia extrinsece, quia omnes scientiæ vtuntur illis ad probandas aliquas conclusiones, vel principia essendi, cuiusmodi sunt nonnulla principia cognoscendi, vt hoc, De quolibet est verū affirmare, vel negare. Tertio, possunt esse communia quibusdam scientijs, & nullius propria; vt hæc principia Mathematica, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, Totum est sua parte maius. Quarto sunt alia, quæ primo conueniunt vni scientiæ a qua explicantur, vel demonstrantur, ab alia vero assumuntur tāquam probata; vt sunt multa principia in Physica quę sumuntur a Medicina. 1. Met. t.26.

Libr. 1. post. t. 27. SEPTIMA positio, prioris generis principia nō faciunt subalternationem. Alias enim sequeretur omnes scientias esse subalternatas Dialecticæ, quę tradit communia & probabilia principia, quibus omnes scientiæ vtuntur: quod falsum est, quidquid aliqui dicant: vt postea infra plane demonstrabitur.

OCTAVA positio, secundi ordinis principia, non faciunt veram subalternationem. Ratio, quia non sunt propria alicuius scientiæ, ita vt propter illa vna scientia possit sibi alteram subijcere.

ET hac eadem rōne probares, neque principia tertij ordinis, facere verā subalternationē. Vnde necessario colligitur, solū principia posterioris generis pertinere ad veram subalternationē, quæ fit respectu principiorum.

NONA positio, subalternatione ratione subiecti fit quan-

quando ſubiectum vnius ſcientiæ continetur ſub ſubiecto alterius: quod his modis contingere poteſt. Primo, cum vna agit de genere, alia de ſpecie; vt ſi vna agat de habitu, alia de virtute, vna de animali, alia de brutis. Secundo, cum vna agit de ſubiecto ſimpliciter ſumpto, alia de eodem contracto per conditionem accidentalem: ſiue illa conditio ſit uere accidens, ſiue aliquis modus, ſiue aliquid extrinſecum; ſicuti Medicina addit obiecto ſcientiæ de homine, hanc accidentalem conditionem, vt eſt ſanitatis capax; quo etiam modo ſe habet Perſpectiua ad Geometriam. Tertio, cũ vna agit de ſubiecto a priore, altera a poſteriore; ſicut Aſtrologia agit de ſtellis a priore, Nautica vero a poſteriore: quia illa cõſiderat cauſſas motuum ſtellarum, hæc vero effectus. Quarto ſubalternatio, vel fit ex parte totius obiecti, quo modo Muſica ſubalternatur Arithmeticę, vel ratione partis, qua ratione Phyſica ſubalternatur Perſpectiuæ, dum agit de Iride: & hæc ſubalternatio dicitur ſecundum quid: prima ſimpliciter. Illa vero ſubalternatio quæ ſumitur a ſubiecto materiali & formali, qualis eſt inter Medicinam & Naturalem ſcientiam, quam aliqui vt diſtinctam ponunt, non eſt a ſecundo modo diuerſa. 1. poſt. t. 30.

DECIMA poſitio, ſubalternatio ratione principiorum fit, cum vna probat alterius principia, vno ex his modis. Primo, cum principia probabiliter ex communibus confirmantur: quo modo Dialectica probat aliarum ſciẽtierum principia. Secundo, reducendo ad impoſſibile, vt facit Metaphyſica, ac etiã Arithmetica circa aliqua principia Geometriæ: vt cum docet diametrum non eſſe commenſurabile coſtæ; quia ſequeretur vnitatem eſſe commenſurabilem numero. Poſtremo oſtenſiue; & hoc, vel a priore, quo pacto Phyſica probat principia Medicinæ, vel a poſteriore, ſicuti eadem Phyſica probat principia Metaphyſicæ, vt ſubſtãtias ſeparatas dari.

VNDECIMA poſitio, ſubalternatio reſpectu finis

nis vnius scientiæ est sub fine alterius, quod his modis contingere potest. Primo, cum vna agit de fine modo speculatiuo, alia modo practico, & vna non habet imperium in aliam: quo modo Physica agit de hominis fine speculatiue, Moralis vero practice. Secundo, cum vtraque est practica, & vna imperat alteri, dirigendo eius actiones in talem finem: quo modo ars quæ

Eth. 1. c. 2. frena facit, est subiecta equestri, & hæc militari, & militaris politicæ, quæ militari imperat agenda in vtilitatem reip.

PATET ergo ex dictis tres esse subalternationis modos, ex parte principiorum, obiecti, & finis; sed tamen non sunt omnes proprij. Nam, quod attinet ad vltimũ, vt sit vera subalternatio, subalternãs debet practice dirigere subalternatam: ob quam caussam Moralis non dicetur subalternata Physicæ, ratione finis, cum hæc non imperet illi. In secundo modo, subalternans debet probare principia subalternatæ a priore & idcirco Physica uere subalternat sibi Medicinam. Quare, si principia solum probarentur per communia, vel demõstratione ducente ad impossibile, aut a posteriore, non esset vera subalternatio, alias Dialectica & Metaphysica omnes alias sibi subalternarẽt, & Physica, Metaphysicam, quod verum non est. In primo etiam modo, vt sit vera subalternatio, subiectum inferioris debet addere subiecto superioris conditionem accidentariam, vt diximus. Quoniam si adderetur essentialis cõditio, vel differentia, fieret species quædam illius obiecti, quę pertineret ad eandem scientiam genericam, vna enim fit scientia ex genere & specie: vel si diuersam scientiam constitueret, illa non esset subalternata: vt patet de Physica, quę agit de corpore naturali, & de illius speciebus, & ea de agit de speciebus entis, quod consideratur a Metaphysica, cui tamen non est subalternata, vt postea dicetur.

QVOD si dicas, scientiam de specie addere conditionem accidentariam scientiæ de genere, quia differen-

rentiæ accidunt generi, ac proinde ſcientiam de ſpecie eſſe vere ſubalternatam ſcientiæ genericæ, Reſpõdeo, ſcientiam de ſpecie dupliciter conſiderari poſſe. Primo, vt demonſtrat paſſiones de ſuo ſubiecto, & ſub hac ratione non ſubijcitur ſcientię genericæ; quia tũc non habet idem ſubiectum eſſentiale, loquẽdo de ſubiecto partiali, cum ſpecies eſſentialiter differat a genere: neque principia vnius pendent ab alia; cum principia quibus probantur paſſiones de ſpecie, ſint eius propria; vt ſunt definitio, & differentia, quę non probã tur in ſcientia de genere: & quia una nõ habet propter quid, altera Quia eſt, quod tamen ad veram ſubalternationem eſt neceſſarium, vt mox docebo. Secundo modo conſideratur ſcientia de ſpecie vt probat paſſiones generis de ſuo ſubiecto; ut ſcientia de homine, hominem eſſe ſentientem per ſe moueri, & ſub hac ratione non ſolet eſſe diſtincta a ſcientia generica: nam qui demonſtrat paſſiones ſuperiores de genere, demonſtrat etiam de inferioribus: quamuis interdum ad illam non deſcendat. Quando autem demonſtrantur paſſiones ſuperiores de inferiore natura, non fiunt prædicationes de primo ſubiecto, vt cum probatur hominem eſſe ſentientem, augeri, & iſocelem habere tres angulos æquales duobus rectis, nec demonſtrationes ſunt perfectiſſimæ, vt Ariſtoteles docet. Quod ſi detur ſcientia diſtincta quæ demonſtret paſſiones ſuperiores de inferiore, totalis ſcientia erit ſubalternata, quia eius ſubiectum continebitur ſub ſubiecto alterius, & accipiet principia a ſuperiore, habebitque ſolum, quia eſt, vt ſcientia de genere, ſiue ſuperior, propter quid. Patet ergo ex dictis, quid & quotuplex ſit, ſeu quot modis fiat ſubalternatio.

Libr. 1. poſt. t. 30.

Libr. 1. poſt t. 20.

De cõditionibus ad veram ſubalternationem requiſitis. Cap. X IX.



E re propoſita variæ extiterunt ſcriptorum ſententiæ, quarum tres ſunt magis celebres, quas prius breuiter recenſebo, poſtea quid in hac re ſit probabilius docebo: poſtremo nonnullas obiectiones afferam & refutabo.

PRIMA igitur eaque communis, & procul dubio Ariſtotelica ſententia, quam præter alios ſequitur & explicat Albertus, fuit hæc, quæ tres conditiones ad veram ſubalternationem requirit: quarum prima eſt, vt ſubiectum ſubalternatæ contineatur ſub ſubiecto ſubalternantis. Secunda, vt ſubiecto inferioris addatur ſolum aliqua accidentalis conditio. Tertia, vt quod ſuperadditur non ſit aliqua paſſio, nec aliquid quod fluat ab eſſentia rei.

SECVNDA ſententia Doctorum Louanienſium, qui ad tres allatas conditiones addunt quartam, vt ſubalternata ſolũ habet, Quia eſt, ſubalternans vero, Propter quid.

TERTIA ſententia Domini Caietani, qui vltra iam dictas, addit quinctam conditionem: quæ eſt vt conditio addita ſubiecto ſubalternantis conueniat illi in primo modo dicendi per ſe, ita ut definiatur per illã: nã in primo modo dicendi per ſe, vt ex Ariſtotele patet, ponuntur illa quæ conueniunt ad definitionem rei conſtituendam. Atque hæc de primo: de ſecundo, ita ſtatuo.

1. Poſt. t.9.

PRIMA poſitio, Caietani ſentẽtia nullo modo admittẽda eſt. Qm̃ hic auctor admittendo vna cũ alijs cõditionẽ accidentariã, ſecũ pugnat: nã illa quincta cõditio repugnat tertiæ conditioni in prima opinione poſitæ, qua dicitur, cõditionem non debere eſſe aliquid quod ad eſſentiam pertineat, vel ab ea fluat: vel ſecũdæ, quæ requirit conditionem accidentalem: & cum ipſe has cõ-

ditiones

ditiones admittat, male addit quinctam quod debeat conuenire in primo modo dicendi per se. Atqui idem auctor alibi dixit, ad subalternationem hoc vnum tantum requiri, vt quę traduntur in subalternata non habeant euidentiam in eadem scientia, sed in subalternante: unde infert, quod licet eędem res tractentur in eadem scientia; adhuc tamen esset vera subalternatio, si adsit illa vna assignata conditio: ob quam caussam existimauit Theologiam Christianam, quæ in nobis est obscura, esse subalternatam Theologiæ beatorũ, quæ habet euidentiam, sicuti doctrina discipuli magistro credentis, subalternatur doctrinæ magistri; quam sententiam nos alibi cõfutauimus. Atque etiam in hoc sibi contradicit, cum in commentarijs in libros posteriores, quinque allatas conditiones admittat. Libr. 3. Introd. i Theol.

SECVNDO positio, ad veram subalternationem requiritur vt principia subalternatæ probentur a subalternante. Hanc conditionem tradidit Aristoteles cum dicit Harmonicæ principia probari ab Arithmetica. Idem confirmari potest inductione in omnibus subalternatis; ut in Perspectiua quæ accipit principia Geometria. Exempli gratia, probat Perspectiuus res a longe spectatas videri minores, quam si essent vicinæ: quia triangulus qui habet latera longiora efficit duos angulos ad basim maiores, & illum qui est in puncto minorem: hoc verum esse probat Geometra. Rursus idem confirmatur ratione, quia si principia inferioris non penderent a superiore, illæ scientiæ essent omnino diuersæ, & consequenter vna nõ subijceret alteri. 1. post. t. 23.

TERTIA positio, ad veram subalternationem subiectum inferioris contineri debet sub subiecto superioris. Primo, hoc insinuauit Aristoteles, cũ dixit, superiorem habere Propter quid, & inferiorem Quia, at ex eorum, Propter quid, est idem re cum quidditate rei: ergo non potest sciri perfecta rei quidditas subiecti subalternatæ sine subalternãte; ergo subiectum vnius continebitur sub subiecto alterius, & pendebit ab illo, tum

in esse, tum in cognitione. Secundo, idem probares inductione in omnibus subalternatis. In Perspectiua subiectum est linea spectabilis; linea autem est subiectum Geometriæ, a qua linea quæ cadit sub aspectum pēdet in esse, & in cognitione. Idem diceres de subiecto Medicinæ respectu Physicæ, ac etiā de alijs. Tertio, ideo datur transitus ab vna scientia ad aliam, vt quæ sunt ignota in scientia inferiore, cognoscantur in superiore: igitur obiectum vnius in esse & cognitione pendebit a subiecto alterius. Quarto, ex Aristotele non licet transire ab vno genere ad aliud genus: at in subalternatim positis hoc licet: igitur non habebunt obiecta ita distincta, vt vnum non contineatur sub alio: sed vnum ab alio pendebit in esse & in cognitione. Denique, si hoc non esset, principia subalternatæ, non possent probari a subalternante: quia, vel non probarentur ex proprijs, vel transieretur a genere in genus: at vtrunque repugnat scientiæ, igitur.

Libro 1. post. t. 20.

QVARTA positio, subiectum inferioris debet esse aliquo modo idem, & aliquo modo diuersum ab subiecto superioris, ac si diceres, nec omnino idem, nec omnino diuersum: ita vt differat solum quadam accidētali conditione: Hinc fit vt istæ duæ scientiæ eodem vocari soleant nomine, vt patet de Astrologia, quæ est Mathematica, & de eadem, vt est Nautica: & de Arithmetica, respectu musicæ speculatiuæ, & practicæ. Ratio allatæ positionis hæc est quia, si obiecta essent omnino eadem, non essent diuersæ scientiæ; si vero omnino diuersa, inter eas non esset vera subalternatio. Quare debent esse idem aliquo modo, alio vero modo diuersa. Vnde intelligeres quod Aristoteles ait, subiectum subalternatæ contineri sub subiecto subalternantis, hoc nimirum pacto, vt non contineatur sub eadem omnino formali ratione; quia non constituerentur diuersæ scientiæ: neque quod contineatur quoad materiale tantum, quia hac ratione omnes scientiæ subalternarentur Metaphysicæ, quæ considerat ens, vt ens est: Neque vt contineatur

Libr. 3. post. t. 30.

tur

tur ſub ſubiecto alterius tanquam ſub regula dirigente eam ſcientiam, quę verſatur circa illud ſubiectum: quia hoc dato, omnes ſcientiæ ſubalternarentur Logicæ Debet ergo ſubiectum inferioris contineri ſub ſubiecto ſuperioris, quoad materiale & formale: in quibuſdam eſſentialiter, in alijs uero accidentaliter; hoc eſt, quædam ſcientiæ pendent a ſubiecto alterius materialiter & formaliter, & ſolum addunt conditionem accidentalem: quædam addūt etiam aliquam conditioné eſſentialem, ut ſtatim explicabitur.

QVINCTA poſitio, ſubalternata ſępe addit ſubiecto ſubalternantis tantum conditionem accidentalem, interdum vero eſſentialem. Primum, concedunt omnes, & colligitur ex Ariſtotele dicente, ſubalternatæ ſubiectum eſſe aliquo modo diuerſum a ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis: quibus verbis deſignatur accidentalis differentia: igitur. Idem confirmares inductione, in Perſpectiua, & Geometria; in Muſica, & Arithmetica, 'tidemq; in omni alia ſubalternata & ſubalternante. Verum talis conditio facit interdum differentiam eſſentialem, vt ſi faciat ſcientiam practicam, & ſubalternans ſit ſpeculatiua: cum iſtæ differentiæ, vt ſupra docuimus, conſtituant ſcientias ſpecie diuerſas. Vnde patet alterum, quod in allata poſitione diximus. Cæterum, iſta differentia non eſt eſſentialis reſpectu ſubiecti, ſed reſpectu finis.

SED obijceres, ſi illa conditio facit differentiam eſſentialem, ergo ſubalternata differt ſpecie a ſubalternante; & ita non poterit dari tranſitus ab vna ad aliam; quia iretur ab vno genere aliud: Reſpondeo, primo concedédo differre eſſentialiter, vt differunt duæ ſpecies partiales inter quas poteſt dari tranſitus; vt patet in ſcientia de anima, & de octo libris phyſicis, quæ duę ſcientiæ ſunt partiales, & eſſentialiter differunt; inter quas tamen poteſt dari tranſitus; quia vna eſſentialiter pendet ab alia. Deinde, dicerem differentiam ſuperadditam, non facere diſtinctionem eſſentialem, ratione

ſubie-

subiecti, sed ratione finis, vt diximus: quia illa non est ratio formalis, sed tantum conditio sine qua non. Inter eas vero scientias quæ non differunt essentialiter potest dari transitus, cum non sint totaliter distinctæ.

QVOD si dicas, ergo sequeretur subalternatam habere subiectum aggregatum per accidens: quia considerat idem subiectum cum subalternante, supperaddita accidentali conditione, quæ facit vnum per accidés, sicuti albedo addita homini, Respondeo, subalternatam non considerare totum illud aggregatum, ita vt subiectum se habeat vt materia, & conditio vt forma; sed per se considerat tantum subiectum: ratio autem superaddita, est solum conditio sine qua non: sicuti, Physica considerat corpus naturale abstractum a materia signata, non quod hæc sit eius ratio formalis, sed est conditio sine qua non. Verum in scientijs subalternatis multa considerantur circa conditionem superadditam: non tamen ita considerantur, ac si illa esset ratio formalis, sed tantum vt est conditio sine qua non. Vnde Perspectiuus multa considerat de linea, sed cum hac conditione, vt sub aspectum cadit. Quod si obijceres, Medicina quæ est subalterata Physicæ, non habet pro subiecto corpus humanum simpliciter, sed vt sanabile: ergo ratio formalis erit sanatio, quæ est accidens, & ita una cum corpore faciet quid per accidens. Respõdeo, particula illa Vt, reduplicata, potest connotare rationé formalem, & conditionem sine qua non: si primum, nego subiectum medicinæ esse corpus vt sanari potest: si secundum, concedo: sed argumentum nihil concludit, vt patet ex dictis. verum sæpe solemus cõsiderare sciẽtiam subalternatam, ut distinguitur a subalternante tã tum ratione conditionis superadditæ; & tunc simpliciter obiectum subaltérnatæ dicit totum illud aggregatum ex obiecto & conditione: sev tunc non consideratur subalternata secundum suam naturam, sed tantum ut distinguitur ab alia. Et ob hãc caussam sumere solemus scientiam subalternatam principalius ratione cõ ditio-

ditionis,quam ratione ſubiecti, vnde etiam ſubalternata vocatur nomine ſubalternantis; vt patet in ſcientijs ſubalternatis mathematicæ: omnes enim ſcientiæ mediæ magis dicuntur Mathematicæ,quam Phy Lib. 2.
ſicæ:quia ſunt Mathematicæ ratione ſubiecti,Phyſicæ Phyſi. t.
vero ratione cõſideraratıonis. Cum ergo ſubiectũ ſit 20.
quid magis eſſentiale,quam illa conditio, ideo magis ſumunt nomen ab obiecto,quam a conditione.

Quibus modis ſubalternans,& ſubalternata differant. Cap. XX.



ON me fugit,multas ac varias differentias inter has duas ſcientias a quibuſdã ſcriptoribus aſſignari:ſed ne in re minoris momenti plus iuſto immorer, ſolum quaſdam inſigniores quibuſdam poſitionibus complectar.

PRIMA poſitio, ſcientia ſubalternans eſt certior ſubalternata omni genere certitudinis, ac etiam prior natura,& ſecundum nos.Primo,quia ſubalternata pendet intrinſece ratione obiecti & principiorum a ſubalternante, & ineſſe,& in cognitione;ergo hæc erit certior illa. Secundo idem confirmares ex illa maxima, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed Lib. 1.
ſubalternata eſt certa propter ſubalternantem,igitur. poſt.c.2.

SECVNDA poſitio, ſubalternans eſt nobilior ſubalternata ratione medij. Quoniam illa habet Propter quid,hæc vero,Quia: at illa ſciẽtia quæ habet propter Lib. 1.
quid eſt nobilior,cum habeat cauſſam:igitur. Ideo di- poſt. te.
xi, ratione medij, quia ratione obiecti, ſubalternata 30.
poteſt eſſe nobilio;vt patet in Aſtrologia, & Geometria.Nam corpus cœleſte,quod conſideratur ab Aſtrologo, eſt nobilius quantitate,ſeu corpore,quod conſideratur a Geometria. Verum,etiam ratione ſubiecti ſubalternãs ſemper fere eſt nobilior;vt accidit, ſi ſubalternans ſit ſpeculatiua,& ſubalternata practica.

TERTIA positio, subalternãs differt a subalternata; quod illa sit perfecta, hæc vero imperfecta scientia. Quoniam illa est independens, & ratione obiecti, & principiorum: at subalternata in vtroque a subalternãte pendet: igitur. Quo fit, vt subalternata non possit resoluere suas conclusiones vsque ad prima principia, nisi coniungatur cum subalternante; quæ resolutio, ut ex Aristotele discimus, est necessaria ad habendam per-
Lib. I. fectam scientiam. Rursus, subalternata non habet pro-
Poli. c. I. positiones per se notas: vnde neque demonstrationes
I. Post. simpliciter perfectas; cum demonstratio constare de-
tex. 5. beat ex per se notis, vt Aristoteles docuit. Denique, subalternata non demonstrat proprietates de subiecto primo & adęquato, vt patet de Astrologia quæ demonstrat aliquid de circulis cœlestibus, quę conueniũt circulo vniuerse considerato: & quæ demonstrat, demonstrat per ea quæ supponuntur, & non sciuntur in ipsa: igitur.

QVARTA positio, subalternans semper est speculatiua, subalternata vero sæpe practica. Quod illa sit semper speculatiua probari potest inductione, de Physica, Arithmetica, Geometria, & de alijs. Simili ratione probares subalternatas esse vt plurimum practicas; vt patet de Medicina, de Nautica, & de alijs. Potest tamen subalternata interdum esse speculatiua vt patet de Astrologia, quæ est subiecta Geometrię.

QVINCTA positio, istæ scientiæ differunt, quod superior habeat Propter q d, inferior Quia Ita expres-
I. Tex. se in primo posterioris Analysis docuit Aristoteles,
30. qui inter alias hanc assignauit differentiam.

SED obijceres, etiam subalternata reddit caussam eius quod docet; vt cum Perspectiua assignat rationẽ cur res a lõge inspectæ videantur minores; quia lineæ longiores faciunt angulum aspectus minorem: igitur allata differentia non est vera. Rursus, scientia superior non descendit ad particulares conclusiones scientiæ inferioris; vt Geometria ad conclusiones Perspectiuæ: igi-

igitur non poteſt probare propter quid illarum. Reſpondent aliqui, dictam proprietatem conuenire ſcientijs ſubalternatis practicis, non autem ſpeculatiuis. Explico. Aſtrologia demonſtrat in ortu canis fieri tempeſtates; Nautica illi ſubalternata ſupponit hoc tanquam certum, & ſolum animaduertit ortum canis. Atqui hęc ſolutio non videtur conſentanea doctrinæ Ariſtotelis, qui cum tradidiſſet iſtam differentiam, affert exemplũ ſubalternatæ quæ eſt ſpeculatiua, qualis eſt Muſica ſpeculatiua reſpectu Arithmeticæ. Reſpondendum itaq; eſt, dictam proprietatem hoc modo intelligendam eſſe, Scientiam ſubalternatam non poſſe reſoluere ſuas concluſiones ad ſua prima principia, quod eſt habère, propter quid; vt patet in allato exemplo de Perſpectiua, quæ licet reddat cauſſam cur res a longe ſpectatæ videant̃ minores, quia lineæ lõgiores efficiunt angulũ aſpectus minorem, non tñ reddit cauſſam cur angulus efficiatur minor, quam aſſignat Geometria, & hoc proprie eſt habere, Propter quid, vt Ariſtoteles docet. Quod ſi interdum ſubalternata habet eadem prima principia cum ſubalternante, non propterca dicitur habere Propter quid: propterea quod non demonſtrat propriatates de ſubiecto primo, per illa principia, id quod fit in ſubalternante. Neque ſecunda obiectio cõcludit, quoniam ſcientia ſubalternans non habet propter quid reſpectu ſcientiæ ſubalternatæ, quaſi ipſa deſcendat ad eius concluſiones, (hoc enim fieri non poteſt) ſed quia oſtendit communia principia ex quibus pendent concluſiones ſubalternatæ, in quæ reſolui debent.

Loc. cit.

1. Poſt. t. 29.

RVRSVS obijceres, ſubalternata differt eſſentialiter ſubalternante; ergo male dixit Ariſtoteles ſubalternatæ ſcientiæ ſubiectum eſſe alterum a ſubiecto ſubalternantis: nam, Alterum, vt ex Porphyrio patet, deſignat differentiam accidentalem. Reſpondeo, ſubalternatæ ſubiectum non differre eſſentialiter a ſubiecto ſubalternantis, ſi ſumatur ſecundum ſe, quamuis diffe-

Cap. de differ.

rat respectu scientiæ, vt supra docuimus: si subiecto subalternatæ addatur differentia quæ est essentialis respectu scientiæ, quia facit illam practicam: propterea subiectum secundum se in subalternatis, quæ sunt practicę, potest dici alterum, & aliud: aliud respectu scientiæ, alterum respectu obiecti simpliciter, & secundum se considerati. Quando vero scientia subalternata est speculatiua, subiectum, etiam respectu scientiæ, dicendum est simpliciter alterum, cum solum contrahatur accidentaliter.

RVRSVS contra dicta obijceres, Astrologia refertur intrinsece ad Nauticam & Agriculturã: nõ erit igitur speculatiua, vt nos diximus. Respondeo, Astrologiã primo & per se esse sui gratia, secundario vero & per accidens ad dictas artes referrri.

DENIQVE obijceres, sæpe una scientia subalternatur alteri, & alteram sibi subalternat: ergo subalternans poterit esse practica, & tamen aliter docuimus. Respondeo, posse quidem fieri, vt subalternata aliam habeat subiectam: sed tamen adhuc erit speculatiua; vt patet in Musica speculatiua, quæ sibi subalternat Musicam practicam & in Perspectiua, quæ sibi subijcit artes mechanicas, vel etiam liberales.

An scientia subalternata cognoscat sua principia. *Cap. XXI.*



CVM non defuerint, qui existimarunt, non esse necesse scientiam subalternantem debere cognoscere sua principia; propterea huius difficultatis tractandæ nobis occasionem præbent: quorũ opinio his nititur argumentis.

PRIMO, si principia a subalternata scientia cognosci deberent, sequeretur non posse acquiri sine subalternante: at hoc est falsum, cum Perspectiua disci possit, ignorata Geometria: igitur non erit id necesse.

SECVN-

SECUNDO, Astrologia habet principia quæ non sciuntur, sed creduntur, quia pendent ab experientia, quam vnus homo habere non potest, sed opus est, vt per multos habeatur, & confirmetur: igitur eorum cognitio pendet a fide humana. Exempli gratia, demõstrant Astrologi primum mobile moueri spatio triginta sex millium annorum, quia mouetur per vnum gradum spatio centum annorum, a quo principio multæ eorum pendent conclusiones; quod principium creditur, cum ab vno solo Astrologo obseruari nõ potuerit.

PRIMA in hac re sententia fuit quorundam Thomistarum dicentium plurima principia subalternatæ non esse immediata & per se nota, vt in medicina corpus humanum constare ex quattuor, elementis, in eo esse quattuor humores: contraria contrarijs curari, & id genus alia, quæ non sunt per se nota in medicina, sed probantur in Physica. Dicũt ergo, & speciatim Capreolus, scientiam subalternatam, non probare sua principia, neque illa scire, sed solum credere: probantur tamen in superiore. Vnde inferunt, Theologiam Christianam esse vere subalternatam Theologiæ Beatorũ: quamuis eius principia, nimirum articuli fidei, ab ipsa credantur, quæ a Beatis sciuntur. Vnde citatus auctor ait, conclusionem ductam ex principijs fidei posse dupliciter considerari: primo, vt colligitur ex principijs ineuidentibus, & sub hac ratione non est scita, secundo vt continuatur cum scientia superiore, quæ illa principia euidenter cognoscit, & sub hac ratione est scientia. Capr. q. 1. prol.

SECUNDA sententia Gregorij Ariminensis in prologo sententiarum, Aureoli quem citat Capreolus, & aliorum, qui dicunt scientiam subalternatam non esse veram scientiã, ni sciat principia, sed erit, vel fides, vel opinio. De hac difficultate nos ita statuimus. Quæst. 1. ar. 4.

PRIMA positio, scientia subalternata non est vera scientia si ignoret sua principia. Primo, ex Aristotele, oportet scientem impermutabilem esse, hoc est ita certum, vt a sua scientia dimoueri non valeat: at si prin- 1. Post. c. 2.

cipia non sint nota,non erit impermutabilis: quia fides & opinio qua sciuntur mutari possunt:igitur. Secundo, sciens non potest pro sua voluntate mutare sententiã; quia ratio per quam scit conuincit intellectum : at si principia tantum crederentur, ad libitum mutare liceret igitur. Tertio,pueri cum primum accedunt ad scientias & prima principia credunt, quia Magister ita dicit,non dicuntur scire: ergo qui habet subalternatam & principia credit non dicetur sciens, nec ipsa subalternata scientia Quarto,ex Aristotele,conclusio est minus cognita quam principia: ergo,si principia subalternatæ non sunt scita,neque ipsæ conclusiones scitæ erũt Respondent aduersarij,istas conclusiones secundum se esse minus cognitas,quã sint principia, & sic non sciũtur:sed si considerentur,vt continuantur cum subalternante, sub hac ratione sciuntur. Sed contra; quia principia ista quacunque ratione sumantur,re vera,nesciũtur a subalternante:igitur & conclusiones, quę ex illis colliguntur. Confirmatur,principia, ex Aristotele debent cognosci vel per demonstrationem,vel per aliam notitiam quæ melior sit quam scientia, quæ habetur per demonstrationem : at ista per vos nullo modo cognoscuntur:igitur. Quincto,omnis scientia debet habere principia per se nota, vel quæ pendeant ex notis quæ per se fidem accipiant: sed principia in re proposita solum creduntur;igitur. Nec valet si dicas, debere esse cognita ex per se notis non in subalternata, uel rõne eius qui scientiam habet, sed in subalternãte: qa ideo debent esse per se nota,vt gignant perfectam notitiam conclusionis,quę scitur a subalternata : ergo ab ea cognoscenda erunt. Confirmatur, principia debent esse cognita, vt principia sunt, & vt ex illis colligitur conclusio, quæ probatur in tali scientia ab eo qui eam habet : ergo in hac scientia, & ratione huius. Sexto, quia pari ratione scientia subalternans disci posset sine cognitione principiorum, si supponamus ea esse scita ab alia. Nec valet si dicas, principia subalternantis esse

1. post. c. 3.

Lib. 1. post. c. 2

no-

nota ex ipsa terminorum cognitioue, ac proinde nemini posse esse ignota; quia si obscure proponantur, ita vt non possint cognosci ex cognitione terminorum, tunc conclusio subalternantis, diceretur scientia subalternata scientiæ principiorum, sicuti scientia discipuli scientiæ præceptoris; quod est contra Aristotelē, qui vult, vt ea quæ demonstrantur, demonstrentur ex principijs scitis ita vt cognoscatur, rem aliter se habere non posse. Septimo, fides non potest generare scientiam: sed principia non scita vel fide, vel opinione tenentur; igitur. Denique, conclusiones cognitæ sine notitia principiorū non sciunt nisi ex suppositione, hoc est, si vera sint; at talis cognitio ex Aristot. non est scientia, igitur.

SECVNDA positio, si subalternata solum credat sua principia, non est scientia, sed fides. Hanc positionem quæ ex dictis colligitur, facile concederet Caietanus, qui aliquando dixit, scientiam subalternatam quādo solum credit principia, non esse in statu scientiæ: quamuis hac in parte secum pugnet. Vnde infert, Theologiam Christianā secundum se consideratam esse sciētiam, non autē vt est in nobis; quod nihil aliud est, quā in nobis esse fidem: hoc enim pacto soluit argumentū Scoti a se propositum. Quo loco notandum est principia subalternata duobus modis cognosci posse, vel a posteriori, vt vulnus rotūdum esse difficilius curatu, per experientiam: vel a priori per caussam, & hac ratione scientia subalternans dicitur esse habitus principiorum respectu subalternatæ. Quod autem notitia dicta ex principijs creditis sit fides, probatur. Primo, quia habitus principiorum est fides, vt supponimus; at ex fide nō potest gigni nisi fides: igitur. Secundo habitus principiorum est certior habitu conclusionis: ergo conclusio collecta ex principijs creditis non potest esse certior, fide. Tertio, si scientia subalternans, vel alia quæ non sit subalternata, tantum crederet principia, non esset scientia, sed fides: atqui eadem est ratio scientię subalternatæ: igitur. Quarto, quia alias sequeretur

In d. Th 2.2.q.c. ar.5.

1. Post. t.6.

posse deduci conclusionem scientificam ex principijs ineuidentibus,& incertis, de quibus existimaretur aliter se habere posse: quod est contra Aristotelem. Quincto, fides, nihil aliud est, quam assensus per auctoritatẽ dicentis: at cognitio conclusionis in nostro proposito, est huiusmodi: esset igitur fides. Denique hæc positio confirmatur ex ijs quæ pro prima allata sunt.

Libr. 1. post. c. 2

TERTIA positio, continuatio illa scientiæ subalternatæ cum subalternantæ, vt volunt aduersarij, si principia subalternatæ tantum credantur, vt ipsi volunt, non facit vt inferior sit vera scientia. Per illam continuationem intelligunt sciẽtias illas esse ita ordinatas vt sint in diuersis intellectibus, vt ille qui habet scientiam subalternatam sciat alium habere subalternantẽ, & scire principia suæ scientiæ, id quod accidit in Theologia quã nos habemus, & in Theologia Beatorũ, quos scimus habere euidentiam eorum, quæ nos credimus, & quia ipsi nobis reuelarũt: ideoque supponimus principia illa esse vera. Dicimus itaque in allata positione per hanc continuationem subalternatam non fieri scientiam. Primo, si ista continuatio sufficeret, sequeretur posse amitti scientiam remanẽte obiecto, medio, demõstratione, & memoria illius, quod est cõtra Aristotelẽ: consequentia probatur, etenim posset remanere purus Perspectiuus, sublato omni Geometra, qui tamẽ nõ habebit scientiam conclusionum, quia nullus existit Geometra, cum quo Perspectiui scientia continuari queat: cum tamen omnia quæ diximus, maneant. Secundo, si sufficeret ista continuatio, sequeretur posse haberi sciẽtiam conclusionis, sine scientia præmissarum, quod est contra Aristotelem: sequela probatur, quia posset aliquis habere cognitionem conclusionis, & alius principiorum: & tunc esset continuatio assignata ab aduersarijs; quare esset etiam scientia. Tertio, ideo principia debent cognosci, vt is qui habet notitiam conclusionis possit ex illis conclusionem colligere, & ipse sciat illa esse principia: at per istam continuationem subalternata

2. post. t. 37.

1. post. t. 49.

nullo

nullo modo ſcit ſua principia: igitur ex ignoto colligit notum, & ex incerto, & ineuidenti concluſionem certã & euidentem, quod repugnat. Denique, iſta continuatio fit ratione obiecti: at ſi id ſufficeret, ſequeretur fidẽ alicuius idiotæ de immortalitate animorum, vt continuatur cum Phyſica, eſſe veram ſcientiam, immo cum hoc reperiatur in omni cognitione, omnis cognitio erit ſcientia, quod eſt abſurdum. Concludamus igitur, ad hoc vt ſubalternata ſit vere ſcientia, debere cognoſcere ſua principia, non per ſe, ſed p ſubalternantẽ, quæ prius diſcenda eſt: quare ſubalternata, ex ſe, erit ſolum fides, vel opinio. Argumenta in contrarium allata ſic ſolueres.

AD primum, ſcientia ſubalternata non eſt vere ſcientia, vt diximus, niſi coniungatur cum ſuperiore. Poterit igitur acquiri, ſed erit imperfecta ſcientia.

AD ſecundum, niſi Aſtrologia habeat cognitionem ſuorum principiorum non erit vere ſcientia: talis autẽ notitia haberi poteſt ab vno homine. Quamuis enim vnus homo non poſſit experiri motum primi mobilis fieri per vnum gradum ſpatio centum annorum: tamẽ experientia cognoſci poteſt, dimidiam eius partem fieri ſpatio quinquaginta annorum, & quartã partem fieri ſpatio vigintiquinque, & octauam duodecim cum dimidio. Idem dicendum eſt de alijs principijs aſtrologicis, quæ requirunt longiores experientias, & a paucis hominibus haberi poſſunt. Vnde aſtrologia iudiciaria facillime decipit eos, qui ſecundum eius principia procedunt.

Qua

Quæ scientiæ sint subalternãtes, et quæ subalternatæ. Cap. XXII.



E re proposita si quis fuse disserere vellet, multas disputationes faceret: at vero nobis, qui Institutioné cõficimus, satis erit, si paucis quæ dicenda occurrũt vnica disputatione perstringemus. In qua primo loco videbimus, an Metaphysica sibi alias oés scientias subalternet: Deinde idé quæremus de Logica: Postremo docebimus quænam scientiæ subalternentur Physicæ & Mathematicæ. Qđ ad primum attinet, nonnullis rationibus persuaderi potest Metaphysicam omnes alias subi subijcere scientias.

PRIMO, ex varijs Aristotelis locis in disputatione de distinctione scientiarum citatis, in quibus plane ait, Physicam & Mathematicam esse partes Primæ philosophię, hoc est Metaphysicæ, quæ prima philosophia nominatur.

SECVNDO Metaphysica probat principia Physicæ & Mathematicæ, & hæ obiecto illius addunt conditionem accidentalem: igitur hic erit vera subalternatio, cum adsint conditiones ad eam requisitæ.

TERTIO obiecta harum duarum scientiarum nõ possunt perfecte cognosci absque doctrina entis, quia ens est prædicatum illis intrinsecum: at ens est obiectũ Metaphysicæ; igitur sine hac illæ cognosci non possunt.

QVARTO, Physica, & Mathematica nequeunt resoluere suas conclusiones vsque ad prima principia, id quod fit in Metaphysica; ergo Metaphysica erit illarũ subalternans.

DENIQVE, Metaphysica agit de fine qui est superior illis scientijs, nimirum de veritate; igitur.

QVOD attinet ad opiniones in hac materia, quidã existi-

existimarunt, Metaphysicam sibi subalternare alias sciẽtias; ita sentire videtur Plato, septimo de rep. Simplicius, & Themistius libro primo physico, cap. secundo, & primo post. cap. septimo: Proclus libro primo in Euclidem cap. quarto; Diuus Thomas opusculo de natura generis, & quidam alij.

Iul. Sir. Libr. de ob. Met, sect. 3. a c. 14. ca. 14.

SECVNDA sententia Auenrois Paraphrasi in Metaphys. in initio: Aegidij in procem. Physicorũ. Antonij Andreæ initio Metaph. & est communis Scotorum, qui contra sentiunt. Nos ad hoc, & ad reliqua capi proposita, sequentibus positionibus respondemus.

D. Tho. opusc. 70

PRIMA positio, physica & Mathematica non sunt proprie subalternatæ Metaphysicæ. Primo, physica habet propria principia quæ nõ pendent at Metaphysica, igitur: consequentia est manifesta, quia subalternata debet accipere principia a subalternãte. Antecedens probatur, quia principia Physicæ sunt materia & forma, naturam esse principium motus, motum esse actum entis in potentia, & alia multa, quæ non pendent a Metaphysica: igitur. Secundo, physica ostendit propter quid suarum conclusionum, nec in suis, demonstrationibus pẽdet a Metaphysica, quod ad veram subalternationem requiritur, igitur. Tertio, physica assignat caussas immediatas, quibus non sunt aliæ priores, ergo habet propter quid; ac proinde non eget subalternante. Exempli gratia, assignat caussam cur grauia deorsum ferantur, & leuia sursum, & sic de alijs. Quarto, subalternata nõ probat passiones de primo subiecto, id quod facit physica quæ probat passiones proprias sui subiecti: igitur. quas rationes accommodares etiam Mathematicæ. Quincto, si dictæ scientiæ essent Metaphysicæ subiectæ, ab ea penderent, & nihil sine ea probarent, quod est falsum. Postremo, sequeretur Metaphysicam priore loco esse discendam, quod tamen est falsum, vt supra docuimus: igitur. In sũma Metaphysica non habet illas conditiones quas scientia subalternans requirit: igitur.

Libr. 2. phys. t. 4.
Lib. 3. t. 6.

SECVNDA positio, Logica non subalternat sibi

alias

alias scientias. Primo, quia Logicę non conueniunt cōditiones subalternantis; vt manifeste patet, si quis singulas velit percurrere, igitur. Secundo, subalternans respectu subalternatarum debet esse speculatiua: at Logica non est huiusmodi, cum non speculetur id quod in alijs tractatur; igitur. Denique, subalternans probat principia aliarum, & reddit propter quid, quod non facit Logica; igitur.

Lib. 1. post. t. 30.

TERTIA positio, Logica non est proprie subalternata vlli scientiæ. Primo, quia Logicæ principia non probantur ab alijs scientijs, nec etiam a Metaphysica; igitur. Secundo, quia deberet disci post alias scientias, quod est falsum. Denique, non considerat subiectum alicuius scientiæ contractum per aliquam accidentariā conditionem, igitur.

QVARTA positio, scientiæ practicæ in omnibus fere subalternantur scientijs speculatiuis. Moralis, quæ agit de virtutibus & vitijs, atque de affectibus est subiecta scientiæ de anima, quæ agit de illius potentijs, & passionibus. Medicina Physicę, & sic de alijs. Dixi fere, in omnibus, quia in scientijs practicis possunt dari aliqua principia, quæ non pendent a scientia speculatiua; vt in morali, bonum esse amandum; simile appetit simile; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quæ principia non pendent ab vlla scientia speculatiua, quamuis aliqua ratione ad speculatiuas reuocari possint, vt illud, simile appetit simile, ad hoc, omnia appetunt bonum, quod potest esse physicum principium, & illud, quod tibi non vis, ad hoc, Omnia proportionem seruare debent, quod est principium physicum. verum dici posset, huiusmodi principia non pendere ab alijs.

QVINCTA positio, scientiæ Mathematicæ quod attinet subalternationem, hoc modo se habent. Geometria subalternat sibi has scientias speculatiuas, Perspe-
Simp. 2. ctiuam ratione lineæ, Astronomiam ratione apparen-
Phy. t. tiarum syderum & aspectus illorum, Astrologiam vero
18. respectu astrorum. Hæ duæ scientiæ differunt ex par-

te

te finis,quia Astronomia cõsiderat ea quæ ex motibus cœlorum proficiscuntur. Astrologia vero solum motus ipsos syderum. Arithmeticæ subalternatur Musica,quæ est de numero sonoro. Scientiæ subalternatæ dicuntur scientiæ mediæ ex eo quod habent obiectum mathematicum applicatum ad rem physicam, simpliciter tamen sunt mathematicæ quia subiectum est magis essentiale,quam accidentalis conditio,vt supra diximus. Plura de hac re vide apud Zimaram. Geometria etiam ratione Stereometriæ, quæ est eius pars,& considerat corpora solida, subalternat sibi artem metiendi, ædificandi,& alias similes, quæ versantur circa corpora solida. Tribus superioribus subalternatis speculatiuis, subalternantur aliæ. Astrologiæ Nautica,& Agricultura,atque alijs aliæ artes practicæ. Musicæ speculatiuæ, Musica practica,& sic de alijs. Patet igitur quæ scientię Mathematicæ sint subalterãntes,& quæ subalternatæ.

2. Phys. 2. Cont. 4. suqer 4. Met. q. 2. in lib. de cœl.

Sexta positio, Physicæ subalternatur Medicina. Ita Aristoteles libro de sanitate, diuus Thomas opuscul o septuagesimo,quæst.quincta, articulo primo, & alij. Quoniam quę tractantur in Medicina pendent a Physica, cum eius subiectum sit corpus humanum quod consideratur a Physica,& a Medicina: sed a Medicina, consideratur cum conditione accidentali, vt sanabile. Finis Medici est sanitas,quæ consistit in quattuor humoribus,quorum consideratio spectat ad Physicum: Medicamenta etiam, quæ tractantur a Medico, pertinent ad eundem, quatenus constant proportione quattuor qualitatum.

Auer.in collig.1. In resp. ad 5. Lib. de resp.c.2

Vbi nota,Medicinam duos habere habitus diuersos: vnum,quo cognoscuntur præcepta & res,quæ eius præceptis subijciuntur, qui vocatur theoricus: alter quo potest bene & prompte agere & mederi, seruatis circunstantijs ad bene medendum conferentibus, & hic est practicus. Hos duos habitus inter se distingui, patet experientia: multi, enim reperiuntur qui artem medicam in scholis profitentur; & tamen nesciunt

adhibere

adhibere medicamenta, quia hoc secundo habitu carent. Contra vero, illi qui habent habitum practicum, quos Medicos empiricos vocant, sine vlla cognitione principiorum vniuersalium, quæ traduntur in arte Medica apte medicamenta ad sanandum adhibent. Primus ergo habitus versatur circa præcepta vniuersalia, secundus vero circa particularia: & quidem ad perfectam Medicinæ artem vterque acquiritur habitus, alter enim sine altero, est imperfectus. In primo habitu rursus duos alios animaduertere licet (in duas enim partes distribuunt) quarum vna considerat morborũ: herbarum, & medicamentorũ naturas, & hęc pars est physica, quoniã versatur in cõsideratione quidditatis rei naturalis: assumitur tamen a Medicina, quia est ei maxime necessaria, sine qua ars medica esset valde exigua & ignobilis. Altera versatur in præceptis, & hæc est proprie ars Medica, quæ subijcitur physicæ. Exempli gratia, quando Medicus animaduertit morbum ortum ducere a siccitate & calore, docet adhibendũ esse medicamentum, quod sit frigidum & humidum; quia contraria contrarijs curantur, illa medicamenta esse contraria non probat Medicus, sed Physicus; quia non possunt esse in eodem subiecto. Patet ergo Medicinam subalternari Physicæ. Nec propterea ex dictis inferre licet, duas esse Medicinas, quod duo ei assignentur habitus. sed est vna tantum, ob vno obiecto, idest a corpore sanabili per artem, & practica, a suo fine, & v D. Thomas ait: potius mechanica, quam liberalis.

Opusc. 70. q. 4. ar. 1. ad 4 RVRSVS physicæ subalternatur Agricultura, v patet ex diuo Thoma, loco supra citato; quãuis subijcitur etiam Astrologiæ ratione temporum. Item Physicæ subalternatur pictura, prout exprimere debet affectiones animi, & vt requirit varias colorum mistiones. Subalternatur etiam Perspectiuæ, ratione aspectuum.

AD extremum huius disputationis de subalternatione addiderim, scientias & facultates, quarum vn non subalternatur alteri, inter se iuuare. Primum, qui

omnes

omnes ſcientię vtuntur principijs dialecticis & probabilibus: cum in ſingulis ſint multa quæ ſola opinione tenentur. Deinde, omnes vtuntur Metaphyſica prout probant principia contra proteruos. Præterea, omnis ſcientia vti ſolet exemplis ab alijs petitis; ut facit Ariſtoteles, qui fere ſemper vtitur Mathematicis. Poſtea, ad vberiorem doctrinam ſolent interdum coniungi materiæ diuerſarum ſcientiarum; vt non vno in loco fecit Ariſtoteles: & Phyſica attingit ēt obiectū Metaphyſicæ, dum probat Deū & Intelligentias dari. Denique, Metaphyſica, Mathematica, & Phyſica conueniunt in tractatione de quantitate, quamuis non ſub eadem ratione de ea diſputent. Vnde fit, vt vna ſcientia ſine alia aut non plene, aut non facile acquiri poſſit; ſicuti una virtus ſine alia perfecte acquiri nequit: ſunt enim inter ſe neceſſario connexæ, ſi de perfectis loquamur. Sed iam ad argumenta in contrarium allata reſpōdeamus.

Lib. 2. pol. Lib. 8. phyſ. 3. de cœl. t. 1.

AD primum, illæ ſcientiæ vocantur partes vnius ſapientię ratione ſubiecti materialis, ut ſupra diximus.

AD ſecundum, negatur ſumptum: primo, quia Metaphyſica non probat principia aliarum ſcientiarum a priore oſtenſiue, ſed reducēdo ad impoſſibile; quod ſi interdum probat etiam oſtenſiue, ea probat, non vt sūt principia, ſed vt ſunt ſpecies ſui ſubiecti. Deinde, obiectum Metaphyſicæ non continet obiecta aliarum ſcientiarū, ita vt hæc addant ſolum cōditionem accidentariam, ſed addunt eſſentialem; non quidem obiecto Metaphyſicæ, ſed ſuis obiectis particularibus; nam quod additur, facit vnum ens per ſe, cum illis, ut eſſe naturale cum corpore, quod non reperitur in ſcientijs ſubalternatis.

AD tertium, obiecta aliarum ſcientiarum poſſunt quidditatiue cognoſci abſque Metaphyſica, quæ ſolum dicitur conſiderare omnium rerum naturas in communi, vt entia ſunt, & eorundem communes paſſiones, nō in particulari, vt in quacunque particulari ſcientia cōſiderantur.

AD

Ad qvartvm, negatur alias ſcientias non poſſe reſoluere ſuas concluſiones in prima principia, & certiſſima, ac proinde in hoc non pendent a Metaphyſica.

Ad vltimvm, licet metaphyſica agat de fine omnium ſcientiarum; tamen agit ſpeculatiue, & non dirigit alias ad illum finem; id, quod eſt neceſſarium ad ſubalternationem ratione finis. Atque de ſcientię natura, proprietatibus, partibuſque hucuſque.

Dubitationes quædam circa ſcientias Mathematicas. Cap. XXIII.



Antequam vlterius in ſuſcepta materia progredior; ad maiorem intelligentiam eorum, quæ ſupra de Mathematicis ſcientijs loquendo diximus, quaſdam priuatas dubitationes circa eas hoc loco explicare placet: idque eã ob cauſſam, quod non ſint ita in communi notitia poſitæ, vt ea quæ ad alias ſcientias pertinent.

Prima igitur dubitatio, de qua ſupra nonnihil diximus hæc eſt, an Mathematica, in conſideratione quantitatis, quæ eſt eius ſubiecta materia, abſtrahat a ſubſtantia, ita ut conſideret nudam quantitatem ſine materia, de qua re ſunt duæ auctorum ſententiæ.

Prima Alberti in primo Phyſico, & Metaphyſi-
Tract.1. co: diui Thomæ in prima parte, in opuſculo 70. & in ſe-
cap.3.1. cundo Phyſico, particula decima octaua, Aegidij eodẽ
Met. te. lib. lectione tertia, dub. ſecundo, & alibi; Ferrarienſ. 2.
1.c.1.q. Phyſico. quæſtione ſecunda, Soncin. 6. Phyſ. q. vndeci-
85.at.1. ma, & aliorum Thomiſtarum: Item Scoti, ſexto Meta-
ad 2. phy. quæſtione prima, & ſequacium, Antonij Andreę.
Aquar. quæſt. 3. Item Ianduni. 2. Phyſ. quæſt. 5. Genuæ lect.
in addit. 15. qui dicunt, non conſiderare quantitatem ſine ſub-
ad Ferr. ſtantia, quia quantitas eſt quid eſſentialiter dependẽs
Auicen. a ſubſtantia, & per conſequens habet omnes proprietates pendentes a materia.

Se-

SECVNDA opinio Themist. libro 1. de anim. tex. 16. & tertio de ani. tex 50. & 2. Phys. tex. 18. & simplicij secundo Physico, ibidem, qui dicũt Mathematicam habere pro subiecto tres dimensiones, ac si essent per se solæ. Idem sentit Alexander libro primo Physico, tex. primo, vbi ait Geometriam non per se expectat, sed propter vtilitatem, quam affectantibus mechanicis: Auennes. Secundo Phys. com. 18. & tertio Metaphys. tex. tertio & alijs in locis. Item Burleus eodem tex. Paulus Venetus, Lincon. & Zimera in tabula, in verbo materia. Hi ergo omnes dicunt Mathematicam Theor. considerare quantitatem abstrahendo a substantia: & 81. videtur etiam Alberti, qui dicit, corpus mathematicũ esse trinam dimensionem; quæ sententia, vt etiam su- Tra. 1. li. pra docuimus, proculdubio ob has rationes retinen- 1. Phy. c. da est. 1. & 7.

PRIMO, quia Mathematicus non definit quanti Met. te. tem, nec demonstrat aliquid de illa per substantiam: 3. c. 2. & si per impossibile quantitas non esset accidens substantiæ, adhuc haberet partes, & conuenirent ei omnes definitiones & demonstrationes Mathematicæ: igitur abstrahit ab illa. Secundo, quia alias eius subiectũ non esset quantitas, sed substãtia: sicuti in Physica, quæ considerat quantitatem & alia accidentia, ut sunt proprietates substantiæ: at vero Mathematicæ sciẽtiæ nullam faciunt mentionem substantiæ, ut in Metaphysicis docet Aristoteles; ubi ait solam Astrologiam uersari Lib. 12. circa substantiam, reliquas uero Mathematicas, nullã t. 44. sũ. facere mentionem substantiæ: & alio loco, ait conside 2. c. 1. rare punctum, & numerum sine motu, hoc est sine ma 2. Phys. teria. Tertio, Mathematicę abstrahunt a bono, & ab en t. 19. te, ut Aristoteles docet: igitur etiam a substantia, im- Lib. 3. mo etiam ab essentia quantitis, sed eam solum consi- Met. t. 3 derant secundum extrinsecas proprietates, & relationes. sed de citato Aristotelis loco, infra planius dicetur. Quare Mathematica spectat quantitatem sine vllo ordine ad substantiam, & quidem non secundum

propriam essentiam, sed secundum quædam accidentia. Et ideo, licet posterius secundum suam naturam consideratum, non possit abstrahi a priore: tamen, si consideretur secundum aliqua accidentia, quæ ei conueniunt sine ordine ad prius, potest abstrahi ab illo; vt contingit in quantitate mathematica, quæ licet sit posterior substantia; tamen ab illa abstrahit: propter quã caussam in mathematicis non dantur, nec dari possunt, perfectæ demonstrationes. Vnde patet quid dicendum sit ad fundamentum contrariæ sententiæ.

NEQVE valet quod aliqui dicunt, substantiam esse conditionem subiecti Mathematicæ: quia, vel hęc conditio consideratur in scientia, & tunc substantia erit subiectum: vel non consideratur, & tunc Mathematica abstrahet a substantia, quia considerabit quantitatem sine vllo ordine ad eam. Quod si dicant, Mathematicam habere pro subiecto quantitatem, vt est in substantia, Mathematica non erit scientia totalis a Physiologia distincta, quod est contra Aristotelem.

SECVNDA dubitatio, qualisnam sit abstractio Mathematica, de qua toties facta est mentio? Quamuis quid ad hanc dubitationem respondendum sit, aliquo modo pateat ex dictis: tamen, hic planius eam explicabo. Dico igitur, scientias mathematicas præter duas abstractiones, quas habent communes cum alijs scientijs, habere aliã propriam. Omnes enim scientiæ habent vnam abstractionem vniuersalem, qua consideratur subiectum seiunctũ a singularibus, & alteram formalem, qua considerant suum subiectum secundum ea quæ ei conueniunt, in ordinem ad talem scientiam, abstrahendo ab omnibus alijs rebus: At vero mathematica præter has, habet aliam, quia non solum considerat quantitatem vniuerse abstrahendo ab illis, quæ ei non conueniunt in ordinem ad talem scientiam, sed etiam quia abstrahit a subiecto, & ab ordiné essentiali ad illud. quamuis enim quantitas sit accidés essentiale substantiæ, & consequenter habeat ordinem ad substantiam;

Lib. 11. met.

ſtantiam; tamen habet quaſdam proprietates, quæ ei conueniunt ſine ordine ad ſubſtantiam, quo modo conſideratur a Mathematica, & ita habet hanc aliam abſtractionem. Nec propterea in hac abſtractione eſt mẽdacium, vt Ariſtoteles docet; quia per eam ſolum concipimus vnum, non concipiendo aliud; non autem negamus vnum de alio: quo modo aſpectus percipit ſuũ obiectum in pomo, abſtrahendo a ſapore, in quo nulla eſt deceptio, licet color ſine ſapore percipiatur. Vnde patet cur mathematica dicatur abſtrahere a qualitatibus, & a materia ſenſibili, vt multis in locis docuit Ariſtoteles, & ex definitionibus mathematicis conſtat. Lib. 2. phyſ. 2. Phyſ. t. 18. 3. cœl. t. 6.

TERTIA dubitatio, quomodo mathematica dicatur abſtrahere a materia ſenſibili, non autem ab intelligibili, vt Ariſtoteles in metaphyſicis, & in ſecundo phyſico docet, & quęnam ſit iſta materia intelligibilis: ad quam dubitationem reſpondeo his dictis. 1. d. ani. t. 17. 6. Met. 12.

PRIMVM dictum, materia intelligibilis in mathematica, non ſunt principia a quibus fluunt res mathematicę, vt eſt punctum reſpectu lineæ. Primum, quia in 7. metaph Ariſt. indicat ſegmẽta circuli eſſe materiã circuli, & alio loco ait, in difinitione circuli eſſe materiam intelligibilem: at neutrum accommodari poteſt dictæ materię: igitur. Deinde, quia iſta materia eſt ficta, cum linea re vera non fiat ex punctis, vel fluxu puncti. Lib. 7. t. 35. & 8. t. 3. vi de Zim. Theor. 81. Tex. 35. Lib. 5. met. t. 15.

SECVNDVM dictum, iſta materia intelligibilis, non ſunt partes quantitatiuæ ipſius quantitatis, vt ſegmenta circuli reſpectu circuli. Quoniam Ariſtoteles, in hac definitione, circulus eſt figura plani, ait eſſe materiam intelligibilem: & tamen hæc definitio non datur per partes quantitatiuas circuli: igitur. Similiter punctum definitur a Mathematico, & non habet iſtas partes; igitur. Lib. 8. met. t. 15.

TERTIVM dictum, iſta materia, non eſt habere partes definitionis, ſiue genus & differentiam, quę ponuntur in definitionibus mathematicis, vt indicauit Quæſt. 5.

Iandunus, secundo physico. Quoniam, vt constat ex Aristotele, etiam in definitionibus mathematicis est aliquid, quod se habet vt materia, aliquid vt actus, vel forma. Ergo genus & differentia tantum, non possunt esse materia ista intelligibilis.

QVARTVM dictum, ista materia non est substan-
2. phys. tia, vt substat quantitati, ita vt substantia, vt substat qua
lect. 3. litatibus sensibilibus sit materia sensibilis, vt voluit D.
& opus. Thomas, Aegidius, Ferrariensis, Scotus, & Canonicus,
70.q.5. qui dicunt, substantiam cum sola quātitate abstractam
ar.3. ab accidentibus sensibilibus tantum intelligi posse, non
Tex.39 autem sentiri, & ideo esse materiam intelligibilem. Pri-
Tex.35 mum, quia septimo metaphysico dicitur, semicirculos
esse materiam circuli: at circuli non sunt substantia: igi
tur materia intelligibilis non erit substantia: & alio lo-
co dicitur, Materiam intelligibilem esse id, quod est in
sensibilibus, non tamen quatenus sensibilia sunt: item
alibi, in definitione circuli esse materiam intelligibilē,
Lib. 5. in qua tamen nulla est substantiam: denique alibi Ari-
Met. t. stoteles scriptum reliquit, solam Astrologiam mentio-
15. nem habere de substantia, alias vero mathematicas nō
Lib. 11. item. Deinde, idem patet ex definitionibus mathema-
Met. t. ticis, quæ dantur per materiam intelligibilem, & tamē
44. non includunt substantiam: ac proinde ex communi
Lib. 8. antiquorum sententia Mathematica abstrahit ab omni
Met. t. substantia. Præterea, substantia, vt substat quantitati,
15. est sensibilis; per hanc enim distinguūtur res naturales
quæ definiendæ sunt per materiam sensibilem, & hoc
est proprium naturæ sensibilis in communi: ergo. De-
Lib. 7. nique, Aristoteles ait, materiam intelligibilem esse in
Met. t. rebus sensibilibus, non tamen ut sensibiles sunt: illa au-
35. tem substantia non est in rebus sensibilibus, sed potius
res sensibiles in illa, nimirum accidentia sensibilia:
igitur.

QVINCTVM dictū, materia ista intelligibilis nihil aliud est, quam quantitas continua, vel discreta, siue linea, siue superficies, siue corpus, prout habet rati

nem materiæ: vel quia ibi ineſt aliquid tanquam forma, vel quia ex ea aliquid componitur, tanquam ex materia, ſicuti ſunt ſegmenta reſpectu circuli. Immo omne id quod in rebus ſenſibilibus habet rationem aliquam materiæ, vocari poteſt materia intelligibilis: quamuis hoc magis proprie tribuatur quantitati ſeparatę ab omni ſubſtantia, vt docet Zimara in Tabula, in verbo Materia, Alia intelligibilis: materiam vero ſenſibilem ſubſtantiam, vel materiam vt eſt principium motus vel qualitatum ſenſibilium, vt colligi poteſt ex decimo Metaphyſico, vbi entia mathematica dicuntur materia intelligibilis, quæ tamen nullam habent ſubſtantiam, ſed ſolum aliquam rationē materiæ, modo explicato: & quandocunque Ariſtoteles affert exempla materiæ intelligibilis, ſemper affert exempla quantitatis, & rerum mathematicarum. Tex.35 & 39.

SEXTVM dictum, Mathematica abſtrahit a materia ſenſibili, non autem ab intelligibili, eo modo, quo explicuimus. Quia non abſtrahit a quantitate, quæ habet rationem materiæ intelligibilis: quę & ſi ſit aliquo modo ſenſibilis: tamen a Mathematico non conſideratur vt talis; & ita abſtrahit a ſubſtantia ſenſibili, vt docet Ariſtoteles, cum ait definire ſine motu. Atque de hac dubitatione hucuſque. Lib.3.de cœl t.6. 1.de an. tex. 11.

QVARTA dubitatio, quomodo Mathematica abſtrahat a motu, id quod Ariſtoteles docet, dum ait, entia mathematica eſſe immobilia; quod varijs modis explicari poteſt. Primo, modo iam dicto, vt per motum intelligat materiam. Secundo, intelligendo per motū generationem & corruptionem, & alios; vt motus fit naturali virtute; quia certum eſt Mathematicam abſtrahere a motu locali, quatenus fit naturaliter ad certum aliquem locum; quoniam quantitas, vt conſideratur a Mathematica nullum habet huiuſmodi motum. Quod ſi motus ſumatur latius, quatenus exempli gratia augmentatio fit quacunque ratione, Mathematica non abſtrahit ab augmentatione: quia conſiderat quo- 2.phy.t. 18.& 19. Lib. 6. Met. t. 2. Lib. 3. de cœl. t.65. Leg. D. Thom. opuſ.70 q.5.art. 3.

modo quadratura, si addatur gnomon augeatur, & retineatur eadem figura. Similiter, si motus localis designet quamcunque operationem partium quatenus ex illa sequitur distantia, proportio, & velocitas, motus consideratur a Mathematico: quia sub hac ratione conuenire potest quantitati eo modo, quo a Mathematico consideratur: alij vero motus sunt a virtute intrinseca naturali, & ideo non considerantur a Mathematico.

Arist. in post. pd

QVINCTA dubitatio, an Mathematica abstrahat a bono, & consequēter a fine, vt libro tertio Metaphysico, particula tertia, asserit Aristoteles, vbi ait abstrahere a fine, & non considerare quid sit bonum, aut melius: ad quam dubitationem hunc in modum respō deo. Primo mathematicam non abstrahere ab ente & bono, ob hanc caussam, quod eius obiectum non sit ens & non habeat rationem boni & finis. Quia est de ente reali, & demonstrat passiones reales, quæ omnia habēt rationem entis boni & finis. Ideo decimo tertio Metaphysicæ, summa prima, capite tertio, Aristoteles ait, Falsum dicere eos, qui aiunt, mathematica, nihil habere de bono, & de pulchro; probatque, ea quæ docet mathematicus habere rationem boni & pulchri, etsi harū rerum mentionem non faciat: considerat enim in ordinem ad proportionem & alias passiones quæ omnia habent rationem boni. Quare mathematica sub hac ratione non abstrahit ab ente bono, & a fine. Secundo, dico facultates mathematicas non abstrahere a bono & a fine ob hanc caussam, quod ipsæ non sint entia, nec sint bonæ, nec aliquem habeant finem, aut ipsæ non sint fines alicuius, vt docet Zimara, in tabula, verbo Mathematice, quasi nullam de bono aut malo faciant mentionem. Tertio dico, mathematicam abstrahere ab ente bono & a fine ratione subiecti formaliter sumpti, vt docet diuus Thomas, Caietanus, Flandria, Iandunus, & alij: quamuis differant in modo explicandi: sed, varijs dicendi modis omissis, dicimus abstrahere ab ente bo-

1. p. q. 5. ar. 4. Caiet. ibi. Lib. 3. met. q. 1 art. 3. eod. q. 3.

no,

no,& a fine ratione obiecti formaliter sumpti, nō quia obiectum eo modo quo consideratur a mathematica simpliciter non possit existere in rerum natura, quia hac ratione etiam physica,& aliæ scientiæ abstraherēt ab ente bono,& a fine,quia omnes cōsiderāt vniuersalia obiecta, vt Physicus corpus naturale,quo modo nō possunt existere;sed quia eo modo mathematica considerat obiectum,quo nec in vniuersali, nec in particulari existere potest vi alicuius agentis naturalis. Quia cōsiderat quantitatem,non solum in vniuersali,sed etiam abstrahendo a substantia,& a materia sensibili, qua ratione nec in vniuersali,nec in particulari potest existere. Præterea mathematica considerat quantitatem secūdum quasdam relationes extrinsecas, quæ possunt illi conuenire, etiamsi non esset accidens,nec haberet naturam quantitatis, sed solum partes,& ideo abstrahit a ratione quantitatis & entis;& per consequens a ratione boni & finis,vt ait Zimara in tabula loco citato, ex Auenroe dicente,In formis mathematicis non esse bonitatem,nec nobilitatem: quia etiamsi ista in illis reperiantur;tamen non reperiuntur prout a Mathematica considerantur,sed vt sunt in re physica. Et quoniam in scientia illud maxime considerandum est,quod conuenit obiecto eo modo,quo obiectum consideratur a sciētia:ideo dicimus simpliciter mathematicam abstrahere ab ente bono,& a fine: quamuis sub alia consideratione possimus dicere non abstrahere, quia inseruit philosophiæ, vt docet Alexander, primo priorum in procœmio,& Proclus libro primo in Euclidem. Sed cur si mathematicæ scientiæ sunt vtiles,quidam sancti patres,eas vt inutiles reijciendas putarunt? Nam S. Hieronymus dixit,non esse pietatis scientias: Augustinus se retractauit, quod liberalibus disciplinis in quibus mathematicæ continentur, multum tribuisset. Ambrosius quoque in eas diuinorum eloquiorum auctoritate inuehitur. Adde etiam,quod Romani, vt ex Tullio discimus,minoris eas fecerunt,quam Græci fecerint. Qđ Lib. de ord. Lib. 6. in Hexam. Tus. 1.

attinet ad Romanos, cum præcipua cura in Imperij administrationem incumberent, eas disciplinas colebant, quæ potissimum ad hoc conferebant, cæteris omissis. Sancti vero, ideo non approbant, quia videntur minus vtiles ad pietatem colendam: & quia, qui in eas incumbunt, quę sunt magis vtilia omittere solent: vel etiam, quod sub ista appellatione continentur artes illæ quibus homines in augurijs, & iudicijs faciendis vtuntur. Nec defuerunt ex nostris scriptoribus qui eas multũ, ob earum vtilitatem laudarunt.

Hug. de S. Vict. Lib. 2. didasc. c. 5.

SEXTA dubitatio, quomodo scientiæ mathematicę distinguantur a physica: ad quam dubitationem hũc in modum respondeo. Si loquamur de puris Mathematicis, primo differũt in obiecto: quia Physica habet pro obiecto substantiam & quantitatem, vt est illius passio. Mathematica vero nudam quantitatem, non vt est proprietas substantię. Secundo, physica considerat quãtitatem secundum suam naturam tantum, & vt est in substantia; mathematica vero secundum extrinsecas relationes: quo fit vt Physica cõsideret materiam sensibilem; Mathematica vero intelligibilem: & ideo illa potest habere veras definitiones & demonstrationes; mathematica autem nec habet, nec habere potest.

Cap. 8. Arist. 2. physic. text. 16. & seq.

SEPTIMA dubitatio, quomodo diuidendæ sint scientiæ Mathematicę. Celebris est diuisio a Pythagoricis introducta, & ab alijs recepta, ut nonnulli referũt in quattuor partes, In Geometriã, Astrologiam, Arithmeticam, & Musicam, cuius diuisionis hæc assignatur ratio. Quantum dupliciter consideratur, vt continuũ, & vt discretum: illud rursus, vt mobile, & immobile: hoc vero, vel secundum se, vel in ordinem ad aliud. quãtum continuum immobile, consideratur a Geometria, mobile ab Astrologia: Discretum, secundum se, est obiectum Arithmeticæ, in ordinem ad aliud, est obiectum Musicæ. Hanc diuisionem ideo aliqui non admittunt, quia videtur excludere, quasdam mathematicæ mistæ partes. At vero Proclus hunc in modum diuidit

Proc. in Eucl. lib 1. c. 13. Ammõ. præf. in præd. Gemin. Eucl. c. 2. prole.

Mathe-

Mathematica, vel considerat quantitatem abstractam & intelligibilē, vel in rebus sensibilibus, & hac ratione octo assignantur partes: duæ considerant quantitatem abstractā, Geometria & Arithmetica, reliquæ quãtitatē sensibilē, Astrologia, Perspectiua, Geodesia, Musica, Supputatrix, seu Arithmetica practica, & Mechanica, quę partes explicantur ab auctoribus citatis. Illud hoc loco ex Proclo adnotauerim Quædā esse in rebus mathematicis, quæ cōia sunt numero & magnitudini, vt est proportio, diuisio, compositio, & omnia genera proportionum, quæ conueniunt etiam motui, & tempori, prout habent partes: & vt eidem auctori placet, pertinent etiam ad Metaphysicam, si vniuerse considerentur. Sed multo probabilius dicendum est, pertinere ad scientiam superiorem pręter Geometriam, & Arithmeticam, quæ considerat has proprietates communes omni quantitati. Nam, si hę proprietates demonstrentur de subiecto Geometriæ, vel Arithmeticæ non demonstrantur de subiecto primo, de quo vt Aristoteles docet, demonstrari deberent. Et ideo, etiamsi admitteretur illa communis diuisio Pythagoreorum, adhuc tamen dicendum esset, Mathematicam scientiam esse vnam, cuius prima pars considerat quantitatem in communi, de qua demonstrat passiones dictas: quæ diuiditur in duas species, quibus constituuntur duæ partes, Geometria, & Arithmetica· his subalternantur Astrologia & Musica, & oēs aliæ scientiæ mediæ. Cæterū pars illa quæ demonstrat iam dicta de quantitate in cōmuni, vix reperitur in Mathematicis, quia est valde exigua, & quia omnia illa attributa euidentiora sunt in scientijs inferioribus. Si tamen consideremus naturam scientiarum mathematicarum, illa communis pars admittenda est, quia per eam magis conseruatur scientiarum Mathematicarum vnitas.

Lib. 1. & 3. ut 4.

Lib. 1. post.

Octava dubitatio, qua ratione scientiæ mathematicæ agant de quantitate. Respondeo, pro quo nota, Mathematicæ diuiduntur in puras, medias, siue mi-

Lib. 2. phyſ. t. 20. ſtas. Puræ dicuntur illæ, quæ, licet conſiderent quantitatem in re exiſtentem, abſtrahunt tamen illam ab omni re phyſica, vt Geometria, & Arithmetica. Miſtæ ſunt illæ quæ applicant quantitatem mathematicam rei phyſicæ, vt Aſtrologia, quæ conſiderat quantitatem quæ eſt in cœlo, & in aſtris: idem dicas de Perſpectiua Muſica & alijs. Certum autem eſt, has ſcientias medias nō conſiderare per ſe aggregatum illud per accidens; ita vt Perſpectiuę obiectum ſit linea ſimul cum viſione: tunc enim non eſſent veræ ſcientiæ, & ideo in perſpectiua non conſideratur quid ſit viſio, aut quomodo fiat, ſed ſolum cōſideratur linea per ſe, cum hac tamen conditione, vt applicata rei phyſicæ, & vt ſub aſpectum cadit. Atque hac ratione obiectum formale eſt ſola quantitas, vel linea; quæ tamen non eſſet obiectum, niſi haberet hanc cōditionem, vt ſit ſpectabilis: hoc enim eſt proprium ſcientiarum ſubalternatarum, vt addant ſubiecto ſubalternantis conditionem aliquam accidentalem, quæ tamen nō eſt ratio formalis ſcientiæ ſubalternatæ, quæ vt talis eſt, non differt eſſentialiter a ſubalternante: & ideo obiectum formale ſcientiarum mediarum, eſt idem cum obiecto purarum, cum additione accidentali. Et hac ratione Aſtrologus habet pro ſubiecto quantitatem, quæ debet applicari cœlis, non autem ipſum cœlum: tunc enim Aſtrologia non diſtingueretur a Phyſica. Atque ex his facile ſoluitur propoſita difficultas de obiectis mediarum ſcientiarum. Aſtrologus pro obiecto formali habet quantitaté cœli, vt eſt quid commune comprehendens permanentem & ſucceſſiuam, ſeu trinam dimenſionem, & motum; vtrunque enim conſideratur ab Aſtrologo. Formale autem eſt conſiderare talem quantitatem, non vt eſt accidens quoddam cœli, ſic enim pertinet ad Phyſicum, ſed in ordinem ad proprietates mathematicas, ad proportionem, diſtantiam, figuram, & alias. Conditio ſine quà non, eſt applicatio ad ſubſtantiam cœli: ſubiectum materiale remotum eſt ipſa ſubſtantia cœli. Quáuis. n.

hæc

hæc non consideretur a Mathematico, est tamen subiectum in quo inhæret subiectum Astrologiæ, & ideo ipsa Astrologia videtur habere hoc subiectum, in quo decepti sunt multi Mathematici: qui, vt extollerét Astrologiam, dixerunt eius subiectum esse cœlos, cum solum sint subiectum materiale: quia si essent formale, esset scientia Physica, cuius est agere de substantia cœli, & de eius proprietatibus. Verum cum scientiæ se mutuo iuuent, & Astrologi suam scientiam nobilitare voluerint, multa ad Philosophiam pertinentia sumpserunt; vt contingit etiam in alijs scientijs medijs, ob eandem caussam, & in scientijs subalternatis respectu subalternantium. Secundo Musica pro subiecto materiali proximo habet numerum & pro formali eundem numerum secundum proprietates mathematicas, cum conditione, qua applicatur ad sonum: pro obiecto materiali remoto ipsum sonum. Tertio, Perspectiua pro obiecto materiali proximo habet lineas, pro formali modum illum mathematicum, pro conditione applicationem ad aspectum, seu ad res quæ videntur: pro materiali remoto res ipsas physicas. Et eodem modo Philosophandum est de Geographia, & Arithmetica practica, & de alijs mathematicis medijs: semper enim obiectum formale est idem cum puris mathematicis, cum applicatione tamen ad rem physicam. Ex his alia soluitur difficultas, quæ scientiæ mediæ, quibus puris subalternentur: subalternantur enim illis quibus succedunt in obiecto materiali & formali. Atque hac ratione Perspectiua, Astrologia, & Astronomia, & aliæ similes subalternantur Geometriæ. Arithmetica practica speculatiuæ. Musica vt agit de numeris, eidem, quãtis prout docet, proportiones, subalternetur illi parti Geometriæ quę agit de proportionibus in communi: atque idem dicendum est de alijs scientijs. Neque est absurdum eandem scientiam secundum diuersa, diuersis subalternati scientijs. Nona dubitatio, an scientiæ mediæ sint magis physicæ, quam mathematicæ,

Ferra-

Lib. 2. Phys. tex. 20. quæst. 32. Lib. 2. phys. t. 20. Opus. 70. q. 5. ar. 3. ad 6. Tröb.

Ferrarienſis, & alij Thomæi dicunt eſſe magis phyſicas, ratione obiecti, etiamſi ſint magis mathematicæ ratione modi, vt diſtinguit Ferrarienſ. ex diuo Thoma. Alij vt Burleus, Venetus, Thien. q. 3. & Albertellus, q. 8. dicunt ſimpliciter eſſe magis phyſicas: qa Ariſtoteles libro ſecundo phyſico, hoc ait, & quia applicatio illa ad rem phyſicam eſt veluti ratio formalis earum. Verum cum diuo Thoma, cum Zimata contradict. quarta ſecundi phyſici, & cum Simplicio & alijs dicendum eſt eſſe magis mathematicas: ſemper enim ab Ariſtotele dicuntur Mathematicæ, vt duodecimo Metaphyſicæ textu 44. vbi Aſtrologia vocatur præclariſſima Mathematicarum, Propterea hæ ſcientiæ ſubalternantur ſcientijs mathematicis, vt conueniunt cum illis in obiecto materiali & formali: at applicatio ad rem phyſicam eſt conditio quædam ſine qua non; igitur. Vnde decimotertio metaphyſico, ſumma prima, capite tertio Ariſt. ait, Perſpectiuam & Harmonicam non conſiderare viſum & ſonum, ſed lineam & numerum: ergo per ſe habent pro obiecto, obiectum mathematicum. At vero ſecundo phyſico textu vigeſimo, non ait has ſcientias eſſe magis phyſicas, quam mathematicas, ſed inter mathematicas, has magis accedere ad Phyſicam, quam alias; alias Ariſtotelis ratio nihil probaret.

DECIMA dubitatio, quomodo ſcientiæ mediæ differant a Phyſica, & præcipue Aſtrologia de qua eſt maior dubitatio. Reſpondeo, differunt omnes Mathematicæ ſcientiæ intermediæ a Phyſica, quia licet conſiderent rem phyſicam, non tamen eam tractant, vt phyſica eſt, ſed vt eſt mathematica, vt ſupra docuimus; non ſimpliciter, ſed applicatā rei phyſicæ, quæ applicatio, eſt veluti conditio ſine qua non. Quod vero attinet ad Aſtrologiam, quæ magis cum phyſica conuenire videtur, cum agat de cœlo, quod eſt corpus phyſicum, ex Alexandro, referente Simplicio, libro ſecundo phyſico, & ex Auenroe libro ſecundo de cœlo, & primo metaphyſico, hæ differentię inter has ſcientias

Com. 12. t. 16 Tex. 57 Co. 19.

aſſignari

aſſignari poſſunt. Prima, Phyſica conſiderat ſubſtantiã cœli, Aſtrologia accidentia. Secunda, illa omnia acciden tia cœli conſiderat, hęc non omnia. Tertia, illa demonſtrat accidentia cœli vt ſunt proprietates & termini corporis naturalis; Aſtrologia non item. Quarta, Aſtro logia in motu conſiderat ſolum quantitatem & proportionem, Phyſica vero, a quo, & quomodo fiat, & an ſit naturalis. Quincto, phyſica perſcrutatur cauſſas, & per eas demonſtrat paſſiones cœli; Aſtrologia non itẽ. Quod ſi interdum videtur demonſtrare per cauſſas, vel demonſtrat tantum ex ijs quæ apparent, nec quærit vtrum ſint cauſſæ, vel non; & ideo interdum demonſtrat ex falſis & repugnantibus, modo ſaluet apparentias, vt cum probat aliquid per eccentricos orbes & epiciclos, qui vt nonnulli volunt, non exitunt: vel hoc non facit quatenus talis eſt. Sexta, Aſtrologia vt plurimum probat a poſteriori, Phyſica a priori: verbi gratia, Aſtrologus probat terram eſſe rotundam ab ecclipſi lunæ, & ab alijs apparentijs; phyſica, quia grauis eſt, ob quã cauſſam oẽs illius partes tendunt ad cẽtrum, & ideo conglobantur in figuram ſphericam. Septima, phyſicus aſſignat naturalem & propriam cauſſam; vt cœlũ eſſe rotundum, quia nec graue, nec leue, quia non conſtat ex elementis, Aſtrologus vero aſſignat cauſſam cõmunem, quia lineæ ductæ centro terræ ad cœlos ſunt æquales. Ex quibus patet, non eſſe Aſtrologi agere de ſubſtantia & qualitatib. cœli, quia hæc omnia ſunt naturalia. Vnde Aſtrologia iudiciaria, præter quam quod eſt uana, male ſe ingerit in alienam materiam, quia, ſi effectus, illi dantur, explicari deberent a Phyſico. Quæ de Aſtrologia diximus, ſunt proportionaliter accommodanda alijs ſcientijs, ſi cum Phiſica conferantur. Poſtrema dubitatio, an ſcientia Mathematica vllis vtatur cauſſis in ſuis demonſtrationibus faciẽdis, hoc eſt, an abſtrahat ab omni genere cauſſæ. Reſpondeo, mathematicam nullam proprie conſiderare cauſſam. Quoniam nulla cauſſæ definitio proprie con-

conuenit quantitati, vt a mathematico consideratur. Confirmatur, quia abstrahit ab omni productione, & a caussa efficiente: at vbi non est vera caussa efficiens, ibi nulla alia est caussa proprie sumpta: igitur. Quod si o-
2. Physs. bijcias Aristotelem dicentem, in mathematicis ipsum
t. 16. propter quid reuocari ad quod quid erat esse, hoc est, ad caussam formalem, Respondeo, ideo conclusiones mathemathicæ dicuntur reuocari ad ipsum propter quid, quia reuocantur ad prima principia mathematica, quorum prima sunt definitiones, vt ex Euclide patet: quam solutionem ex ipso Aristotele colligere li-
Lib. 2. phys. t. 28. cet. Rursus ex eodem obijceres, mathematicum demõstrare per caussam materialem, vt in secundo Analysis secundæ libro insinuare videtur. Aliqui putant dari ibi exemplum caussę materialis in Mathematicis, quod
Lib. 2. post t. u. Toled. Zabar. tamen alijs non placet; ac proinde dicunt, dari exemplum caussæ formalis, seu potius definitionis: vt patet ex consequentibus; dum ait, exemplum illud de triangulo in semicirculo sumi a caussa quid præbente: ita vt probetur rectus a definitione anguli recti. In summa, cum de mathematica dicitur, considerare omnes caussas, intelligitur de caussis improprie acceptis, & de caussis & principijs cognoscendi. Atque ex his quę diximus, aliqua parte, Mathematicarum scientiarum natura, & hæc philosophiæ speculatricis pars, de qua minus accurate, quam de alijs disputari solet, intelligi potest. Et licet plura dici potuissent: tamen ea quę diximus philosophię candidato satis videri debent. Ad aliã igitur huius tractationis partem pergamus.

De nomine & definitione opinionis. Cap. XXIIII.

SI humana philosophia sola contineretur sciẽtia, nihil esset necesse, vt aliquid hoc loco de opinione scriberemus: sed quoniã multa quæ in philosophia tractantur, opinione tenentur, propterea philosophari volenti, aliquã de na

tura

tura opinionis notitia erit omnino necessaria: ex cuius explicatione ea, quæ de scientia docuimus, multo manifestiora fient.

De opinione igitur acturus, hæc summatim capita explanabo, Quid sit, quotuplex sit, quomodo ab alijs habitibus distinguatur, an necessario includat formidinem, & an possit esse simul cum scientia. Vt autem quod primo loco posuimus, exponamus, quid nomine opinionis intelligatur, prius docendum est. Lib. 1. Rect.

Primvm igitur, opinio interdum vniuerse sumitur pro quacunque cognitione, siue sit dubia, siue certa, siue euidens, siue obscura: quo modo accepisse videtur Aristoteles, cum dixit, omnia nos credere, aut persuadere, per syllogismũ, vel inductionem: credere enim seu fidem habere, & opinari vniuerse pro omni notitia vsurpantur in qua significatione etiam scientia dicitur opinio. Secundo, sumitur pro omni cognitione cuiuscũque medij, ex qua alia fit notitia: in qua significatione idem accepit, cum dixit, præmissas esse credibiliores conclusione, hoc est, perfectius cognitas, quoquo modo cognoscantur. Tertio, pro notitia obscura, ita vt complectatur fidem, opinionem specialiter sumptam, & suspicionem, exclusa scientia, quæ omnes notitiæ quandam obscuritatem includunt: cum sint ineuidentes. Postremo, sumitur proprie pro ea notitia, qua alicui rei assensionem præbemus, sed non sine aliqua formidine contrarij; in qua significatione hoc loco sumitur. Hoc postremo modo sumpta, bifariam capitur, vel vt designat actum ipsum opinãdi, hoc est assentiẽdi cum aliqua formidine, vel pro habitu acquisito per varios actus, per quem habitum facile de re aliqua opinari possumus. Rursus, opinio dupliciter sumitur: primo pro notitia immediata, cum scilicet alicui rei assentimur sine vllo medio: secundo pro notitia mediata, cum alicui rei assensum præstamus intercedente aliqua alia ratione; ut sicuti scientia habet propositiones mediatas & immediatas, ita etiam opinio. Exempli gra- Lib. 1. post. c. 2 Arist. 1. post. c. vlt.

gratia, video aliquid a longe, & opinor id non currere, quia non mouentur, & non moueri, quia non mutat locum.

His ita explicatis, opinio in tertia significatione, & pro habitu accepta, hunc in modum describi solet.

Opinio est habitus intellectus imperfectus cum ineuidentia, & incertitudine ex parte medij coniunctus: cuius definitionis hæc est sententia. Dicitur, imperfectus, ut excludantur illi quinque habitus intellectus, quos in sexto Ethico recenset Aristoteles, vbi agendo de habitibus, humanam intelligentiam perficientibus, hos numerat, sapientiam, scientiam, artem, prudentiã, & intellectum, qui habitus in suo genere sunt pfecti, cũ solũ inclinent ad verũ, ac proinde intelligentiã pficiũt: a quorum numero excluditur habitus opinionis, quia sub ea potest esse falsum. Dicitur cum ineuidentia, vt distinguatur speciatim a scientia, quæ euidẽtiam requirit; vt patet ex ijs quæ supra de scientia agendo diximus. Dicitur, cum incertitudine, vt distinguatur a fide diuina, quæ est certissima, vt infra docebo, cum initatur diuina auctoritate, cui non potest subesse falsum. siquidem Deus per nullam potentiam, quidquid aliqui inscienter dixerint, potest mentiri. Dicitur ex parte medij, vt ostendatur caussa, ex qua ista imperfecta notitia proficiscitur, nimirum medium probabile.

Ocam.

At vero si in quarta sumatur significatione, hunc in modum describitur, opinio est habitus intellectus imperfectus, & ex parte medij incertus, cum formidine coniunctus. In hac descriptione, additur superiori particula, cum formidine, vt distinguatur a fide humana, quæ potest esse ineuidens ex parte medij, & incerta, sine vlla tamen formidine. Scit enim aliquis in Italia esse Venetias per solam humanam fidem, sine vlla formidine contrarij, quia ita dicitur. Et licet humana fides possit esse cum formidine, vt si crederetur aliquid propter aliquorum auctoritatem, qui non sunt

omni-

omnino fide digni: tamen, non est ei intrinsecum, vt sit cum formidine, cum per eam multa certissime sciamus. Quantũ autem humana fides sit in vita communi necessaria, multi veri docti uiri eleganter demonstrarũt: quia, ea sublata, omnia humana atque diuina euerterentur: de qua re nos alibi. Atque ex his facile etiam definiri posset opinio pro actu opinandi sumpta, quam ex Aristotele aliqui hunc in modũ definiunt, opinio est assensus, uerus vel falsus incertus cũ formidine: vel hoc modo, est assensus verus, vel falsus obiecti cõtingẽtis. Vbi nota, Aristotelem non distinxisse inter notitiã quæ habetur per opinionem, & fidem humanam, quãuis hæc, ut diximus, possit esse sine formidine, & certa: sed quia; sua ui atque natura, potest esse falsa, ideo nomine opinionis continetur: differunt tamen secundũ magis & minus, quia fides est vehemens opinio. Sed iã de diuisione dicamus.

Arnob. Theod. Sotus.

Lib. 3. Top. 5.

De opinionis diuisione. Cap. XXV.



VT scientia varijs modis diuidi potest, & a nobis supra diuisa fuit, ita etiam opinio: & quidem ex quattuor caussis eam conficientibus, hoc pacto.

PRIMO ex caussa finali; ex hac parte diuiditur in fidem practicam, & speculatiuam: Practica est illa quę versatur circa obiectum practicum, & in re quæ a nobis efficitur; vt opinio de al cuius actus iustitia, uel iniustitia: speculatiua, quæ est de re, quam sola cogitatione attingimus; vt an vlla creatura potuerit esse ab æterno. Huc reuocares diuisionem in opinionem uniuersalem, quæ habetur de re vniuersali, vt omne dulce esse gustandum, & particulurem, quę habetur de re singulari, hoc dulce esse gustandum.

Arist. li. 7. eth. c. 3.

SECVNDO ex parte obiecti, siue materiæ, & ita alia est de obiecto contingenti, alia de necessario

cognito non ut necessario, alias enim esset scientia; ut si quis opinaretur solem esse terra maiorem, vel non posse deficere.

TERTIO, ex parte caussæ formalis, ex qua parte diuiditur in opinionem veram, & in falsam: vera est illa quæ est consentanea cum ipsa re de qua habetur opinio, per rationes quæ non possunt euidenter argui falsitatis; ut opinio de beata vita, quod magis consistat in actu amoris, quam cognitionis, quod definitio sit demonstratione præstantior: falsa vero, quæ non est cũ re consentanea, & facile falsitatis argui potest; vt humanam scientiam non dari.

QVARTO, ex parte caussæ efficientis; nam alia habetur per syllogismum topicum, siue probabilem, alia per demonstrationem, de qua tamen ignoratur, an sit demonstratio: quia si cognosceretur, & animaduerteretur, gigneret scientiam. Huc referres hanc diuisionem, quod alia habeatur per aliquod genus argumentationis, siue per rationem: alia per auctoritatem dicentis; modo auctoritas non sit talis, quæ formidinem tollat.

QVINCTO, diuidi põt ex parte modi acquirẽdi, vnde eam diuideres, vt proximo capite indicauimus, in opinionẽ immediatam, & mediatam. Vt enim in scientijs dantur quædam propositiones quibus immediate assentimur, ob earum euidentiam: ita etiam in opinione, vt est ista, matres amant suos filios, pauperes cupiunt ditescere. Quare, vt in principijs necessarijs non datur progressus in infinitum, ita nec in probabilibus, sed deuenimus ad aliqua quæ ex se sunt probabilia. Ideo Aristoteles scriptum reliquit, scientiam & opinionem reuocari posse ad primas caussas.

Lib. 1. post. DENIQVE, ne plures diuisiones minus necessarias afferam, opinio diuiditur, iuxta has duas quæstiones, Quod res sit, & Cur sit: illa versatur circa rei existẽtiam, vel veritatem ipsius, hæc vero circa eius caussas. Sed peteret aliquis, cur non tot numeratur opinionis

partes,

partes, quot sunt quęstionum genera, quæ sunt quattuor? Cui responderem, quæstionem, quid res sit, non cognosci per discursum, ac proinde circa eam non esse proprie opinionem: at vero quæstio, Qualis sit, reuocatur ad quæstionem, An sit. Lib. 2. post. c. 1

SED peteret rursus quispiam, an opinio esse possit de re necessaria, sicuti de contingenti, ita vt quæratur, quod nam sit opinionis obiectum. Posset enim aliquis vna cum Platone existimare opinionem solum esse de re contingenti. Ad hanc dubitationem facile responderes ex ijs, quæ paullo ante scripsimus; sed, vt adhuc planius elucidetur, duo subijcio notanda.

PRIMVM, cognitionis necessitas ex quattuor potissimum sumitur capitibus. Primo ex necessitate obiecti, si obiectum sit tale, vt aliter se habere non queat: quo modo scientia de cœlo, dicetur esse certa, cum cœli natura, per nullam vim potétiamve naturalem possit corrumpi. Secundo ex parte caussarum per quas res cognoscitur, cum scilicet caussæ habent necessariam connexionem cum re cognita: siue ex parte medij, quod cum conclusione est necessario coniunctum: qua ratione hęc notitia, hominem esse corruptioni obnoxium est necessaria, quia est conflatus ex contrarijs. Tertio ex parte intellectus, cum is qui cognoscit, animaduertit rem quam noscit, esse necessariam. Postremo, ex parte eiusdem intellectus seu cognoscentis, cum præter priorem notitiam per actum reflexum, cognoscit se per medium necessarium cognoscere, & ré non posse aliter se habere, atque a se cognoscitur; vnde fit vt a sua assensione moueri non queat. Oportet enim scientem impermutabilem esse, vt Aristoteles ait. Et quidem totidem modis aliqua notitia potest dici contingens. Primo ex parte obiecti, cum obiectum est contingens; ita tamen, vt cognoscatur sub hac ratione, vt contingens est, cum de contingenti possit haberi aliqua cognitio necessaria; exempli gratia, quod contingens posset esse & non esse. Secundo ex parte medij,

Arist. lib 2. de cœl.

Lib. 1. post.

1. post. c. 2.

dij, cum mediam eſt tantum probabile, & nullam habet neceſſariam connexionem cum eo, quod cognoſcitur; vt aliquem fore ſapientem, quia nactus eſt preceptorem doctum. Tertio, ex parte intellectus, qui & ſi vtitur medio neceſſario in cognoſcẽdo: tamen, eius neceſſitatem non videt, ſed aſſentitur concluſioni cum formidine; vt ideo lineas recte protractas non concurrere, quia ſunt paralellæ. Quarto, ex parte eiuſdem intellectus, cum exiſtimat obiectum alias neceſſarium, ſe aliter habere poſſe, vel certe ei cum formidine aſſentitur, & animaduertit ſe non neceſſario aſſentiri.

Lib. 1. phyſ. 49 DEINDE notandum eſt, contingens poſſe dici proprium obiectum opinionis ad eum modum, quo vniuerſale dicitur eſſe proprium obiectum intellectus, quamuis poſſit etiam percipere ſingulare, etiam propria cognitione, (quidquid aliqui contra dicant, qui ſi animaduerterent contrariæ ſententiæ rationes, a ſua abirent opinione) quia vniuerſale non poteſt percipi a ſenſu, qui eſt ſolum rerum ſingularium. Opinio itaque non poteſt eſſe niſi de re contingenti, vel de neceſſaria vt videtur contingens. Quare proprium obiectum opinionis, vt diſtinguitur a ſcientia, eſt contingens, quod vt tale, non poteſt eſſe obiectum ſcientiæ. Vnde, licet opinio ſit de contingenti, & de neceſſario, vt videtur contingens: tamen de aliquo contingenti poteſt eſſe opinio, de quo non poteſt eſſe ſcientia. His notatis, ad dubitationem propoſitam breuiter reſpondeo, dicendo tria. Primum, opinio poteſt eſſe de re neceſſaria: ſecundum, opinio ſemper eſt de obiecto ſub ratione contingentis: tertium, contingens eſt proprium opinionis obiectum, quia de eo, vt tale eſt, nullo modo poteſt eſſe ſcientia. Sed contra ea quæ diximus, nonnullæ fieri poſſunt dubitationes, quas nunc diſſoluam.

PRIMA dubitatio, ſi obiectum de quo habetur ſcientia eſt neceſſarium, & id de quo habetur opinio eſt contingens: igitur de eadem re vnus non poſſet habere ſcientiam, & alius opinionem, quod eſt contr

Ariſtotelem

Ariſtotelem:& ſi hoc eſt verum, ſequeretur, ſcibile & opinabile,ac etiam neceſſarium & contingens eſſe idē, quod eſt falſum. facilis eſt reſponſio. Idem eſt obiectū ſcibile & opinabile incomplexe;at vero complexe,non eſt idem,de quo proxime habetur opinio ſiue conſenſus:verbi gratia de relatione habemus ſciētiam, quod ſit accidens,an vero realiter diſtinguatur a ſubiecto habetur opinio.ſunt ergo propoſitiones diuerſæ,ſed ſubiectum de quo fiunt, eſt idem.Et cum media reſpectu eiuſdem concluſionis, in diuerſis poſſint eſſe diuerſa, ideo de eadem re vnus habere poterit opinionem, & alius ſcientiam:de qua re infra accuratius.

SECVNDA dubitatio,ſi ſcientia & opinio habent idem obiectum,& ambæ reuocantur ad principia immediata:ergo ſcientia & opinio erunt idem.Reſpōdeo, ad conſtitutionem ſcientiæ duo requiruntur:primum, vt obiectum ſit vere neceſſarium;alterum,vt exiſtimetur neceſſarium;vno ex his deficiente, non erit ſcientia,ſed fiet opinio;vt ſi obiectum ſit contingēs, vel pro contingente habeatur. Et cum principia ad quæ opinio & ſcientia reuocantur ſint diuerſa, alia neceſſaria & euidentia,alia non item;ideo nec ex parte obiecti, neque principiorum ſcientia & opinio erunt idem.

TERTIA dubitatio, quibus modis poſſit generari opinio.Reſpondeo, primo ex ſola cognitione terminorum;vt ſi quis cognoſcat,quid ſignificent termini in hac propoſitione poſiti,Matres amant ſuos filios. Secundo, ex principijs euidentibus per conſequentiam ineuidentem; vt ſi quis eo quod videat diſcipulos diligentes,inde colligat eos futuros doctos: quod probabiliter,ex illo euidenti antecedente colligitur.Tertio, ex coniecturis;vt ſi quis videret pauperem alloqui diuitem,& inde inferret,eum petere eleemoſynam.

QVARTA dubitatio,an principia immediata opinionis ſciantur opinione, vel ſcientia. Reſpondeo ſciri opinione:de cuius diuiſione hæc dicta ſufficiant.

Quomodo opinio differat ab alijs habitibus, & qui habitus intellectus dicantur imperfecti.
Cap. XXVI.

Lib. 6. cap. 3. D. Tho. 1. 2. q. 57. RISTOTELES in Ethicis agendo de habitibus qb humana mẽs perficitur quinq; tantum numerauit, vt supra docuimus: quosdam alios tanquam imperfectos, quia illis potest subesse falsum, omisit. Idem in fine libri primi secundæ analysis, contulit scientiam cum opinione & solertia, vt eam ab his distingueret, cum per illam habeatur certus assensus, per has non item.

SED videtur omisisse alios duos assensus, seu notitias imperfectas, nimirum eam quæ habetur per suspicionem, & eã quæ per auctoritatem. & cũ possit haberi assensus certus, sine vlla formidine, ꝑ rationes, siue media probabilia, non erit distinguenda ex hoc capite sciẽtia ab alijs habitibus.

Vnde Aristoteles videtur fuisse mancus, cum non fecerit mentionem de suspicione, & fide, vt doceret quomodo scientia ab his distinguatur: nec videtur firma ratio, quod aliqui habitus excludantur ab illis quinque, quod illis possit subesse falsum, non autem his: quoniam arti potest subesse falsum, sicuti & prudentiæ: vnde artifices & prudentes sæpe errant. vt omittã, quod solertia est pars prudentiæ, & ideo si hæc numeratur in virtutibus & habitibus perfectis, etiam illa numeranda erit. Vt his argumentis & propositæ difficultati satisfiat, duo fundamenta ponenda sunt.

Arist. lib. 1. eth. c. 3.

PRIMVM fundamentum, prudentia ex Atistotele est uirtus consultatiua practica circa actiones humanas, qua statuitur quid pro circunstantiarum ratione agendum, vel non agendum sit: quæ dupliciter considerari potest. Primo, vt est habitus quidam speculatiuus, & sub hac ratione potest ei subesse falsum. Secundo, vt est virtus moralis, quæ mouet appetitum ad agẽdum

lib. 6. eth. c. 5.

dum,& ſub hac ratione non poteſt ſubeſſe falſo. Nam poſtquam per coniecturas probabiles, & per maturum conſilium Imperator coniecit hoſtes dormire,aut carere armis,præcipit aggrediendos eſſe hoſtes: huic præcepto non ſubeſt falſum; quamuis indicia illa ſpeculatiua,vnde natum eſt iudicium potuerint,non eſſe vera: quia ad conſilium prudentiæ, ſufficiunt coniecturæ moraliter certæ. Ars etiam includit certitudinem: quia,ſi quis ex præceptis artis id agat,quod vult, non errat.Solertia vero eſt facultas, ſiue facilitas ac prōptitudo quædam,qua extemplo inuenitur cauſa alicuius rei, & effectus; ita vt is dicatur ſolers, cum aliqua re perſpecta,ſtatim illius cauſam inuenit: quæ tum in practicis, tum in ſpecutatiuis reperitur: quam his exemplis declarat Ariſtoteles.Primo,videt ſolers lunam magis ſplendere ab ea parte,quæ ſpectat ſolem, & ſtatim ait,lunam illuminari a ſole.Secundum,videt quis pauperem cum nummulario loquentem, ſtatim conijcit, nummulariũ ei fœnerari.Tertium,videt aliquis quoſdam amicos ſimul iunctos, conijcit alicuius eſſe inimicos,cum amicus ſit inimicus amici inimico. Solers itaque, vt Ariſtoteles ait, omnes cauſas medias videns, ſummas cognoſcit,hoc eſt,per vltima, ideſt per paſſiones & effectus, & ſubiecta, cognoſcit cauſam quæ eſt medium demonſtrationis; vt per ſplendere verſus ſolem,lunam illuminari a ſole: unde talis cōficeretur demonſtratio. Omne quod ſplendet verſus ſolem illuminatur a ſole:luna talis,igitnr.Quare,vt docilitas eſt facilitas quædam,qua quis facile ab alio docetur;ita ſolertia eſt illa vis,qua quis ex ſe,rei cauſam inuenit.Et quoniam Solers in aſſignandis extemplo rerum cauſis errare poteſt,ideo ſolertia a ſcientia,& ab habitibus perfectus eſt diuerſa,& ab illis excluditur.

Li.1.po. c.ult.

SECVNDVM fundamentum, Philoſophi lumine naturali non agnouerunt alios habitus humanæ mentis inter ſe primo diſtinctos,niſi duos,ſcientiam,& opinionem: illa includit certum, & euidentem aſſenſum

Li.1.po. c.2.

genitum ex principijs notis, cui non potest subesse falsum, cum res scita non possit aliter se habere: hæc vero nec euidentiam, nec certitudinem includit; quia quod opinione tenetur, potest esse falsum. Vnde non cognouerũt eum habitum, quem christiana religio agnoscit, nimirum habitum fidei diuinæ, cui, tum ex parte rei, tum medij cognoscendi, hoc est ex parte auctoritatis diuinæ non potest subesse falsum; ac proinde est quoque certus, etiam ex parte credẽtis, qui existimat rem non posse esse aliter ac ipse credit: est tamen ineuidẽs,
D.Tho. quia à nobis non scitur euidẽter Deum reuelasse. Ideo
2.2. q.1. Aristoteles solum assignauit distinctionem scientiæ, & opinionis, ac etiam solertiæ. At uero posteriores Logici animaduertentes posse dari quandam fidem humanã, quæ certum includit assensum, sine vlla formidine contrarij, & assensum non omnino certum per rationes probabiles, ideo in definitione opinionis posuerunt assensum cum formidine, quod fortasse Aristoteles significauit, cum dixit, opinionem esse assensum rei contingentis: quod posteriores explicando communiter dixerunt, esse assensum cum formidine, & nomine contingentis, Aristoteles non solum intelligit contingentiam
Duran. seu incertitudinẽ ex parte obiecti, sed etiam subiecti, & scientis; licet aliqui aliter dicant. Sed iam quid de rebus propositis tenendum sit, quibusdam positionibus doceamus.

PRIMA positio, iure optimo ab Aristotele opinio, solertia, & fides humana, (si eam ab opinione distinguere velimus) reiecta fuere ab habitibus perfectis intellectus. Ratio est in promptu, quia includunt imperfectionem quandam intrinsecam, nimirum posse deficere.

SECVNDA positio, opinio non est idem quod solertia. Patet hęc positio ex dictis. & confirmatur, quia illa dicit assensum, hæc vero facilitatẽ inueniẽdi caussas.

TERTIA positio, opinio nõ est idem, quod suspicio, quoniam suspitio pendet, & ortum habet a leuissimis caussis, & signis, quæ vix humanam mentem inclinant

nant in aliquam partem: at vero opinio vni parti deter minate assentitur, & assensum quendam non facile mobilem gignit: maiorem tamen & minorem pro rationum firmitudine.

QVARTA positio, opinio est longe diuersa a fide diuina. Primo differt ex parte medij, quia fides diuina hanc vnam habet formalem rationem credendi, quia Deus dixit, vt Theologi docēt. Deinde, quia opinio nō est sine aliqua formidine, vt postea dicetur: fides vero est certissima & non minus, quam humana scientia, vt alibi docuimus. Quod si dicas, fides diuina, siue christiana admittit scrupulos; igitur non est certa. Respondeo scrupuli sunt extrinseci a ratione fidei: at vero formido, seu posse deficere est intimum opinioni. Rursus in mente scrupulosa nullus est consensus, licet aliquid ei offeratur quod titubandi occasionem præbet: at opinio consensum includit. D.Tho. 2.2.q 1. Lib. 4. Intro. in Theol.

SED peteres, an opinio, fidesve humana includat aliquam piam affectionem ex parte voluntatis, qua intellectus ad assentiendum inclinetur, quam fides diuina, vt diuinæ literæ docent, includit, cum voluntas trahat intellectum in obsequium fidei. Respondeo, licet interdum tanta possit esse certitudo in fide humana, vt omnem tollat formidinem: tamen, vniuerse loquendo, illa pia affectio, hoc est actualis, vel habitualis inclinatio voluntatis, multum potest in opinione. Ista autem propensio voluntatis aliquando cōtingit ex eo, quod maxime vellemus aliquid esse verum; nam quæ optamus, facile credimus. Iuxta illud Ouidij. 2.Co.10

Credula res amor est:

Aliquando ex amore eorum, quorum opiniones sequimur; ex quo fonte interdum Philosophorum dimanarunt sectæ. Illud autem Ocamo non concesserim, solam voluntatem, sine vlla ratione, & auctoritate sufficere ad credendum, cum id cum experientia, & cum communi opinione pugnet. Lib. 2. sen. dis. 25.

Quod si petas, quidnam magis valeat ad mouendū,

an

an auctoritas, an ratio probabilis. Respondeo, sua vi atque natura magis mouere auctoritatem: quia ratio probabilis nunquam fundatur in euidentia, sicuti auctoritas, quæ sæpe nititur experientiæ, aut euidentiæ dicentis. Quare, si qui homines fide digni se aliquid vidisse affirment, non possumus non credere. Nam, licet illud non sit nobis euidens, tamen quia est euidenter credibile, ideo omnino credimus; ac proinde hic non est pia affectione opus; qua profecto Pythagoræ discipulos affectos fuisse credendum est, cum id omne crederent esse verum, quod magister aiebat.

QVINCTA positio, opinio differt a fide humana. Primo, quia vt diximus, fides potest esse omnino certa: at opinio, vt hic sumitur, semper includit formidinem, vt statim dicetur. Deinde, quia opinio varijs rationibus acquiritur: at fides a sola auctoritate humana pendet: a qua illi de quibus paullo ante dixi pendebât; habentes hoc pro ratione, Ipse dixit: quem Philoso-
Tus. 5. phandi modum, vt perniciosum, aliquando redarguit M. Tullius.

SEXTA positio, opinio longe distat a scientia proprie sumpta. Primo differunt ex parte certitudinis & euidentiæ, quæ reperiuntur in scientia, quibus caret opinio. Secundo, ex parte medij, quia scientia habetur per demonstrationem, opinio per rationem probabilem; vel si sit necessaria non habetur pro tali. Tertio, ex parte obiecti, quia scientia, sua natura, non est nisi
Arist. 1. post. de obiecto necessario; opinio vero etiam de contingenti, modo iam explicato. Postremo, scientia per demonstrationē acquisita non potest augeri, opinio vero maxime. Quo fit, vt illa simpliciter perficiat intellectū, hęc secundum quid. An vero rationes probabiles aliquid valeant, vbi rationes sunt necessariæ, infra dicemus. Ad argumenta initio allata, nihil respondeo, cum soluantur ex dictis.

An formido sit necessario cum opinione coniuncta. *Cap. XXVII.*



ROXIMA disputatione dictum fuit, opinionem differre a fide & a scientia, quod certitudine careat: at vbi non est certitudo, aliquid formidinis esse videtur: vt enim obscuritas opponitur euidentiæ, ita formido certitudini. Cum ergo opinio formidinem admittat, quæritur modo, an sit de eius intrinseca ratione: & quod non sit ei intrinseca, his rationibus probari potest.

PRIMO, si formido est de essentia opinionis: ergo quo plures adhibentur rationes probabiles, eo magis formido augetur; & ita quo magis aliquis vellet opinari, eo magis formidare vellet.

SECVNDO, opinio disponit ad scientiam: igitur non potest intrinsece includere formidinem: siquidem dispositio nõ potest esse contraria formæ acquirendæ: at formido est contraria certitudini scientiæ; igitur.

TERTIO, quia alias sequeretur actus opinionis corrumpere habitum sciẽtiæ & fidei, cum isti habitus omnem excludant formidinem: consequens est falsum: quia ad confirmanda ea quæ fide tenentur, solent Theologi probabiles adhibere rationes.

QVARTO sequeretur opinionem non posse esse de obiecto necessario, quod est contra Aristotelem, vt patet ex dictis; sequela probatur, quia qui formidinem habet, existimat rem aliter se habere posse; at de re necessaria id existimare, non est opinio, sed error: igitur. Nec valet, si dicas, esse opinionem falsam, quia sequeretur contradictoria posse esse vera, nam ista opinio est vera, cum sit de obiecto vero, & falsa, cũ de illo dubitet. Quod si dicas, existimare non posse aliter se habere, at hoc posito, nulla ibi esset formido. 1. Post. 4. Met. t. 13. 6. eth. c. 3.

POSTREMO ex Aristotele, non vno in loco, ita

aliqui

aliqui ad ſuas opiniones adhæreſcunt, vt nullo modo dubitent, igitur opinio omni formidine vacare poterit.

In prol. S. q. 2. ar. 4. Dur. in prol. q. 1. ar. 2. 3. S. d. 25. ar. 5 ad 3. Aur. cont. 1. conc.

IN hac difficultate fuit quorundam ſententia cuius meminit Gregorius Ariminenſis, formidinem non eſſe neceſſario coniunctam cum opinione, ita vt opinari contingat, ſine vlla formidine, quam quidam non ignobiles auctores defendere videntur. Secunda aliorum, qui contra ſentiunt, & ſpeciatim Gregorij, qui de hac re legendus eſt, ac etiam diui Thomæ, Capreoli, & Soti in fine primi poſteriorum, & eſt communis. Vt huic difficultati ſatisfiat, duo ſtatuo fundamenta.

PRIMVM fundamentum, formidinem eſſe coniūctam cum opinione duobus modis intelligi poteſt. Primo, quod opinionis natura conſtituatur per negationē certitudinis, aut firmitudinis intellectus, quæ negatio eſt ipſa formido. Secundo, quod opinio dicat aliquem aſſenſum realem, ad quem conſequatur talis negatio. Poteſt autem formido, vel debilitas aſſenſus ex duplici capite oriri: primo ex eo quod obiectum eſt contingens, vel quia cognoſcitur per medium contingens: ſecundo, cum intellectus etiamſi habeat medium neceſſarium; tamen illud non cognoſcit vt neceſſarium; unde fit, ut intellectus eius qui opinatur, dubitare poſſit de ueritate ſuæ cognitionis. Sunt itaque in opinatione duo, actus poſitiuus qui dicit aſſenſum, & negatio certitudinis; aſſenſus eſt de eſſentia opinionis, negatio uero ſequitur ueluti quædam paſſio. Sunt autem paſſiones in duplici differentia, aliæ quę, ex quorundam ſententia, re diſtinguuntur, ac ſeparari poſſunt a ſubiecto; alię quæ re non ſeparantur, ſed ſemper ſunt cum ſubiecto coniunctæ, & huius ordinis eſt formido, uel poſſe eſſe falſum reſpectu opinionis. Quo fit, ut formido nullo rationum probabilium numero, etiam infinito, poſſit ſeparari ab opinione; ſicuti ab equo non poteſt ſeparari, eſſe irrationale.

Secundum fundamentum, cum quæritur, an formido ſit neceſſario cum opinione coniuncta, id præcipue

pue locum habet secundum sententiam Neotericorũ, qui ponunt distinctioné inter fidem humanam,& opinionem ; cum illa interdum habeat assensum sine ulla formidine,hęc uero semper formidinem includat. Nã, qui a principio ob aliquorum sermoné, aliquid cũ formidine credebat,postea,auctoritate crescente,omnem deponit formidinem,& fit fides humana certa ; uerum semper in utroque assensu remanet hoc , quod est intrinsecum cuicunque opinioni, ut etiam humanam fidem complectitur,quod ei possit subesse falsum.Quare , secundum utramque opinionem dubitari potest , an posse deficere,sit opinioni intrinsecum: quod si ita est, ut sane est , inde sequi uidetur assensus dubius, ac proinde formidolosus,seu nõ ita certus,ut ei non possit subesse falsum;assensus inquam cum priuatione certitudinis,saltem speculatiuæ. Vnde formido, quæ censetur esse cum opinione coniuncta , non est assensus partis contrariæ, quia duo assensus contradictoriarum partium nõ possunt esse simul, sed est priuatio illa certitudinis. Atque hæc adnotasse sufficiat .

PRIMA positio , formido non est quid reale positiuum . Est doctrina manifesta,patetque ex dictis : & confirmatur a simili de claudicatione, quæ non est aliquid in re,sed defectus rectitudinis;ita formidatio defectus certitudinis.

SECVNDA positio , opinio non constituitur per aliquid negatiuum,sed intrinsece dicit assensum ad aliquam partem, in quo differt a suspitione. Primo,positiuum non constituitur per aliquid negatiuum , quia negatiuum non potest dare nisi esse negatiuum: at opinio,ut ex eius definitione patet,designat aliquid positiuum,est.n. cognitio quædam,& actus intellectus; igitur. Secundo,nullus actus,uel habitus intellectus constitui potest per negationem: at opinio est actus, habitusve intellectus: igitur. Tertio , de natura entis realis non potest esse,non ens: at opinio est ens reale , negatio vero non ens, negat.n. illud ens, cuius est negatio,

vt

vt cæcitas, aspectum: igitur. Ideo Aristoteles qui posuit priuationem in materia prima, quæ sunt vnum numero, eas distinxit secundum rationem, & dixit esse duo. Quod si dicas, eundem Aristotelem, priuationē appellasse materiæ formam; dicerem, appellasse formā prout eam extrinsece denominat, non quod sit de illius ratione, licet materia eam habeat annexam.

Lib. 1. phys. t. 60. Lib. 2. phys. t. 15.

TERTIA positio, opinio necessario includit formidinem; non quod sit de eius essentia, sed quia eam tanquam passio inseparabilis consequitur. Primo, patet ex communi scriptorum recentiorum doctrina, qui declarantes Aristotelis sententiam, opinionem a fide distinguunt, per formidinem. Secundo, opinio haberi potest de re necessaria, & id non aliunde, nisi quia excludit certitudinem, & intrinsece includit formidinem, igitur: Nam si aliunde esset, maxime quia non est de obiecto necessario: atqui ponimus esse necessarium: igitur. Quod si dicas, haberi per medium necessarium existimatum contingens, hoc nihil est; quoniam ideo opinio apprehendit obiectum vt contingens, quia dubitat de eo, & non ob aliam caussam: erit igitur medium contingens, quod idem est, ac nos de illo dubitare. Confirmatur, per medium probabile potest haberi scientia, vt si per tale medium cognoscamus aliquid esse solum probabile, de hoc enim potest haberi scientia: ergo ad constituendam opinionē opus erit formidine.

QVARTA positio, fides humana & opinio interdum possunt esse idem. Doctrina est manifesta ex ijs, quæ supra non semel diximus. Tunc autem erunt idē, cum humana fides formidinem habebit coniunctam, quam cum non necessario includat, ideo reperiri potest distincta ab opinione, quæ a sola ratione probabili pendet. Vbi nota, non esse necessarium, vt semper formido in opinione actu existat, cum interdum non animaduertatur rationum imbecillitas, vel non considerentur rationes contrariæ. His ita positis, ad argumenta respondeamus.

AD

Ad primum, respondeo negando consequutionẽ: quia opinio non dicit solam formidinem, vt adnotauimus, & probauimus: sed habitum, vel actum, & quidem recte, sicuti priuationem certitudinis oblique: vt patet de lumine remisso, quod includit aliquid priuatiuum & positiuum; cui, si addatur aliquid luminis, non remittitur, sed augetur: verum hoc lumen non habet remissioné intrinsecam, sicuti opinio formidinem, ac proinde quantumuis augeatur opinio, semper aliquid remanebit formidinis. Rursus, afferri potest instantia de suspicione, de cuius essentia est formido, ut aduersarij concederent, & tamen si augeatur suspicio minuitur formido.

Ad secundum, quid ad hoc argumentum respondendum sit, patebit ex ijs, quæ infra dicemus, nunc breuiter respondeo, negando antecedens.

Ad tertium, hoc etiam argumentum soluetur infra, cum docebimus, cur probabiles rationes vtiliter afferantur. Rationes itaque probabiles, sua natura, gignunt cognitionem cum formidine, sed cum intellectus est imbutus scientia, propter quam nullo modo dubitat, tales rationes eam non tollunt.


Ad quartum, primo, si hoc argumentum aliquid probaret, concluderet etiam non posse haberi opinionem de re necessaria, quod cum experientia pugnat, & cum opinione contraria. Deinde, formido, ut diximus, non consistit in hoc, vt aliquis existimet contrarium esse possibile, id quod argumentum probat; sed in hoc, ut aliquis cognoscat conclusionem dubitando de illius veritate, etiam si non existimet contrariam opinionem esse possibilem. Vnde etiam solueres huius argumenti instantias.

Ad quinctum, Aristotelis dictum, non est intelligendum de vera opinione, sed de ignorantia prauæ dispositionis, vt patet exemplo ab ipso allato de Heraclito, qui existimabat omnia esse in continuo motu, q ipse non tenebat ut probabile per opinionem, sed putabat

tabat se scire; & ita habebat ignorantiam prauæ dispositionis, sicuti & Iudæi de Messia venturo, de quo sunt ita certi, vt nos de contrario certi sumus: sed eorum certitudo est humana, cui subest falsum, nostra vero diuina, quæ errare non potest. in summa, iuxta mentem Aristotelis, non formido, sed assensus indifferens est de natura opinionis, vnde ex eius doctrina, hæc consequẽtia non esset bona, assensus est certus, ergo verus: quam tamen iuniores admitterent, si de eo assensu loquamur, qui habetur per fidem humanam, quæ omnem formidinem tollit.

An rationes probabiles aliquid conferant ad producendam scientiam, & cur afferri soleant.

CAP. XXVIII.



SAEPENVMERO in aliqua veritate confirmanda, aut errore refellendo, auctores utuntur rationibus partim probabilibus, partim necessarijs; quorum consuetudo improbanda videtur. Quoniam, aut rationes probabiles ponuntur post necessarias, & tuuc frustra adhibentur, cum iã habeatur euidens rei notitia, cui nihil potest accedere per argumenta debilia & incerta: aut præponuntur, ob hanc causam, vt disponant ad introducendam scientiã, sicuti aliquæ rationes probabiles præponuntur in catechismo rudium, vt præparentur ad recipiendum lumẽ fidei: atqui rationes quæ includunt formidinem, tanquam contrariæ, non habent vim disponendi ad notitiam certam, & euidẽtem, quæ habetur per scientiam: igitur male adhibentur. Quod si dicas istas rationes adhiberi ad gignẽdum habitum opinionis, & necessarias, ad gignendam scientiam; hoc nihil est, quia scientia, & opinio non possunt esse simul, vt infra probabitur. Rursus, ideo probares huiusmodi rationes esse negligendas, quia gignunt opinionis habitum, quo huma-

na mens non perficitur, vt patet ex dictis.

CIRCA hanc difficultatem, quam paucis perstringere volumus, non est vna & eadem scriptorum sententia. Nam aliqui existimarunt rationes probabiles frustra adhiberi, cum adsunt demonstratiuæ. Alij vero crediderunt dialecticas rationes conferre ad producendam scientiam: idque hac ratione nixi affirmãt. quoniam in rebus naturalibus videmus multa fieri ob dispositionem subiecti, quæ ab eodem agente fieri nõ possunt in alijs subiectis. At alij dicunt vtiliter afferri propter eos qui non percipiunt vim demonstrationũ, & quia multi inueniuntur, qui facilius assentiũtur rationibus probabilibus, quam demonstrationi, vt Aristoteles aliquando dixit. verum si quis perfectam habeat demonstrationem, eamque animaduertat, tunc frustra adhiberentur probabiles rationes. Quod si ponatur, rationem probabilem habere vim ad producendum habitum, sicuti ratio necessaria habet, dubitari potest; an, si simul vniantur, duos producerent assensus; an vero vnicum tantum: Aliqui existimant gignere duos, alij vero vnum solum.

Zim. The. 74. Auern. 2. Met. te. 23.

AD huius difficultatis explicationem animaduerdendum est, dispositionem ad aliquam formam suscipiendam esse duplicem; vnam per se & sua natura necessariam, vt est illa quæ necessario & intrinsece requiritur ad effectum producendum, sine qua non produceretur: ut est præuia calefactio ad generationem ignis alteram accidentariam, quam effectus producendus non necessario supponit; ut sunt illæ dispositiones quę producunt effectum per antiperistasim; ut cum per calorem circa terram contrahitur frigiditas ad internas partes terrę, quo fit ut aqua quæ erat calida, frigescat. Hæc duo dispositionum genera, in eo differunt, quod prima dispositio non est cõtraria effectui, siue rei producendę, altera vero maxime; sicuti externus calor, frigiditati in aqua productæ. Opinio respectu scientiæ productæ, non est dispositio per se necessario, quia sine

X ea

ea produci poteſt;ſed per accidens,& extrinſece.Qua ratione vitium dicitur eſſe diſpoſitio ad virtutem, vt ſi aliquis auarus diſponeretur ad liberalitatem, per prodigalitatem,quæ eſt vitium.Hac poſita diſtinctione,has ſubijcio poſitiones.

PRIMA poſitio,opinio per ſe non auget, nec augere poteſt ſcientiam.Primum, quia nullum agens poteſt aliquid efficere vltra vires ſuas; & ideo, cum opinio ſit minoris perfectionis,quam ſcientia,eam augere non poterit. Deinde,quia ſequeretur ſolam opinioné poſſe gignere ſcientiam,quod eſt falſum : ſequela probatur,quoniam id quod adderetur, eſſet ſcientia, omnis.n.actio fit a ſimili:quare,ſi aliæ rationes probabiles adderentur,adhuc aliquis gradus augeretur,& ita ſolis rationibus probabilibus tota fieret ſcientia. Denique, confirmatur a ſimili de actibus virtutis, qui cum ſunt remiſſi non augent habitum,vt communiter docetur, quamuis ſint eiuſdẽ rõnis : quare nec ratio probabilis, ſiue opinio augebit ſcientiã,quæ eſt alterius rationis.

Li. 1.de gener.

D. Tho. 2. 2. q. 52.ar.3

SECVNDA poſitio,rationes probabiles per ſe,& directe non diſponunt ad ſcientiam. Primo, quia alias ſequeretur opinionem poſſe ex ſe introducere ſcientiam,quod iam confutauimus: quare opinio non eſt veluti forma quædam imperfecta quæ diſponat ad ſcientiam, ſicuti qualitas remiſſa eſt diſpoſitio ad qualitaté perfectam. Deinde,diſpoſitio ſecũdum unam ſpeciem, non poteſt hoc præſtare,vt producatur effectus ſpecie diſtinctus; vt diſpoſitio ad calorem, non poteſt efficere per ſe ſaporem,ſed ſolum vt actus fiat intenſior,vel celerior: igitur.

TERTIA poſitio,cum vna ratio probabilis,& vna neceſſaria conueniunt ad eandem rem probandam, non producuntur duo aſſenſus, vel duo habitus, ſed unus habitus,qui non erit ſimul opinio,& ſcientia, ſed ſolum habitus ſcientiæ.Habet hæc poſitio duas partes, quarum prima eſt,quod non generentur duo habitus, quæ ſic probatur. Quia,vt infra dicetur,opinio & ſcien

gia respectu eiusdem conclusionis non possunt esse simul: adde etiam quod mediũ necessarium est fortius, ac proinde producet effectum sibi similem, ad quem producendum indirecte concurret ratio probabilis. Altera vero, quod ille habitus qui producitur, non sit simul scientia, & opinio, eadem ratione confirmatur, Quia repugnat, vt idem habitus sit clarus, & obscurus, certus, & incertus.

QVARTA positio, nullo modo est dicendum frustra adhiberi rationes probabiles ad aliquid probandum, cum de eo haberi potest demonstratio. Primo, quia alias damnaretur consuetudo omnium bonorum auctorum, qui nõ modo tacite, sed etiam expresse hoc faciunt, & speciatim Aristoteles, qui de eadẽ re & demonstratiue, & dialectice disputare solet, vt fecit in primo secundæ Analysis libro, cum docuit dari statum in propositionibus affirmantibus, & negantibus: & in tertio Physico, cum probauit, non dari actu magnitudinẽ infinitam. Et sancti patres & omnes Theologi, addunt rationes probabiles ad confirmandum assensum fidei; quæ eodem fere modo se habent ad fidem diuinam, vt ad scientiam humanam. Deinde, experientia ipsa docet magis confirmari scientiam, cum etiam rationes probabiles adhibentur. Auer. 1. cœl. cõ. 88. Tex. 35 Tex. 4.

QVINCTA positio, rationes probabiles vna cum demonstratiuis, his de causis utiliter adhibentur. Primo, quia aliquo pacto disponunt ad rationes certas percipiendas, & eas aliquo modo iuuãt. Secundo, quia non est facile, etiam viris doctis, cognoscere veras, & perfectas demonstrationes, & argumentorum uires. Tertio, ob ingeniorum varietatem, cum uni una ratio alteri uero altera firmior uideatur. Denique, quia non omnes qui discunt demonstrationum naturam, & uim norunt, ac proinde eas non percipiunt; quo fit, ut etiã probabilia argumenta utiliter usurpentur. Illud tamen admonuerim, non esse opus multis rationibus, ubi aliquæ fuerint certissimæ.

ATQVE ex his facile responderes ad id quod in contrarium adducebatur. Nec propterea tales rationes contemnendæ sunt, quod solum gignant opinioné; cui potest subesse falsum: quia naturæ humanæ satis est, si opinionem habeat, & id teneat, quod per rationes probabiles est euidenter credibile cum ad scientiã perueniri non potest. Quare, licet opinio non sit habitus omnino perfectus, aliquam tamen perfectionem habet, humanæ naturæ consentaneam.

An opinio & scientia possint esse simul in eodem subiecto, eodem tempore, respectu eiusdem rei.
Cap. XXIX.



DE opinione hęc grauissima difficultas explicanda restat, in qua graues auctores inter se dissentiunt. Antequã aũt opiniones & argumenta in contrarium affero, dubitationis statum patefaciã.

PRIMVM igitur animaduertendũ est, hanc controuersiam fieri de opinione proprie sumpta, prout dicit assensum cum formidine, & vt opponitur scientiæ, non solum priuatiue, sed etiam positiue, vt includit assensum quendam.

DEINDE animaduertendum est, tria esse in hac re certa, & vnum dubium. Primo certum est in eodem intellectu posse esse scientiam & opinionem respectu
2. Post. t.44. diuersarum conclusionum, vt plane in Analyticis docuit Aristoteles, sunt enim isti duo assensus disparati, disparata autem simul esse possunt. Secundo, in diuersis hominibus posse esse scintiam & opinionem de eadem re; vt si quis opinetur mundum potuisse esse ab æterno, alius vero pro certo omnino habeat contrarium. Tertio, in eodem homine posse esse scientiam & opinionem de eadem re diuerso tempore; vt, si quid prius cognoscatur per opinionem, postea per scientiã. Restat igitur vt tota dubitatio sit de eadem re, eodem

tempore,

tempore, respectu eiusdem.

RVRSVS animaduertendum est, id quod in dubium venit, tribus modis intelligi posse. Primo, an sciētiæ actus possit esse cum actu opinionis: secundo, an scientia in habitu possit esse cum habitu opinionis: postremo, an habitus vnius, cum alterius: tot enim modis ista duo comparari possunt. Quod autem scientia & opinio possint esse simul eo modo, de quo est dubitatio, his rationibus demonstratur.

PRIMO, certum est fidem diuinam posse esse simul cum scientia humana, vt patet in Philosopho christiano, qui per scientiam noscit Deum esse, & nō amittit fidem: & tamen scientia habet annexam euidentiā, quam fides excludit: igitur eadem ratione opinio & scientia poterunt esse simul.

SECVNDO, ea quæ solum differunt secundum magis & minus, non repugnat esse simul, ut lumen solis & lucernæ in eodem aere: at opinio & scientia solum differunt secundum magis & minus: igitur.

TERTIO, potest aliquis post vnam demonstrationem de aliqua re, habere syllogismum probabilem, quem putet esse demonstrationem, per quem non generabitur scientia, cum non sit demonstratiuus; igitur opinio: Et quia præcedens scientia non corrumpitur, cum hic non intercedat formido; erunt simul opinio & scientia.

QVARTO, habeat aliquis argumenta probabilia, & postea accedat scientia; illa totam vim suam retinebunt; ac proinde vt prius faciebant opinionem, ita & posterius: erit igitur opinio simul cum scientia.

QVINCTO, qui prius habebat habitum opinionis, adueniente scientia, adhuc est dispositus ad disputandum probabiliter de ea re, cuius acquirit scientiam: remanet igitur opinionis habitus.

SEXTO, habitus opinionis & scientiæ solum sunt contrarij in euidentia & formidine: ergo, etiamsi adueniente scientia tollatur formido, adhuc remanebit opi-

nio secundum id quod positiue & intrinsece includit, hoc est, ratione sui assensus, qui non est contrarius scientiæ.

Septimo, quando habetur medium probabile & euidens simul, intellectus nec formidat, nec euidenter cognoscit, sed indifferenter se habet: igitur opinio & scientia simul manent. Confirmatur, quia nec simpliciter dubitatur, nec simpliciter scitur, sed ratione talis medij, quo vel dubitatur, vel scitur; vt si quis per varia perspicilia clarius, obscurisve eandem rem videret. Quare, simpliciter loquendo, opinio & scientia poterunt esse simul. Et hęc sunt argumenta quibus altera propositę quæstionis pars nititur. Hanc difficultatem accurate tractant Theologi, dum quærunt, an fides & scientia possint esse simul, ex quibus, quod ad rem nostram attinet, hæ colliguntur sententiæ.

Prima sententia eorum qui dicunt scientiam & opinionem posse esse simul: ita Alexander Alensis, Bonauentura, & alij: quorum tamen aliqui loquuntur de habitu, alij de actu. Et quoniam Durandus magis exacte hanc opinionem exponit, ideo eius sententiam planius declarando, ad quædam dicta reuocabo. Primum dictũ, si opinio sumatur pro cognitione per mediũ probabile, siue habeatur pro probabili, siue pro necessario; & scientia pro notitia per medium necessarium, opinio potest esse cum scientia, actu, vel habitu. Secundum, si opinio sumatur pro cognitione rei opinatæ, quæ aliter se habere potest, & scientia pro cognitione rei quæ aliter se habere nõ potest, non possunt esse actu simul: quia non potest quis simul existimare rem aliter, & non aliter se habere posse. Tertium, scientia & opinio possunt esse simul, si sumantur pro assensu, non quod per eas eliciantur duo actus distincti, sed vnus, qui sit simul scientia & opinio; cum pendeat a duobus medijs, quorum vnum est probabile, alterum necessarium: quæ sunt veluti caussæ partiales assensus conclusionis; vt accidit, cum a duobus agentibus vnum producitur

Quæst. 1. in pl. sét. nu. 20. & sequ.
Lib. 3. S. d. 31. q. 4.

ducitur lumen. Pro hac ſententia faciunt tria argumenta poſteriora.

SECVNDA ſententia Gregorij Ariminenſis, quę his dictis explicatur. Primum, ſi per actum opinionis intelligatur notitia concluſionis ex medio probabili, poteſt eſſe ſimul actus opinionis cum actu ſcientiæ, atque idem dicendum eſt de habitu. Secundum, ſi opinio ſumatur pro cognitione cum formidine, tunc, nec actus cum habitu, nec habitus cum habitu poteſt eſſe ſimul. Tertium, habitus opinionis, hoc ſecundo modo poteſt eſſe cum actu ſcientiæ. In prol. primi ſent. q. 2. ar. 4.

TERTIA ſententia diui Thomæ in prima ſecundæ, Capreoli, Caietani, Soti in fine libro primi ſecundę analyſis, Scoti, & aliorum, qui exiſtimant opinionem & ſcientiam non poſſe eſſe ſimul in eodem intellectu. Vt quid in re probabili, vt probabilius tenendum ſit, doceam, duo ſtatuam fundamenta. Quæſt. 51. ar. 3. S. d. 25. q. 1. ar. 3. Lib. 3. ſen. d. 29. q. vnic.

PRIMVM fundamentum, hęc duo ſunt inter ſe diuerſa, iudicare medium ex quo infertur aliqua concluſio eſſe probabile, generareque aſſenſum cum formidine, & aſſentiri concluſioni propter tale medium: vt ecce, vir fidelis iudicat ex aliqua ratione inferri probabiliter pluralitatem perſonarum in diuinis, non tamen huic veritati aſſentitur ob tale medium, ſed quia Deus dixit: hæc enim eſt ratio formalis ob quam omnia creduntur. Quo fit, vt iſta duo poſſint eſſe ſimul, vt aliquis exiſtimet concluſionem probabiliter inferri ex aliquo medio, & ſimul aſſentiatur illi per aliquod medium: & ſecundum hanc rationem poteſt ſtare actus cum habitu, & habitus cum actu. D.Tho. 2.2.q.1.

SECVNDVM fundamentum, non eſt vera ſententia, vel opinio, quando aliquis exiſtimat ſe demonſtraſſe per medium neceſſarium, quod eſt ſolum probabile: & ita eius notitia eſt potius error, quam ſcientia, q̃uis illud qđ cognoſcit, ſit verũ, cũ nõ ſit uerũ eo modo quo cognoſcitur. Quia, non ſolũ exiſtimat illã rẽ ſe ita habere, ſed et eſſe impoſſibilem propoſitionẽ cõ-

trariam, quod est falsum: ac proinde totus ille actus est simpliciter falsus. Vnde colligeres, non esse verũ quod aliqui dicunt, scientiam & opinionem esse simul in casu posito, cum potius sit error. Similiter non videtur verum, quod per duo media diuersa, circa idem concurrentia duo producantur actus, cum idem intellectus simul & semel non possit producere duos actus, si de vi naturæ, naturalibusque actibus loquamur. Sed iam ad positiones accedamus, in quibus aliquid dicemus de scientia & fide diuina, non quod hoc ad nostrum pertineat institutum, sed vt indicemus non esse parem omnino rationem de fide diuina, & humana, siue de opinione.

PRIMA positio, habitus fidei diuinæ, & scientiæ humanæ possunt esse simul in eodem, & de eadem re. Quoniam Philosophus Christianus de hac veritate, Deus est, habet habitum fidei, & scientiæ: nec enim amittit fidem, qui sciẽtiam de existentia Dei acquirit. Atque eodem etiam exemplo probares, habitum fidei posse esse cum actu scientiæ, & contra, habitum scientię cum actu fidei: vnde tota difficultas est de vtriusque actibus, an possint esse simul.

SECVNDA positio, licet probabile sit de eadem re non posse haberi actum fidei & scientię: tamen contrarium est multo probabilius. Quod sit probabile patet: quia id affirmant viri grauissimi Thomęi & Scotei nixi bonis rationibus, & aduersariorum argumentis re-
Alex. spondent. Quod contrarium sit probabilius, pręter au-
Bon. ctoritatem bonorum auctorum, duplici ratione con-
Dur. firmo, alijs omissis. Primo, quia sequeretur Philosophũ Christianum, acquisita scientia alicuius articuli, vt de existentia Dei, de animorum immortalitate (possunt enim aliqua quæ naturaliter sciuntur, sub fidem cadere) non tam certo credere, vt antea credebat, si verum
Lib. 3. est id, ꝙ etiã aduersarij concedunt, & nos alibi docui-
Int. in mus, Maiorem esse fidei certitudinem, quam scientiæ.
Theol. Quare, si iste non habet actum fidei, erit minus certus.

Secundo,

Secundo, quia sequeretur, eundem amittere meritum fidei, cum tamen potius augeatur: sequela patet, quia sublato actu, tollitur meritum. Nec valet, quod dicũt, manere in præparatione animi; tum quia ista præparatio non est actus fidei, sed voluntatis; tum quia non omnes habent istam præparationem, de qua etiam deberet dari præceptum per aliquod decretum; vt, habita demonstratione, ista præparatio haberetur. Sed de his latius Theologi. Eccl. 14

TERTIA positio, etiamsi concederetur, potentiam intellectiuam duos actus simul posse producere, adhuc tamen scientiæ & opinionis actus non possunt esse simul de eadem re, in eodem. Primo, quia alias sequeretur in eodem esse simul contraria & contradictoria, quod implicat: sequela est manifesta, quia opinionis actus est ineuidens, incertus, & cũ formidine; actus vero scientiæ cõtra: igitur. Nec ẽt esse potest, vt intellectus per euidentiam scientiæ, non corrigat incertitudinem & ineuidentiam opinionis, vt patet experientia, quia qui nouit per medium necessarium nullo modo dubitat: igitur caret opinione. Secundo idem patet ex Aristotele, qui in analyticis plane docuit opinioné & scientiam non posse esse simul. Quod si aduersarius interpretetur philosophi dictum, Per idem medium, hoc non videtur verum, quia Aristoteles, nihil diceret, cum de hoc, quod sit per idem medium, nulla possit esse dubitatio. Adde etiam, quod ob hanc vnam caussam id negat, quia repugnat intellectum simul & semel videre vnam & eandem rem posse aliter se habere, & nõ posse aliter se habere: quod etiam valet, quando sunt duo actus simul. Denique, si possunt esse simul propter diuersa media, possent etiam per vnum, & idem, quod omnes iure negant: sequela probatur. Quia, si quis per diuersa media haberet scientiam & opinionem, canem esse latrabilem: deinde, si per hoc medium inferat aliã conclusionem, vt quia canis latrat, ideo esse sensibilé, hæc conclusio habebitur per opinionem & scientiam, Lib. 1. post. c. vlt.

&

& per idem omnino medium.

QVARTA positio, in eodem intellectu, non possunt esse simul respectu eiusdem conclusionis habitus scientiæ & opinionis. Primo, habitus opinionis & scientiæ sunt contrarij, cum vnus dicat euidentiam & certitudinem, alter vero contra: igitur inter se expellunt. Secundo, quia eadem videtur esse ratio actuum, & habituum: at actus, vt est probatum, non possunt esse simul: igitur nec habitus. Neque enim alia est via ad inuestigandam naturam habitum, nisi per actus. Tertio, si possent esse simul, sequeretur posse dici eundem intellectum respectu eiusdem conclusionis esse certum & incertum, euidentem, & inueuidentem, dubitare & certo scire: quæ omnia inter se pugnant. Postremo, idẽ confirmare licet inductione in habitibus moralibus: nam habitus vitij excludit habitum virtutis, & contra, non aliam ob caussam, nisi quia sunt contrarij: igitur. Et vt quę probabiliter statuimus, adhuc magis confirmentur, ad argumenta in contrarium allata respondeamus.

D. Tho. 2.2. q. 1. ar. 3. Heb. 11. AD primum, primum aliqui dicerent, Deum esse, non pertinere ad articulos fidei, sed esse præambulum fidei. Deinde dicimus non esse parem rationem, de fide diuina, quæ est certissima, & certior, quam scientia, & de opinione, & fides sit supernaturalis, scientia vero naturalis; ac proinde possunt esse simul: at vero opinio est eiusdem ordinis, & cum sint res cõtrariæ in eodem genere simul esse non possunt.

AD secundum, imperfectum non potest manere cũ perfecto, cum sua imperfectione. Neque est par ratio de illis duobus luminibus, & de scientia & opinione: Quia lumen lucernæ ita est imperfectum, vt non includat necessario imperfectionem, cum possit perfici, & remanere lucernæ lumen: at opinio essentialiter includit imperfectionem: quare lucernę lumen potest stare cum lumine solis, non autem opinio cum scientia.

AD tertium, per illum syllogismum generatur error

rot vt adnotauimus: neq; .n. generatur scientia, cum nõ sit medium scientificum, non opinio, quia nulla adest formido, quæ est de essentia opinionis.

Ad quartum; media probabilia nihil efficiunt ob ineptitudinem subiecti, quod non est capax maioris perfectionis, vt si quid esset calidum vt octo, ei apponeretur calidũ vt quattuor, hoc nihil in eo produceret.

Ad quinctum; in eo casu non remaneret habitus opinionis: & quia facilius discurritur medijs probabilibus, quam per scientiam, cum facilius sit opinari, quam scire; ideo ille posset probabiliter disserere, etiamsi nullus sit habitus.

Ad sextum, illa duo non distinguuntur inter se; nisi iuxta modum cogitandi nostri intellectus, cum a parte rei cognitio et talis cognitio, idem sint. Quare, vt talis cognitio non potest esse cum tali cognitione; ita nec simpliciter opinionis cognitio cũ cognitione scientiæ. Sicuti calor & frigus non sunt contraria vt sunt qualitates, sed ut sunt tales qualitates, maxime; & ideo non possunt esse simul. Vnde in eo decipitur, qui ita arguit, quod ab opinione separata formidinem, et considerat gradum genericum nudum communem scientiæ et opinioni, cum remota formidine, non sit amplius opinio.

Ad septimum, negatur illum se habere indifferenter, quia inter contradictoria non datur medium: Quare, vel dubitabit, et sic carebit scientia, vel certo sciet, et sic aberit opinio: vnde neque ab vtroque abstrahet, neque vtrumque cõiunget. Quod si aduersarius dicat, istum non dubitare simpliciter, sed ratione talis medij, neque esse certum absolute, sed respectu demonstrationis, hoc nihil est quia licet intellectus possit iudicare conclusionem probabilem inferri ex medio probabili, et necessariam ex necessario: nunquam tamen poterit probabiliter assentiri cõclusioni ratione medij probabilis, si simul habeat medium necessarium: at vero opinio non est sita in illo iudicio, quo iudicatur ex medio

dio probabili probabiliter inferri conclusionem, sed in eo, quod assentiatur cum formidine ex medio probabili. Ex quibus patet etiam ad confirmationem. Atque ex dictis colligeres, non posse esse simul habitum opinionis, & actum scientiæ: quia vnus actus scientiæ generat habitum, qui opinionem excludit. Similiter nec habitus scientię & opinionis actus simul esse possunt, modo recordemur scientiæ: quia eadem sequerentur supra numerata incommoda. Quod si obliti essemus, habitus scientiæ, opinionis actus cum eo esse poterit: quia per vnum actum opinionis non generatur habitus, quo remoueatur habitus scientię. Patet igitur qua ratione scientia esse queat cum opinione: potest enim solum esse scientia habitualis, cuius obliti sumus, cum opinione actuali. Quod si opinionis actus frequententur, ita vt habitum gignerent, auferetur scientia: & si recordaremur scientiæ corrumperetur opinio; de qua tot dixisse sufficiat, ac etiam de tota hac parte nostræ Isagogæ, in qua de natura scientiæ & opinionis disputationem institueramus.

Libri secundi finis.

INTRO-



INTRODVCTIONIS in vniuersam Philosophiam

LIBER TERTIVS:

In quo de præcipuis Philosophorum scholis, atque Philosophiæ magistris agitur.

De Ionica, & Italica Philosophia. CAP. I.



PHILOSOPHIAE operam daturo, aliquam de præcipuis Philosophorum scholis, sectisve notitiam esse necessariam, prudens negaret nemo; idque ex ipsa susceptæ rei explicatione omnino perspicuum fiet. Quare in hac nostra Pędia de insignioribus Philosophorum disciplinis, aliquid nobis scribendum esse existimauimus: ita tamen, vt rem de qua late scribi posset, paucis complexuri simus: plura qui uolet, quos nunc subijciam, eos auctores legat.

PRIMVM igitur legendus est Diogenes Laertius de vitis Philosophorum: M. Tullius in omnibus fere libris de Philosophia, & speciatim in Academicis, & de Finibus: Eusebius Cæsariensis, in lib. de præparatione Euangelica: Clemens Alexandrinus in libris Stromatum: Cyrillus contra Iulianum Augustum: Theodoretus de curadis græcanicis affectionibus: Plutarchus de placitis Philosophorum: Augustinus libro octauo de

ciuitate

ciuitate Dei: Ioan. Franciscus Picus in lib. de uanit. doctrinæ gentium, Eunapius, & denique ut alios omittã, Franciscus Georgius in suis canticis: Sed iam rem ipsam aggrediamur.

Ioan. Saleb. in polycr. lib. 6.

Cvm itaque, vt primo libro docuimus, Philosophia apud Aegyptios, & Chaldæos culta fuerit, duo extiterunt, qui primo eam ad alias nationes transtulerũt, Thales, a quo Ionica philosophia sumpsit exordiũ, & Pythagoras a quo Italica: vnde aliæ dimanarunt sectæ, vt postea docebo.

Thales fuit natione Phœnix, qui Miletum Ioniæ vrbem antiquissimam bonarum artium cultricem venit, ibique ciuitati adscriptus fuit; vel, vt alij volunt Mileti ex claro genere natus est, a mundi creatione anno 3560. Olympiade quinquagesima. Fuit Physicus insignis, Astrologus, & Geometra. Hic primus Græcos, Astrologiam, & Geometriam ex Aegypto delatam docuit: primus in Græcia æquinoctia, & solistitia obseruauit, solisque defectionem prædixit. Vide quam diu Græci ignorauerint, quæ alijs erant notissima. Fuit vnus ex septem Græciæ sapientibus, cui socij dantur, Solon, Chilon, Periander, Cleobulus, Bias, & Pittacus. Princeps, ait Tullius, Thales, vnus ex septem, cui sex reliquos consensisse ferunt, ex aqua dixit constare omnia. Et alio loco, Thales.n. Milesius, qui primus de talibus rebus quæsiuit, aquam dixit esse initiũ omnium rerum; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Is, vt obiurgatores suos conuinceret, ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, peccuniam comparare posse, olearum vbertatem animaduertit, & omnem oleam antequam floreret, coemit. Idem, vt est apud eundem dicebat, homines existimare oportere, omnia quæ cernerét Deorum esse plena: fore.n. castiores, velutique in fanis essent, maxime religiosos. Est enim quadam opinione species Deorum in oculis, non solum in mentibus. Interrogatus, quid esset omnium difficillimum, seipsum noscere,

Cic. li. 1. de diu.

Lib. 2. Acade. quæst.

Li. 1. de na. Deo.

Li. 2. de diu.

Li. 2. de leg.

noſcere, reſpondit. Item, laterent ne Deos male agentes, nec cogitantes quidem dixit. Denique, eos honeſtiſſime viuere, quæ qui in alijs reprehenderent, ipſi non facerent, Extant & aliæ apud Laertium ab eodem ſapienter prolatæ ſententiæ. Eius temporibus, Ezechiel & Daniel apud Hæbræos floruerunt: apud Athenienſes legislator Solon: apud Syros Pherecydes Pythagoræ præceptor, & Pittaci diſcipulus: Tarquinius Priſcus, & Seruius Tullus apud Romanos. Vixit annos nonaginta, cui ſucceſſerunt Anaximander, Anaximanes, Anaxagoras, Archelaus, a quo primum Athenas Philoſophia translata fuit, & Socrates Platonis præceptor, a quo initium habuit Academia, vt poſtea dicetur. Et hic fuit Ionicæ ſcholæ progreſſus.

QVID illi duo priores Thaletis diſcipuli, qui ambo fuerunt Mileſij, de rerum principijs ſenſerint, his verbis expoſuit Tullius, cum de magiſtri ſententia prius dixiſſet. At hoc Anaximandro populari, & ſodali ſuo, non perſuaſit (aquam nimirum eſſe rerum principium). Is enim infinitatem naturæ dixit eſſe, ex qua omnia gignerentur. Poſt eius auditor Anaximanes infinitum aera, ſed ea quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Eorundem ſentententiam de Deo, his verbis idem Tullius expoſuit, Anaximandri autem opinio eſt, natiuos eſſe Deos, longis interuallis orientes occidenteſq; eoque innumerabiles eſſe mundos. Sed nos Deum, niſi ſempiternum, intelligere qui poſſumus? Poſt Anaximanes aera Deum ſtatuit, eumque gigni, eſſeque immenſum, & infinitum, & ſemper in motu. Quaſi, aut aer ſine vlla forma Deus eſſe poſſit, cum præſertim Deum non modo aliqua, ſed pulcherrima ſpecie eſſe deceat; aut non omne quod ortum ſit, mortalitas conſequatur. Sed iam de Italicæ philoſophiæ auctore, ac progreſſione dicamus.

Li. 1. de na. Deo.

PYTHAGORAS, ſic nominatus, vt aliqui volũt, quod non minus vera, quam Pythij Apollinis oracu-

lum

lum loqueretur, cuiusnam fuerit non, a satis cōstat: nā alij Samiū faciunt, alij Hæbræum, alij Etruscum. Illud pro certo habetur, omnibus qui eum antecesserunt Philosophis maiorem, consequentibus vero, doctrina & auctoritate non inferiorem fuisse; vt merito de eo cecinerit Ouidius.

Lib. 15. Met.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit,
Vsibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

De huius Philosophi temporibus variant scriptores; sed, qui a sexagesima ad septuagesimam usque olympiadem eum floruisse dicunt, magis ad uerum accedunt. Is sapientiæ perdiscendæ caussa in Aegyptum, in Persidem, & in Indiam se contulit; & ita in Danielem incidere potuit, cuius fama ea tempestate celebris erat: &, vt aliqui referunt, in diuinis litteris est versatus. Primus Musicæ principia ad artem reuocauit: Pondera & mensuras inuenit: Arithmeticam, & Geometriam præcipue excoluit: & Crotoniatibus leges dedit. Discipulos habuit non pauciores sexcentis, qui noctu ad eum confluebant: apud quos quantum eius valuerit auctoritas, illud fuit indicio, quod pro vero haberent id, quod ipse dicebat; ac etiam de longa taciturnitate præceptum. In huius Philosophi discipulis male a nonnullis ponitur Numa Pompilius secundus Romanorum Rex; cum is centum annis fuerit Pythagora vetustior. Docuit in Italia ad eam oram, quæ Gallogræcia est appellata; vbi suæ sectæ iecit fundamenta. Ad quem Lucanij, Picentes, Mesapij, & Romani disciplinæ caussa se conferebant. Quod ad eius monumenta attinet, multa extāt apud scriptores symbola, hoc est, sapienter dicta, metaphoris inuoluta, vt hæc, Hirundines domo pellito. i. adulatores. Ignem gladio ne fodito, id est potentium iram ne commoueas: Noli gustare ea, quorum cauda est nigra, hoc est voluptates: conuerso ad solem vultu non esse mingendū, idest contra veritatem non standum. Illud etiam ab eodem benedictum fuisse ait Tullius, tum maxime, &

Ci. Tusc. 4. & 5. & lib. 5 de fin. Clem. Alex. 1. stro.

Li. 2. de legib.

pietatem

pietatem & religionem versari in animis, cum rebus diuinis operam damus. Extant etiam quadam carmina sapientiæ & eruditionis plena, quæ eidē tribuũtur.

De Pytagora huismodi extat elogium apud M. Tullium. Nec vero Pythagoras nominis (Philosophiæ nimirum) inuētor, sed rerum etiam amplificator fuit. qui cum post hunc Philiasium sermonem in Italiam venisset, exornauit eam Græciam, quæ magna dicta est, & priuatim & publice præstantissimis & institutis & artibus. Et alio loco, Erat enim illis pene in con spectu, præstanti sapientia, & nobilitate. Pytagoras, q fuit in Italia temporibus ijsdem quibus L. Brutus patriã liberauit, præclarus auctor nobilitatis tuæ. Pythagoræ autem doctrina, cum longe, lateque flueret, permanauisse mihi uidetur in hanc ciuitatem; idque cum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis est enim, qui putet, cum floreret in Italia Græcia, potentissimis & maximis vrbibus ea, quę Magna dicta est, in hisque primum ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorum, tantum nomen esset; nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse? Quinetiam arbitror, propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum. Id de quo suspicionem habuit Tullius, aperte affirmauit Laertius, Romanos temporibus Pythagoræ Philosophatos fuisse. Ex quo loco plane intelligere licet, temporibus Pythagoræ Romanos sublato regno, temp. instituisse. Eodem tempore Hebræi templum instaurarunt, prophetantibus Zacharia, Aggæo, & Malachia, qui ex Prophetis ultimi fuerunt. Vnde colligeres, iuxta communem de scientiarum progressione sententiã quanto Hebræorum sapientia fuerit antiquior, quam Græcorum, & Italorum, cum tunc hæc nasceretur, quando illa erat vetustissima: siquidem qui vltimi prophetarunt, fuerunt Græcorum primis sapientibus vetustiores. De huius Philosophi obitu varie scribitur,

Tus. 5.

Tus. 4.

Idē Tus. 1.

vt apud Laertium videre licet. Atque hæc pauca de Pythagora libasse sufficiat: fuit itaque Italicæ familiæ primus auctor Pythagoras: cui successit Thelauges filius, ei Xenophanes, huic Parmenides, Parmenidi Zeno Eleates, Zenoni Leucippus, ei Democritus, quem audiuit Mausiphanes Epicuri præceptor; alterius sectæ auctor, de quo infra scribetur.

AD scholam Pythagoream reuocares etiam Eleaticam, sic nuncupatam ab Elea ciuitate Lucaniæ, vbi culta fuit. Atqui ex quorundam sententia Pythagoræ sectatores hi perhibentur, Theano uxor, Thelauges filius Empedocles, Epicarmus, Archita Tarentinus, Alcmæo Crotoniates, Hyppasus Metapontius, & Philolaus. Eleaticæ vero scholæ hi, Xenophantes, Parmenides, Melissus, Zeno Eleates, Leucippus, & Democritus: quo etiam tempore Hippocrates Medicorum princeps, & Heraclitus floruere.

De quibusdam Ionicæ & Italicæ Philosophiæ successoribus. Cap. II.



DIXIMVS de Ionicæ & Italicæ Philosophiæ auctoribus; sequitur nunc, qt aliquid priuatim de successoribus dicamus. Et quoniam longum esset, si de singulis agere vellemus, propterea solummodo de aliquibus illustrioribus agemus, nimirum de Heraclito, Anaxagora, Democrito, Parmenide Empedocle, & Socrate.

HERACLYTVS, fuit patria Ephesius, homo animo erecto, rerum contemptor, acerrimus morum censor, atque inanium laborum, & calamitatum humanarum deplorator. Se omnia scire, atque ex se didicisse dicebat. Scripsit de natura librum, in quo de vniuerso, de rep. & de Theologia agebatur: ita tamen obscure de industria scripsit, vt non facile intelligi posset: ac proinde ad eius scripta intelligenda Delio quopiã

Cic. 2. de fin.

natatore

natatore opus esse, Socrates dicebat: ob quam causam Scotinos, hoc est tenebricosus fuit nominatus. Omnia ex igne, tanquam ex prima materia fieri, & in eũdem redire, atque in perpetua mutatione ac fluxu consistere existimauit. Hinc Tullius, sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, vt opinor, sequentes: quem ipsum non omnes interpretantur vno modo: qui quoniam, quod diceret intelligi noluit, omittamus. Ex quibus intelligeres, cur idem Tullius libro primo de nat. Deor. dixerit, Nec tu me cœlas, vt Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus. Tanta fuit celebritate clarus, vt etiam a Dario Hystaspe Persarum rege, epistola, quæ apud Laertium exstat, fuerit inuitatus: at ipse sua sorte contentus, proficisci noluit. Floruit ab olympiade sexagesimaquarta, ad sexagesimam nonã: annos vixit sexaginta. Li. 3. de na. Deo.

ANAXAGORAS Pherecydis Syri discipulus, rerum domesticarum cura posthabita, ad Aegyptios profectus est, eorum vt mysteria cognosceret. Is ad materiam rerum omnium subiectum, primus adiecit mẽtem, tanquam caussam efficientem, quæ ex minutissimis particulis omnia scernendo procreauit. Anaxagoras, ait Tullius, materiam infinitam, sed eas particulas similes inter se, minutas, eas prius confusas, postea in ordinem adductas, mente diuina, de rebus cœlestibus non probabiles habuit opiniones; nec de natura diuina, vt idem ait. Animorum immortalitatem, & Deum mundi opificem primus Græcos docuit: quod si verum est, vide, quæso, quanta antea fuerit Græciæ sapientia, cum ea ignorauerit, sine quibus honeste viuere, & felicitatem assequi potest nemo: quarum rerum sublata notitia, vniuersa ruit sapientia. Librum in quo de physiologia egit, a Deo auspicatus est, & in eundem finiuit: quem sub Mentis vocabulo in nobilioribus naturæ effectibus, ut res instituentem & moderantem, semper considerare iubebat, ob quam caussam Mens Lib. 2. Acad. quæst. Li. 1. de na. Deo.

Ci.Tus. 5. cognominatus est: quod præceptum Plato in Timæo obseruauit. Cum veritatis cognoscendæ caussa priuatę & publicæ rei curam abiecisset, cuidam obtrectanti, Nulla ne tibi Patriæ cura est? respondit, Mihi uero Patriæ cura, & quidem summa est, digitum in cœlum intendens. In patriam ex peregrinatione reuersus, cum possessiones desertas uidisset, non essem, inquit, ego

Ci.Tus. 5. saluus, nisi istæ perijssent. Eundem, nuntiata filij morte, dixisse ferunt, sciebam me genuisse mortalem. Vnde intelligi potest, quantum animi prouisio, & præparatio ad calamitates æquo animo ferendas valeat. Cũ Lampsaci annum septuagesimum secundum agẽs moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in

Ci.Tus. 1. patriam, si quid accidisset, afferri, Nihil necesse est, inquit: vndique enim ad inferos tantundem est viæ. Floruit Anaxagoras ab Olympiadę septuagesima, ad octogesimam. Discipulos habuit, Archelaum, Euripidem poetam, & Periclem Atheniensium principem.

Democritvs Milesius ex patre homine ditissimo natus, qui hospitio Xersem Persarum regem excepit; habuit primum præceptores quosdã Magos, & Chaldæos sibi a rege relictos: tum ad Leucippum,

Ci.Tus. 4. lib. 5. de fin. & vt alij volunt, ad Anaxagoram se contulit. Is, vt a nõ nullis scribitur, diuisa cum fratribus substantia, & minore sibi parte electa, in Aegyptum ad sacerdotes, in

Ci.Tus. 5. Persidem ad Magos, & in Indiam ad Gymnosophistas sapientiæ comparandę caussa profectus est. In patriam reuersus, cum summa inopia, incognitus, de quo gloriari solebat, uitam degit. Et vt naturæ secreta melius per

Tus. 5. uideret, se occæcauit. Sine varietate colorum, ait Tullius, licebat uiuere beate: sine notione rerum non licebat: & cũ alij sæpe quod est ante pedes non uideant, ille infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate cõsisteret. Fuit adeo eruditus, ut πένταθλος hoc est, quinque certaminum fuerit nuncupatus. Nam naturalia, moralia, Mathematica, liberalium disciplinarum rationes, artiumque omnium peritiam callebat.

Quid

Quid loquar de Democrito? Tullius loquitur, quem cum eo conferre possumus? non modo ingenij magnitudine, sed etiam animi: Qui ita sit ausus ordiri, Hæc loquor de vniuersis: nihil excepit, de quo non profiteatur. Quid enim esse possit extra vniuersa? Cuius sententiam de mundi, & rerũ exordio, his verbis expressit. Ille atomos quas appellat, idest corpora indiuidua propter soliditatem censet in infinito inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, ita ferri, vt concursionibus inter se coherescant; ex quo efficiantur ea, quæ sint, quæque cernantur omnia, eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex æterno tempore intelligit conuenire. At vero cum de natura diuina disputat, eius sententiam refellit, & inscite nugari ait, atque opinionem de illis corpusculis leuibus, asperis, rotundis, partim angulatis, partim curuatis, & aduncis, quã etiam Leucippo tribuit, flagitia appellat. Democritus auditis miserabilibus fortunæ casibus, in risum prorumpebat, vt Heraclitus in fletum, ideo Gelasinus nominatus fuit. Floruit ab octogesima Olympiade ad nonagesimam vsq;: obijt annum centesimum & nonum agens, cum octoginta annos abfuisset a patria.

Lib. 2. Acad. quæst.

Li. 1. de fin. & li. 2 aca. q.

Li. 1. de na. Deo.

Cle. lib. 5. Stro. Euf. lib. 10. Præp. c. 2.

PARMENIDES, Eleates, Xenophanis, vel, vt alij scriptores volunt, Anaximandri auditor, Ameniæ tamen Pythagorici sectator: a quo, licet genere & opibus esset illustris, ad quietam vitam fuit adductus. Posuit duo rerum principia, ignem vt opificem, terrã ut materiam. Hominis generationem ex sole, quem calidum & frigidum esse dicebat, ortum habere putauit: animam & Mentem, immo omnia secundum rationem idem esse existimauit: cuius de Deo commenticiam opinionem refert, & refellit Tullius. Iudicium in sola ratione posuit, & ita sensus minus exactos ad iudicandum existimauit. De huius Philosophi nomine Plato dialogum quendam inscipsit. Auditorẽ habuit Melissum; floruitque eodem fere tempore cũ

Li. 1. de na. Deo.

Democrito, post octogesimam olympiadem.

EMPEDOCLES genere Siculus, patria Agrigêtinus, secta Pythagoreus, magister Gorgiæ Rhetoris insignis: artis oratoriæ inuentor, ex Aristotele, qui eũdem operibus superiorem facit Anaxagora, ætate vero inferiorem. Fuit etiam Medicus insignis, & sexcentos versus de medicina scripsit. Rerum principia hęc
Lib. 1. Acad. q. puulgata & nota, quattuor posuit, vt Cicero ait, quattuor nimirum elementa. Animam, eodem referente, sanguinem in corde fusum esse existimauit: omnia, si
Li. de fato. eidem credimus, fato fieri putauit, vt etiam Democritus, & Heraclytus. De natura diuina, Empedocles in-
Li. 1. de na. Deo. quit Tullius, multa alia peccans, in Deorum opinione turpissime labitur: quattuor. n. naturas, ex quibus omnia constare vult, diuinas esse censet. Multa de Philosophia, & Medicina litteris commendauit, & Xersis in Græciam transitum carmine exposuit. Floruit olympiade octogesima prima, eodem fere tempore, quo tres commemorati Philosophi: alij sexaginta, alij centum, & nouem annos vixisse contendunt.

SOCRATES, patria Atheniensis, statuarij filius, miles strenuus, popularis homo, oratoria arte insignis, quam docere prohibitus fuit: philosophorũ princeps, vt ait Tullius: a quo multa mirabiliter diuinata fuere, & inter alia, sui obitus dies. Anaxagoram, Damonem, & Archelaum in physicis habuit pręceptores, sed physice, quam minus utilem esse animaduertit, relicta, ita se totum Ethicę tradidit, vt eius auctor existimatus fuerit Socrates autem primus, inquit Tullius, philosophiam deuocauit e cœlo, & in urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebusque bonis & malis quærere. Quare e statuario morum euasit magister, & socraticæ disciplinæ auctor. Vnde damnare solebat homines, quod curarent, lapides similes hominũ reddere, & ne ipsi lapides essent, non curarent. Fuit itaque vir prudens, & eruditus, & Pythiæ testimonio, hominum sapientissimus iudicatus:

eus:& adeo frugi,ac continens,vt, quamuis pestis sæpe Athenas inuasisset, nunquam ab ea tactus fuerit. eum execrari solebat,qui primus vtilitatem a natura, hoc est a recta ratione seiunxit:summum enim hominis bonum in una virtute consistere putauit, & voluptatem nullo loco numerauit Natus est anno quarto olympiadis septuagesimæ septimæ:quo tẽpore apud Hebræos Esdras,& Neemias floruere. Moritur septuagenarius, anno primo Olympiadis nonagesimæ quinctæ. Mortis iniusta caussa,fuit vnius Dei contra deorum multitudinem confessio. Moritur in carcere, cicutæ veneno extinctus: cum tamen prius multa de animorum immortalitate disseruisset: tanta constantia mortem obiuit,vt non tam ad mortem trudi,quam ad cœlũ ascendere videretur cuius constantiã mirifice laudauit Tullius. Vxori dicenti, iniuste morieris: at tu, inquit, iuste velles. Et cum iam tempus moriendi instaret,rogatus a Critone quemadmodum sepeliri vellet, Multam vero,inquit operam,amici,frustra consumpsi: Critoni enim nostro non persuasi,me hinc auolaturum, neque quicquam mei relicturum. Verumtamen Crito, si me assequi potueris,aut sicubi nactus eris, vt tibi videbitur sepelito: sed,mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero,consequetur. Ob Socratis mortem, & Athenarum,& totius Græciæ calamitates & interitũ sequutum esse nonnulli scribunt. Discipulos præter alios habuit Platonem,Xenophontem, & Antisthenẽ, ac etiam Aristotelem.

Cic. lib. 5. de leg.

Cic. lib. 2. d fin.

Cic. Tus. 1.

Eunap.

De ionica Philosophia in varia genera dissecta, deque Academia ortu. Cap. III.



ONICA philosophia, quæ temporibus Socratis meliorem quandam formã Athenis,vbi iam priuatim colebatur,habere cœpit,eo vita functo,in alia tria fuit dissecta genera,in Academicum, in Peripa-

ripateticum,& in Stoicum,quibus adderes Epicureũ, licet aliqui aliunde fluxisse putent. Quæ genera, non modo ex rebus ipsis, sed etiam ex disserendi ratione
Tusc. 5. ortum habuere, vt aliquando non obscure indicauit Tullius: cuius sententiam deinceps planè explicabimus.

SOCRATES ita philosophari solebat, vt nihil asserẽdo,totus in rerum inquisitionem incumberet,Hic (de Socrate loquitur Cicero) in omnibus ferme sermonibus, qui ab ijs qui illum audiuerunt, præscripti varie copioseque sunt, ita disputat,vt nihil affirmet ip
Lib. 2. acad.q̃s. se, refellat alios,nihil se scire dicat,nisi id ipsum.Et Lucullus apud eundem, Socrates autem,de se ipse detrahens,in disputatione tribuebat ijs,quos volebat refellere:ita,cum aliud diceret,atque sentiret, libenter vti solitus est ea dissimulatione,quam Græci ironiam vocant.Et hanc Socraticam disserendi formam, in prima schola Tusculana se sequi velle Tullius ait. Eadem Socratis ironia,qua scientiam dissimulans in omnem partem se differendo vertebat,nihilque ex se,sed aliorum confessione cõcludebat,eius discipulo Platoni placuit: quod plerique eius sectatores factum ideo putarunt, quia de rebus omnibus dubitasset; tametsi qui illi in Academia vsque ad Arcesilam successerunt, Speusippus,Xenocrates,Palemon & Crates,dissimulationi potius scientiæ,quam dubitationi id tribuerunt, & hæc Philosophandi ratio,a Platone vsurpata, Academiam constituit,vt postea planius dicetur.

AT vero Arcesilas Cratetis discipulus palam omnem scientiam negauit; & nouam Academiam constistituit;cui Zeno Citticus, eiusdem Cratetis auditor se se opposuit,& opinionem Academicis nouis omnino contrariam inuexit.Nam cum illi, quod ad cognitionẽ attinet,nihil percipi posse dicerent;quod vero ad appetitionem,nihil suapte natura honestum, aut turpe, sed solum humano instituto & voluntates putarent: Zeno contra, tam multa vt certa & indubitata admittebat,

vt etiam insomnijs fidem habendam esse diceret: & turpia ab honestis tanta seueritate discernebat, vt quoduis delictum nefarium scelus, & omnia peccata paria esse contenderet.

ATQVI Aristoteles media quadam via ingressus, tanquam iustus arbiter, docuit plurima esse indubitata & per se nota; alia adeo certa, vt nulla ratione conuelli possent; in quibus bonarum artium & scientiarum prima dogmata consistunt: alia, quæ etsi certa essent sua natura, aliunde tamen posse admittere inconstantiam; quæ etiam Philosophorum curæ voluit esse subiecta; alia denique quæ vtranque in partem cadere possunt, de quibus nulla est certitudo, & ars nulla. Quod vero ad mores attinet, affectus ad mediocritatem redactos, non damnauit, nec tanquam malos resecandos putauit, cum sint veluti instrumenta quędam ad multas actiones exercendas a natura tributa; virtutemque nō ex suo sensu, sed ex recta ratione metiendā putauit. D. Paris.

EPICVRVS vero, cum ipse doctrinis non esset instructns, & alios a studijs ad otium, hoc est ad vitiorū omnium fontem traducere vellet, Dialecticam contempsit, quæ vna continet omnem, & perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam, & iudicandi quale quidque sit, ac ratione, & via disputandi; vt in dicendo, ut mihi quidem videtur, (ait Tullius) nec ea quæ docet, vult vlla arte distingui. Virtutem vero funditus euertit, vt planius de eo speciatim agendo dicetur. Cic. lib 1. & 2. de fin. En igitur vt quattuor, ex diuersa philosophandi ratione, diuersa Philosophiæ enata sunt genera; quæ partim a locis, partim a personis, & ab actionibus nomina sunt sortita, Academicum, a Platone; Peripateticum ab Aristotele, Stoicum a Zenone, & Epicureū ab Epicuro.

VT autem quæ diximus, planius exponamus, animaduertendum est, olim Athenis, quæ ciuitas, a temporibus Socratis, fuit veluti bonarum artium emporium, tria fuisse magis celebrata Gymnasia, in quibus Philosophia tradebatur, Academiam, Lycæum & Stoā.

Acade-

Suidas. Eupolus comic. Plut. in Thes. Aristoph. in nub. Lib. 2. epist.

Academia fuit locus prope Athenas nemorosus, & palustris, & idcirco minus saluber: possessus ab Academo heroe, quem aliqui Deum vocarunt. Aliqui hunc locū prius Hecademiam, postea Academiam & Academū, ab Academo, qui eam instruxit, dictum fuisse putant. Hinc Horatius.

Adiecere bonæ paul'o plus artis Athenæ,
Scilicet vt possem curuo dignoscere rectum,
Atque inter syluas Academi quærere verum.

LYCEVM, fuit alius locus Athenis, quem sibi ad docendum elegit Aristoteles, dum Academiæ rector, Platone defuncto, esset Xenocrates. Stoa, latine porticus, in eadem vrbe, Pœcile cognominata, latine, varia, & variegata, sic dicta a varietate picturę Marathoniam pugnam referentis, gratuito a Polygnoto picta: quo in loco Zeno, cum ab Academia defecit, docere cępit. Epicurus quoque suos habuit hortos, in quibus, tanquam in loco delitioso, suam delitijs contentam tradebat Philosophiam. Fuerunt etiam alia Athenis minus celebrata gymnasia, Tempe, Prytanium, & Gynosarges.

Spart. in Adriano.

Ex omnibus autem duo fuerunt magis illustria, Academia, ex Lyceum: de quibus hæc extant M. Tullij carmina.

Lib. 1. d Diuin.

Inque Academia vmbrifera, nitidoque lycæo,
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

NEC tamen suo splendore caruit Stoa. Verum in eo Academia cætera loca antecelluit, quod gymnasia omnia, & cœtus omnes ad docendum, & ad agendum de literis, Academiæ vocantur: & ab illa prima in qua primo docuit Plato, pro varietate doctrinæ, varioque docendi modo, variæ enatæ sunt Academiæ, de quarū varietate, sequenti capite agemus, si prius vnde Philosophorum sectę & Academiæ nomina sumpserunt, breuiter docuero.

Laert in pęm.

PHILOSOPHICAE itaque disciplinæ, ab his fere locis suas appellationes sumpsere. A persona, quæ sectam instituit, ut Pythagorica, & Epicurea: a patria

tria, vt Cyrenaica, a Cyrene Lybiæ oppido Aristippi patria: a loco in quo docebatur, vt Academica, & Stoica: ab actione, quæ in docendo adhibebatur; vt Peripatetica, a deambulando: a genere vitæ, vt Cynica, quasi canina, quod qui eam profitebātur Antisthenes, Diogenes Cynicus, Hercules, & alij, more canino, & nimia acerbitate, licentiaque sermonis, quandam caninam rabiem præseferrent: Ab electione, & libero iudicio in philosophando; vt Ephetica, & Sceptica. Huc referres eam sectam, quæ Electrix fuit nominata; quæ ex omni alia quod sibi probabile videbatur, eligebat, cuius princeps fuit Alexandrinus Potamon. Rursus Philosophi nomen sumpserunt ab ea Philosophiæ parte, quam potissimum coluere: hinc alij Physici, vt fere omnes, qui Socratem antecessere: alij Ethici, vt Socratici omnes; alij Dialectici, vt Megarenses. Sed iam de Academicis dicamus.

De Academiarum varietate & successione. Cap. IIII.



VT quod hoc capite explanandum proposui, plane exponam, animaduertendum est, vt aliqui adnotarunt, Platonis scripta, siue dialogos, in duo esse diuisa genera: in quorum vno, more socratico, potius confutando & refellendo, quam aliquid tanquam certum statuendo disputatur: in altero, aliquid certi statuitur, atque præcipitur, qui dogmatici vocantur, vt illi elengetici; quod in illis aliquid statueretur, in his vero, solum redargueretur. Hinc Academicorum, alij Dogmatici, qui aliquid certi differendo statuebant; alij Aporetici, qui nihil definiebant, sic dicti, quod de omnibus dubitarent. Sunt etiam vocati Zetici, quod perpetuo veritatem inquirerent; & Sceptici, a perpetua rerum consideratione, atque Ephetici, hoc est, vt ita dicam, consideratores & cognitores. (Fab. quint. lib. 2. c. 15.)

tores. Illi igitur qui sola inquisitione magis delectabātur, Aporetici: qui vero, certa præcepta in Philosophia tradebant, Dogmatici nuncupati sunt.

Illud etiam adnotauerim, Platonicam scholam diuisam fuisse in eos, qui Platoni fuerunt addicti, qui nomen Academicorum retinuerunt, & in alios, qui Aristotelem sunt sequuti, qui Peripatetici sunt nominati, vt ex hoc Tullij loco plane colligere licet. Platonis autem auctoritate, qui varius, & multiplex, & copiosus fuit, vna & consentiens duobus vocabulis, philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum: qui, rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cum Speusippum, sororis filium, Plato Philosophiæ, quasi hæredem reliquisset, duos autem præstantissimos studio, atque doctrina, Xenocratem Chalcedoninm, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem qui Platonis instituto in Academia, quod est alterū gymnasiū, cœtus erāt & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt: sed vtrique Platonis vbertate completi certā quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam, ac refertam. Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, &, nulla affirmatione adhibita, consuetudinem differendi reliquerunt. Ita facta est differendi, quod minime Socrates probabat, ars quædam Philosophiæ, & rerum ordo, & descriptio disciplinæ: quæ quidem erat primo, duobus, vt dixi nominibus vna. Nihil enim inter Peripateticos, & illam veterem Academiam differebat. Hucusque Cicero.

Lib. 1. acad.

Ex cuius verbis primum intelligere licet, aliam fuisse Socratis, aliam eorum qui Platoni in Academia successerunt differendi rationem, cum ille dubitando inquireret, hi vero aliquid certi statuerent. Deinde, Academicos & Peripateticos, non omnino fuisse diuersos atque discordes, cum ab vno fonte manarint. Ex quibus intelligeres, cur Tullius initio officiorum dixerit,

rit, Sed tamen noſtra legens non multum a Peripateticis diſſidentia, quoniam vtrique, & Socratici, & Platonici eſſe volumus; ac ſi dixiſſet, tanquam Aporetici dubitare volumus, atque inquirere, vt Socrates faciebat: tamen id quod dubitando tanquam probabile docebimus, ex Platonis doctrina ſumemus; ac proinde non multum a Peripateticis, quorũ tu M. Fili ſub Cratippo doctrinam profiteris, diſſentiemus. Quare ibi, Platonici, pro Academicis dogmaticis ſummuntur Poſtremo ex citato loco colligitur, Peripateticos non omnino conſenſiſſe cum Platonicis, vt alibi id plane idem Tullius docet: at in diſputatione de finibus bonorum & malorum, non omnino diſſentiebant: ideo loco citato ſubdit M. Tullius, Sed idem fons erat vtriuſque et eadem rerum expetendarum, fugiendarumque partitio. His ita præmiſſis ad rem propoſitam explicandam aggrediamur.

MORTVO Platone, ei ſucceſſit Speuſippus, qui octo annos Academiã rexit: huic Xenocrates Calcedonenſis, cui Palemon, cui Crantor, vel Crates, vt aliqui, ſcribunt, in quo prima Academia terminauit, vel vt Proclo, Laertio, & Tullio placet, in Crãtore: aut certe in Palemone, vt Auguſtinus & Euſebius exiſtimarunt. Poſtea ſucceſſit Arceſilas Pritaneus, qui vna cum Citico Zenone, aliquem ex dictis audiuit. Iam Palemonẽ, ait Tullius, audiuerant aſſidue Zeno & Arceſilas. Sed Zeno, cũ anteiret ætate, valdeque ſubtiliter diſſereret, & peracute moueret, corrigere conatus eſt diſciplinã. Hic itaque Zeno nõ ille Elates, quem in Parmenide diſputantem facit Plato, Academia omiſſa, in Stoa docere cępit, Cynicorũ dogmata ſequutus: quæ tamẽ, nuditate, & obſcœnitate abiecta, ad humanitatẽ, & honeſtatem deflexit. Illi enim veſtitu, victu, & humano vſu aſperitatem quandam ſequebantur, & diſciplinis repuditatis, ſolis Philoſophiã moralem colebant, ita vt Cyniſmus fuerit quædam breuis ad virtutẽ uia. Quare longe diſtabant a Cyrenaicis; cum hi voluptatem

Euſ. lib. 14. de præp. c. 2. Gal. de hiſt. Phil. c. 2.

Lib. 2. Acad. Leg. euſ. loc. cit.

Laer. in Menedem.

pro sũmo bono, illi vero virtutẽ statuerent. Hinc cõtritum eorum pronuntiatũ, Malim insanire, quam voluptate perfrui. Propterea, si a quibusdam scriptoribus Cynicis tribuitur opinio de summo voluptatis bono, pro mendo haberi debet, & pro Cynicis, Cyrenaici legendũ erit: cũ hi in voluptate summum bonum posuerint, qui Aristippi genere Cyrenaici instituta sunt sequuti. Cum ergo Zeno ab Academia defecisset, & alia dogmata amplexus fuisset, Arcesilas, vt ei se se oponeret, eiusque falsas opiniones euerteret, nihil sciri, & cõprehẽdi posse docuit, cum aliter sentiret Zeno: & ita ille nihil esse καταλείπτον i. comprehensibile, dicebat; unde ἀκαταληψίαν, hoc est, vt ita dicã, incõprehensionẽ, & ἐποχὴν, assensionis retentionẽ induxit: hic vero rerũ cõprehensionẽ admittebat, vt postea, cũ de eo priuatim agã, docebo. Atque ita, vt Lucullus aiebat, Arcesilas Philosophiæ statum bene constitutũ conturbauit, vt Tib. Graccus Remp. Rom. Is vt suã opinionem magis plausibilem redderet, dicebat se non esse huius doctrinæ inuentorem, sed instauratorem, & non solũ Platonis, & Socratis, sed etiam Empedoclis, Anaxagoræ, & Parmenidis, doctrinã iam sopitam in lucẽ reuocare, qa omnia esse abstrusa, & nihil, vt est, cognosci posse dixerũt, & speciatim illud quod Socrates dicebat, se nihil scire, vt ex Platonis Gorgia, ex Theæteto, ex Apologia, & ex aliis scriptoribus discimus.

Orig. Hier. — Laer. in Arist. — Lib. 2. Acad. 9. — Cic. lib. 1. acad. q. in fi. — Euf. Cę.

QVOD autem Arcesilas aporeticã disputandi rationem in usum reuocauerit, sub initium secundi libri de finibus M. Tullius docuit. Atque ab hoc Arcsilæ instituto noua Aporeticorum Academia initium habuit, quã Volaticam & philosophiæ perturbatricem aliquando vocauit Tullius, & vt sileret cupiebat. At uero alio loco, huius Academiæ defensionem suscepturus, cum Arcesilæ sententiam exposuisset, Hanc, inquit, Academiam nouam appellabant, quæ mihi vetus videtur: siquidem Platonem ex illa uetere numeramus: cuius in libris nihil affirmatur, & in vtranque partem multa dis-

lib. 2. de fin. — Lib. 1. ð leg. — Lib. 1. Acad. qq.

seruntur

ferüntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur: qđ non de omnibus simpliciter intelligendum est Arcesilæ itaque propositum fuit, disputando aduersari omnibus; quod ideo efficere potuit, quia erat in dicendo felicissimus, in respondendo promptissimus, & in persuadendo acerrimus: cuius in summa quattuor fuere decreta, Nihil posse comprehendi: sapientem nulli rei vnquam assensurum: omnia esse æqualiter incerta, obscura, & improbabilia: & denique sapientem nihil probaturum, & opinaturum.

Laer. in eius vita. Cic. lib. 1 & Acad.

ATQVI Carneades eiusdem scholæ sectator, aliqua parte, ab Arcesila dissentiebat; & ex illis quattuor Arcesilcis decretis, duo priora admittebat, in posterioribus discrepabat. Etenim inter omnino incertum & comprehensum, medium quiddam ponebat, probabile & verisimile, & hoc probare, ac sequi debere sapientē, tum in disserendo, tum in uita agenda; ita tamen, ut nō se scire, sed opinari, non verum comprehendere, sed verisimilitudinem sequi intelligat.

ET quidem M. Tullius, vt ipse, post initium sermonis quincti Tusculani, & alijs in locis plane fatetur, Carneadem hac in parte est sequutus: dum se probabilia sectari & docere uelle, hisque se contētum esse demonstrat: & ita tanquam Carneadis sectator & Socraticus elegit probabilia, quæ Platonici, hoc est Academici Dogmatici, vt comprehensa posuere. Ideo aliquando dixit, defendat quidem, quod quisque sentiat; sunt. n. libera hominum iudicia; nos institutum tenebimus, nullisque vllius disciplinæ legibus addicti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in vnaquaq; re maxime probabile semper requirimus. Cum ergo Carneades aliqua parte ab Arcesila dissentiret, ideo aliqui eius doctrinam mediam Academiam appellandam esse censuerunt. Illi vero, qui Arcesilæ disciplinā intermediam academiam fecerunt; temporis ordinem spectasse vidētur: quia Arcesilas fuit medius inter priores Academicos, & Carneadem. Arcesilæ successit Lacydes,

Li. 2. offi. In Lucu.

Li. 2. de fin.

cydes, a quo aliqui tertiam Academiam initium sumpsisse volunt; vt primæ auctor fuerit Plato, secundæ Arcesilas, tertiæ Lacydes: atqui alij, in quibus Numerius, Eusebius, & Tullius, hunc cum Arcesila omnino consensisse volunt. Lacydi successit Euander, huic Egesinus, cuius auditor fuit Carneades, tertiæ Academiæ auctor; cum, vt paullo ante diximus, ab Arcesila dissenserit, corrigendo illam nimiam calumniandi, & contra omnia dicendi Arcesilæ impudentiam. Et ita cum argumentis vrgeretur, si omnis tolleretur assensio, quia sapiens nihil omnino ageret, nihil probaret, rerum probabilitatem, & opinionem, vt docuimus, concessit, assensionem tamen & κατάληψιν. i. comprehensionem negauit.

Laer. Lib. 2. Acad. quæst.

De Pyrrhonia secta, cæterisque Academiæ formis. Cap. V.



ANTEQVAM reliquas Academiæ formas, & Academicorum successores prosequor, aliquid de Pyrrhonia secta, quæ Aporeticæ videtur simillima, vt ex multorum scriptis cognoscere licet, aliquid dicã.

PYRRHO Cliensis, de quo sæpe Cicero, cum de finibus disputat, mentionem facit, Anaxarchum sequens Gymnosophistas & Magos adiuit; quendam philosophandi modum commentatus, nihil comprehendi posse affirmauit, nec aliquid aut honestum, aut turpe esse, & in summa, nihil potius hoc, quam illud. Cui doctrinæ consentanea fuit uita, cum omnia pro eodem haberet, & nihil declinaret, sed cuncta æque sustinebat. Quare, more Aporetico, nullum dogma statuit, nec definiuit: & nihil per naturam esse tale, sed quale videretur existimauit: ac proinde dicere solebat, Nihil magis, hoc est non magis hoc, quam illud. Quod ad assensionem attinet, Gellius in eo censuit

Suid. in ver. Pyrrhon. Gel. lib. 10. c. 5. Laer. li. 9.

ſuit Pyrrhonios ab Academicis differre, quod illi nec id quidem vllo pacto pro vero haberent, quod nihil eſſe verum videretur. Sed cum hoc idem, vt ex Tullio habemus, ſenſerit Arceſilas, qui nec illud quidem ſibi reliquit, quod Socrates reliquerat, quod vnum ſciret, ſe nihil ſcire; iſtud diſcrimen a Gellio aſſignatum, non poteſt habere locum; niſi hoc modo accipiatur, vt Pyrrho conferatur cũ Carneade, qui aliquid probabile & veriſimile ſibi reliquit, quamuis ipſe quoque nihil percipi poſſe docuerit, vt ex Tullio cognoſcimus: at Pyrrhonij omnia æqualiter incerta eſſe dicebãt. Rurſus Academici Aporetici ſub Socratis auctoritate latebãt, & Socratici eſſe volebant: at Pyrrhonij purum ſui magiſtri dogma ſequebantur: qui eadem ætate floruit cum Academicis, & ad annum nonageſimum vſque vixit. Sed Pyrrhonijs omiſſis, ad Academicos reuertamur.

Lib. 1. Acad. q.

Lib. 2. Acad.

CARNEADI Cyrenæo quem tertiæ Academiæ auctorem fecimus, ſucceſſit Clitomachus librorũ multitudine clarus: homo, vt ait Cicero, & acutus vt Pœnus, & valde ſtudioſus, ac diligens; & vſque ad ſenectã cum Carneade fuit.

Cic. lib. 2. Acad. q.

CLITOMACHVM audiuit Philo, de quo non vno in loco meminit Tullius, quem Euſebius quartæ Academiæ auctorem facit: quippe qui hoc priuatum habuit dogma, Dogmaticam Academiam ab aporetica nihil differre, & ita pro nouis Academicis duos libros conſcripſit. Philo, autem, ait Tullius, dũ noua quędam commouet, quod ea ſuſtinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebãtur, & aperte mentitur.

Lib. 2. Acad. q. & lib. 1. de nat. deor.

PHILONIS auditor, & quinctæ Academiæ auctor fuit Antiochus, qui contra præceptorem ſuum & Academicos librum, qui Sotus inſcriptus erat, foras edit, & ab aporetica diſciplina diſcedens, ad veterem redijt, Stoicis adſtipulatus, & ita vetus Academia innouata eſt. Academicus quidem erat, vt Tullius ſcribit,

Cic. lib. 2. Acad. q. Plut. in Brut.

Lib. 1. de nat. deor. & 2. de leg. si per pauca mutauisset, germanissimus Stoicus. Is fuit Ciceronis familiaris, vel etiam magister, & de summo bono idem sensit cum Stoicis.

SEXTA Academicorum secta, fuit appellata Platonica, quod purum profiteretur platonismum, vt testatum reliquit Augustinus: in qua Plotinum, Iamblicũ, & Porphyrium reponit. Et, vt illæ priores fuerunt appellatæ Atticæ, quod earum principes Athenis sint professi; ita hæc Peregrina, quod eius sectatores extra Athenas docuerint. Hanc Platonicam Academiam aliqui in tres alias partiuntur: in Alexandrinam, siue Aegyptiacam, quæ ab Ammonio Saca Alexandrino Plotini & Origenis pręceptore, quo tẽpore Syrianus Atheniensi scholę præfuit, habuit originem: in Romanã, siue Italam, a Plotino institutam: & in Lyciam ex Proclo qui sub Anastasio Cæsare floruit, natam.

Lib. 8. de ciu. c. 12

Ficin.

VT autem quid istæ scholæ inter se different, breuiter exponam, animaduertendum est, Platonicos in suo magistro inuenisse quandam contradictionẽ, quod aliquando humanum corpus σῶμα, σῆμα, idest sepulchrum vocauerit, cum sit veluti animæ sepultura; alibi vero contrarium docuerit, dicendo, animam habere & viuere, & bene viuere a corpore, & cum eodem quandam harmoniam conficere; qui vt hæc loca conciliarent, in eam communem iuere sententiam, vt putauerint, animam humanam esse aptam ad effundendam vitam in duo corpora: in vnum diuinum & immortale, in alterum caducum & corruptibile. Illud uocant animæ uehiculum, ad quod maximam habet propensionem, ac proinde cum eo libentissime nectitur: hoc uero quasi animæ sepulchrũ. Dum anima in priore corpore manet, est pellucida, tenuis, & cœlestis quędam substantia, nec a superiorum contemplatione recedit, & simul etiam inferiora cognoscit, ob quam caussam ei duplicem tribuunt faciem. At uero dum amore generationis capta ad corpus mortale descendit, solum sensilia intuetur, & rerum intellectilium aspectu priua-

tur;

tur; unde fit ut unam tãtum retineat faciem. Quod si dum in hoc corporis ergastulo inclusa manet, rerum sublimium amore rapiatur, hoc extraneum uehiculum deponere potest, & cum æthereo utranque faciem acquirere. Hunc animæ reciprocum in hęc duo corpora motum, ob mundi æternitatem, quam omnes fere Platonici tenent, infinitum faciunt. Ex qua falsa Platonicorum doctrina, nonnulli fluxerunt, etiam in aliquos ex nostris, de anima errores. Et quoniam, posita, ex Platone, mundi æternitate, & animorum immortalitate, sequeretur dari infinitum actu; vt hoc inconueniens vitaretur, vetus Academia, & Aegyptiaca, animarũ trãsmigrationem, metempsichosim Gęrci vocant, admisit: contra quam acute & eleganter, vt solet, disputat Tertullianus, qui tamen de tota animæ natura, non omnino recte sentit. Fuit ergo Aegyptiacæ Academiæ hæc nota, ut Platonem & Aristotelem in omnibus conuenire doceret: cum tamen vetus, in his præcipue quæ ad finem bonorum & malorum pertinent, eos consentire censuerit. Lib. de anim.

AT Romana & Lycia Academia in animarum descensu, non modo transmigrationem, sed etiam Metensomatosin. i. vt ita dicam, transcorporationem, & in corpus ferinum migrationem posuit; & hoc est commune earum decretum: quæ tamen differunt. Primo, quia Proclus, cum quo Syrianus, & Hermia faciunt, dicit animam humanam & ferinam, se coniungere, & comites fieri: Platinus vero cũ quo cõsentit Numenius, docuit animam miscere se ferino fętui, & eius bestiæ subire corpus, cuius se moribus similem præstitit: quã opinionem quidam Zenoni tribuerunt; qui multa ex Platonica officina in qua formatus fuit, suffuratus est, & sua fecit. Et quidem Stoici putarunt animas post corpus aliquo tempore permanere, & tandem temporis longitudine corrumpi. Cic. Tus. 1.

QVOD si nouum dogma, nouam facit Academiã, aliqui ex Seuero Attico, & Plutarcho nouam ponunt;

quod existimauerint Platonem posuisse mundum in principio mundi genitum, cum alij aliter sentiant.

DENIQVE, sunt qui addant decimam ex quadam Porphyrij doctrina sumptam: qui existimauit circulum illum animarum non posse esse infinitum: quia anima aliquando a sordibus & erroribus purgata, penes Patrem constituta, & consubstantialis paternæ měti facta, non patietur amplius huius mundi mala; ut ex ijs quæ Augustinus scribit, cognoscere licet. Itaq; post Antiochum, Academicorum, siue Platonicorũ sectatores magis illustres, hi fuerũt, Ammonius, Syrianus, Proclus, Plotinus, Porphyrius, & Iamblicus, qui constantino Magno imperante floruit. Atqui alij Academiarũ, & Academicorum duo genera hoc modo faciunt. Nam alij a Platone vsque ad Arcesilam dicuntur veteres, qui omissa pene disserendi consuetudine atque modestia, sua decreta pro indubitatis tenenda tradebant: de quibus in primo Academico loquitur Tullius, cum ait, Sed vtriusque Platonis vbertate, & quæ sequuntur. Alij ab Arcesila vsque ad Philonem & Ciceronem, qui noui nuncupantur; quorum hoc erat institutum, ut vtrinque de rebus obscuris disputando, nihil pro indubitato decreto, & quasi lege statuerent; sed quod probabile & verisimile esset, cuique sequendum relinquerent, de quibus Lucullus apud Ciceronem ita scribit. Cuius primo non admodum probata ratio, & quæ sequuntur. Et hanc secundam Academiam ad nouam, quam Plato sequebatur, idem Cicero pertinere affirmauit, cum primo Academico hũc in modum scripsit. Cum Zenone Arcesilas sibi omne certamen, &c. quam libro primo de natura Deorum ait a Socrate esse pro-

Et lib. 2 de fi. sed tamen, &c. fectam, ab Arcesila repetitam, a Carneade confirmatã, & ad suam vsque ætatem viguisse. Disputabant itaque Academici in vtranq; partem, vt inde aliquid verum, aut probabile elicerent. Quorum institutum, vt mode-

In Lucu. li. 2. offi. stiam illam & ironiam Socraticam atque Platonicam retineret, sequutus est Cicero, vt ex quibusdã eiusdem


locis

locis cognoscere,licet.Atq; ex his intelligi potest, cur Cicero tanquã Academicus,modo vnum,modo alium sequatur scriptorem,ut qui nullius addictus sententię probabilia, & quæ sibi magis uera videbantur, sequi volebat.Omnes itaque Academiæ partes hucusq; expositas,ad duas reuocare licet,ad Aporeticam & Dogmaticam,& ita aliqui solum duas formas faciunt;&rursus ad Atticam,& Peregrinam. Lib. 10. de iur. c.30.

Et vt summatim quæ de assensione sustinenda, aut adhibenda olim disputata sunt colligamus: Alij ita omnem assensionem sustulerunt,vt de quauis re, Non magis,dicerent:&,si quid magis dicebant, aut affirmabant,id ex consuetudine se facere aiebant. Alij ita de rebus disputarunt,vt nihil ipsi affirmarent, vt Arcesilæi,& ideo dicere solebant,Non definimus. Alij ita interdum disserebant,vt magis quod alij sentirent refellerent,aut indicarent,quam vt suam sententiam aperirent,suam dissimulando sententiam;ut Socrates, & Plato.Quod autem hi duo Philosophi non fuerint plane Apotetici ostendit apud Ciceronem Lucullus. Alij, vt Carneades,comprehensionem negarunt,sed probabilitatem & opinionem admiserunt; & hanc Catulus apud Tullium,ait esse propriam Academię sententiã, quæ eidem Tullio, vt diximus,non displicuit. Alij denique comprehensionem & assensionem concesserunt, vt Zeno,qui suam sententiam gestu explicabat. Nam cum extensis digitis aduersam manum ostenderat, visum,inquiebat,huiusmodi est:deinde, cum paululum digitos cõstrinxerat,assensus huiusmodi:tum, cum plane compresserat,pugnumque fecerat,comprehensionẽ illam esse dicebat: ex qua similitudine etiam nomen rei,quod ante non fuerat, κατάληψιν, imposuit. Cũ autem læuam manuum admoueret, & illum pugnum arcte,vehementerque compresserat, sapientiam talem esse dicebat,cuius compotem nisi sapientem esse neminem.Quam autem stulta & vana sit aporetica & adiaphora philosophandi ratio,nihil attinet dicere, quam Cic. in Lucul.

qui sequuntur, hi vere euanescunt in cogitationibus suis, & in omnes errores sub fucata libertatis specie prolabuntur; vt nostris temporibus hæretici nonnulli. Nunc explicatis varijs Academiæ formis, ad Philosophiæ cultores reuertentes, de Platone Academicæ sectæ auctore, qui Socrati, de quo postremo loco egimus, successit, nobis scribendum est.

De Platonis vita, & scriptis. Cap. VI.



X tanta antiquorum Scriptorum de rebus Philosophicis multitudine, duorũ potissime monumenta, quamuis non omnia, nec omnino integra, Platonis & Aristotelis ad posteros peruenerunt. Vnde factum est, vt hi pręcipue pro magistris in humana sapientia acquirenda habeantur, & eorum scripta prælegantur. Quod si aliorum quoq; lucubrationes haberemus, non in tanto fortasse honore essent, vt sane sunt: cum in vtroque & plura, & meliora desiderari possint: e quo factũ est, vt neuter suis iustis caruerit, aliqua saltem parte, censoribus. Sed quãdo alios non habemus, & hi, tacito quodam multorum sæculorum consensu digni existimati sunt, qui pro ducibus in philosophiæ curriculo habeantur; propterea de vtroque aliqua prænoscenda sunt ab ijs, qui philosophiæ sunt operam daturi. Et primum quidem de Platone, postea de Aristotele dicemus, & de vtroque breuiter, vt nostri instituti ratio postulare videtur.

De Pla. vide Benij Decades.

PLATO igitur: sic nominatus, cum ei nomen esset Aristocles, a laterum frontisve latitudine, vel vt alij volunt, a copia dicendi, qua orationem copiose dilatabat, fuit natione Græcus, patria Atheniensis, natus ex Aristone patre, & Potona matre, a mundi ortu, circa annum 4775. Olympiade octogesima octaua, post belli Peloponessiaci initia, ante Christi natiuitatem anno 423. cæterum hos annos alij aliter numerant. Vnde colli-

Euseb.

Sans.

colligeres non floruisse temporibus Ieremiæ Prophe- Aug. 2.
tæ, qui ducẽtis fere annis ante, cum populus Hebręus r etr. c
in Babylonica captiuitate erat, vixit: at Plato nõ multo 4. & 8. d
post Esdram natus est. Cum infans in cunis iaceret, ei ciu. c.
apes mel infudisse perhibẽt, eloquentiæ futuræ præsa 11. Nu-
gium: vnde & Apis attica cognominatus fuit. In litte- men.
ris præceptorem habuit Dionysium, in Philosophia
Socratem, ad quem vigesimum annum agens se contu
lit, quo cum annos viginti habitauit, & post eius obitũ
Cratylum Heraclyti, & Hermogenem Parmenidis di-
scipulos audiuit. Eruditionis caussa, non solum Megarã
ad Euclidem se contulit, sed etiam in Italiam ad Pytha Cic.
goram, & in Aegyptum, vbi tredecim annos Heliopo- Tus. 1.
li cum sacerdotibus fuit: iturus etiam ad Indos, nisi lib. 5. de
Asiæ bella eum deterruissent. Quare, vt Laertius ait, fin.
Heracliteorum, Pythagoreorumque, & Socraticorum In Plat.
rationes miscuit: &, ut Tullius scribit, Pythagorea om- Tus. 1.
nia didicit, & speciatim animorum immortalitatem,
quam a Pherecyde Syro ipse didiceret. Post peregri-
nationes, sapientiæ conquirendę gratia susceptas, Athe
nas redijt; vbi in Academia, quam ex Lyceo, transtu- Basil.
lit in locum insalubrem, quem ad corporis motus & spi Hier.
ritus comprimendos (vt quidam e nostris scribunt) ele Suid.
gerat, aliquot annos docuit. Discipulos habuit Speusip
pum, Xenocratem, Aristotelem, & multos alios: quos
non admittebat, si fuissent Geometriæ expertes. Vnde
in Academiæ vestibulo præfixum erat, *οὐδεὶς ἀγεωμέ-
τρος εἰσείτω*, idest, nemo Geometriæ expers intrato.
Remp. etiam accersitus, nunquam voluit attingere, ob
corruptos mores, quos in populo videbat: quibusdam
tamen populis leges dedit. Fuit iuuenis verecundus, &
adeo compositus, vt nunquam ridere, nisi modice, vi-
sus fuerit, iratus nunquam. Nec tamen iocos salsos &
lepidos omnino respuit, in quo sequutus est præcepto
rem Socratem; cuius doctrinam in moribus sectaba-
tur, vt in rebus naturalibus Pythagorę. Parce & sobrie
viuebat, & vt Augustinus scripsit, etiam caste. Gratus

in Deum a quo omnium actionum principium capiendum esse docebat, capiebatque: eique gratias quotidie agebat, quod natus esset homo, non brutum, Græcus non barbarus, & temporibus Socratis. Gratus in amicos, & in præceptores, vt ex eius scriptis cognoscere licet, quos loquentes in suis dialogis facit, & quæ docet eis attribuit. At vero quæ in Epistolis, in libris de legibus, & in Epinomide disserit, tanquam a se tradita pro certis haberi voluit, vt alia verisimilia. Quare, iure optimo, Possidonius, vt est apud Tullium, omnibus locis eum diuinum, sapientissimum, sactissimum, & Philosophorum Homerum appellabat. Plato, ætatis suæ vno & octogesimo anno scribens mortuus est: si eum mortuum esse dicere fas est, qui perpetuo in hominũ memoria, & in suis monumentis viuit. Platoni vita functo, aram statuamque eius discipulus Aristoteles sacrauit, hoc epigrammate, Aram Aristoteles hanc Platoni dicauit; viro quem nefas est a malis laudari: Addidit Aristoteles,

Cic. de sen.

Qui solus vita, doctrina, moribus, ore
Admonuit cunctos, & monimenta dedit.
Vt virtute queant felicem ducere vitam.
Nulla ferent talem secla futura virum.

QVOD vero ad huius Philosophi scripta attinet, pręclara suæ doctrinæ monumenta trigintaseptem libris contenta reliquit: quæ aliqui, cum non sint omnino apte digesta, ad hæc capita redegerunt. In primo continentur libri Theologici, qui ad religionem pertinent; Euthyphron, vel de sancto: Socratis apologia: Crito, id est, de eo quod agendum est, vel de eo, quod is egerit in carcere cum Socrate: Phædo, vel de animi immortalitate: quorum librorum lectione animus religione poterit informari, & ad Philosophiam percipiẽdam idonee parari. Sunt citati libri quodammodo ipsa tractatione connexi, si quis id animaduertere velit. In secundo ponuntur illi, qui de vera & falsa Philosophia disputant, Theages, vel de sapientia: Amatores, vel de

Philoſophia: Theætetus, vel de ſcientia; quibus libris aduerſantur Euthydemus, vel Litigioſus; Sophiſta, vel de ente, Hippias minor, vel de mendacio, & Protagoras, vel de moribus ſapientiæ profeſſorum. In quibus operibus malos, ineptos, garienteſque Philoſophos inſectatur, & veram Philoſophandi rationem demonſtrat. In tertio ponuntur libri ad ſermonem, hoc eſt ad Dialecticam, Rhetoricam, & Poeticam pertinentes; vt Cratylus, vel de recta nominum ratione, ſiue de interpretatione: Gorgias, vel de Rhetorica. Io, vel de Iliade, ſiue de poetico furore, charactereve, aut de recta exponendorum poetarum ratione. In quarto, Ethici & politici libri, in tres diſtributi claſſes. In prima continentur libri ad communem de moribus doctrinam pertinentes; ut Philebus, vel de voluptate, ſiue de ſummo bono: Menon, vel de virtute: Alcibiades primus, uel de natura hominis. In ſecunda ponuntur illi dialogi in quibus explicatur peculiaris morum doctrina, Alcibiades ſecundus, vel de voto & precatione: Charmides, vel de temperantia: Syxtis, vel de amicitia: Hipparchus, vel de lucri cupiditate. In tertia claſſe ponuntur omnes libri politici. Menexenus, vel de Attica antiquitate, ſeu oratio funebris, & hortatio ad amandam, tuendamque patriam: Politicus, ſiue ciuilis, vel de regno, definitiove politicę: Minos, vel de lege, introductio ad libros politicos: De rep. libri decem, vel de iuſto, legũ, ſiue de legibus, legumve latione libri duodecim. Epinomis, ideſt legũ appendix, & ſumma, vel Philoſophus. In quincto illi collocantur libri, qui ad Phyſicam & Metaphyſicam pertinent. Timæus, vel de natura, ſiue de vniuerſitate, hoc eſt de mundi anima, & natura. Critias, vel Atlanticus, appendix Timæi, de priſci mundi hiſtoria: Parmenides, vel de vno omnium principio, & de Ideis: Sympoſion, hoc eſt conuiuium, ſiue de amore, Phedrus, ſiue de pulchro. Hippias maior, ideſt de pulchro, ſiue honeſto. In poſtremo capite continentur duodecim epiſtolæ & quidam alij dialogi qui pro no-

this

this habentur, Axiochus, vel de morte. De iusto, vel de iustitia. De virtute, an doceri possit, Demodocus, vel de consultando. Sisyphus, vel de deliberando, Erixias, vel de diuitijs, Clitopho, vel hortatorius, quem tamen Laertius non ponit in nothis, & denique liber, qui inscribitur Definitiones.

EXTANT etiam duo libelli, in quibus continetur doctrina ex Platone collecta, vnus Speusippi de definitionibus Platonis, alter Alcinoi philosophi Platonici, de doctrina Platonis, in quibus pauca quædam continentur, nec tanti facienda, vt qui ea nouerit, is Platonicę doctrinæ summam se tenere existimare debeat. Sed qui ea cognoscere volet, quę Plato de moribus docuit Iauellum legat, qui plane, vt solet, omnia quæ ad moralem doctrinam spectant, collegit, ac proinde plantonizare volentibus citatus auctor versandus est. Quid autem de Platonis doctrina sentiendum sit, sequenti capite docebo.

Quid de Platonis doctrina scriptisque sentiendum sit. Cap. VII.



VOD vero ad Platonis doctrinam scribendique genus attinet, cum nos nec categoriam, hoc est accusationem, nec apologiam scribere velimus, solum vniuerse dicemus, non defuisse, qui eius dogmata, methodumque scribẽdi damnauerint, quod doctrinam fusam, confusam, variam, incertam, imperfectam, indefinitam, inconstantem, allegorijs adumbratã & cœcatam, atque in multis a veritate aberrantem, tum in natura, tum in moribus tradiderit, & quæ ab externis bona accepit, non meliora, vt ipse aliquando dixit, sed potius deteriora fecerit, in ijs præsertim quæ ad Dei naturam, & opera spectant: e cuius scriptis multi in multos Platonicos, & in quosd ex

Lege Benij Eug. decad.

ex nostris deriuarunt errores, cum olim antequam Aristotelis scripta aliquid lucis haberent, potissime Platonis opera legerentur. Nec defuerunt defensores, qui in eum coniectas calumnias sustulerunt, eiusque eloquentiam, doctrinam, ordinem, conuenientiam cum nostris, & pietatem commendarunt; atque diuini philosophi cognomento eum honestarunt; vt Possidonius quem supra citauimus, M. Tullius, qui Platonem non vno in loco Aristoteli pręfert, Plutarchus, Numenius, & ex nostris, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, & speciatim Augustinus, qui eũ aliquando pulcherrimo elogio celebrauit: quamuis alibi in multis se ab eo deceptum fuisse fateatur. Ex recentioribus etiam nonnulli ex professo eius patrocinium susceperunt, & accusatoribus responderunt, ut præter alios Cardinalis Bessario: Iauellus etiam Platonem a multis calumnijs vindicauit: & Henricus Gandauensis, qui ex omnibus scholasticis Platonicus a quibusdam habetur, quod de mulierum communitate Plato affirmare videtur, defendere conatus est. Verum, testimonium illud, quod ex quadam epistola Clementis Papæ affert, non est incorruptum. At vero Bessario alia ratione eandem rem defendi posse docuit. Sed vtcunque sit, inquit alius, demamus a Platonis Rep. mulierum communitatem, & habebimus Christianam Remp. proximorum suorum amore flagrantium.

Lib. 8. de ciui. c. 4. in li. cõf. lib. retr. Proc. in Timo. Marſ. Fi. Ian⁹ Comarius. Iac. Mazon. Quol. 4. li. 2. q. 1. c. 2. Lib. 4. Maz.

QVOD vero ad genus orationis attinet, cum Plato scribendo, non solum docere, sed etiam mouere, animosque purgare voluerit, orationis ornamenta adhibuit, magniloquentiam, venustatem, & vt Fabius ait, facultatem quandam dicendi Homericam, quæ supra pedestrem orationem insurgit; vt non humano, sed quodam diuino eloquio vsus esse videatur. Ea vero ornamenta quæ adhibet, non faciunt fucatam quandam, & sophisticam orationem, cum rebus & personis sint accommodata. Aliter enim scribere debuit Plato, cum sophistas redarguit, quam Aristoteles, cum discipulos

instituit:

inſtituit: qui eas ſolum virtutes in ſcribendo adhibet, quæ ad docendum ſunt neceſſariæ, puritatem, breuitatem, & interdum perſpicuitatem, reiectis fabulis Platonis, & Pythagoræ Symbolis: At cum intelligi noluit, abſtruſa, conciſa, & magis Laconica, quam Attica vtitur oratione, quæ perſpicuitatis virtutem aufert, & attramenti effuſione obſcurat. Sed, vt Philoſophiæ candidatus, quid de hoc humanæ ſapientiæ magiſtro ſentiẽdum ſit, breuiter intelligat, quæ mihi dicenda videntur, quibuſdam dictis complectar.

PRIMVM dictum, nullo modo audiendi ſunt illi, qui adeo parum bene de Platone ſentiunt, ut eius auctoritatem non pluris faciant, quam boni oratoris, vel Poetę, & in numero bonorum philoſophorum non ponant, atque philoſophiæ perdiſcendæ cauſſa legendum non putent. Primum, quia eius doctrina ſemper a viris doctis, & iudicij acerrimi in pretio habita fuit; vt ex ijs quæ ſupra ſcripſimus, eſt manifeſtum: & quanti facienda ſit plane Ariſtoteles re ipſa indicauit, qui iam adultus viginti annos eum audiuit, & aræ, in eius honorem dicatę, inſcripſit, illum eſſe, quem probi omnes merito deberent, & imitari, & commendare: atque etiam alij Græci ſcriptores, qui eum θεῖον, hoc eſt diuinum appellarunt, Ariſtotelem vero Dęmonium, ut hic omittam Mar. Tullium qui Platonem, quaſi quendam Philoſophorum Deum vocat; ſicuti Poſſidonius eorundem Homerum. Deinde, quis eum hominem flocifaciat, qui tam multa cum Chriſtiana religione conſentanea ſcripſit, vt diuus Auguſtinus dicere non dubitauerit, Platonicos mutatis paucis, Chriſtianos abſq; controuerſia fore: eum, inquam, de quo Ariſtobulus Iudęus, referente Euſebio, ſcriptum reliquit, legem noſtram in multis Plato ſequutus eſt: aperte nanque in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur. Moſaica enim volumina ante Alexandrum, & ante Perſarum imperium tranſlata fuerunt: vnde plurima, ſicut & Pythagoras, Philoſophus ille accepit. Huc facit, ſi tamen

Aug. lib. 8. d̄ ciu. Epiſt. ad Dioſ.

Lib. 2. d̄ nat. deo.

Maz. ſec. 5. c. 3.

verum

verum est, quod Nicetas vetus Gregorij Nazianzeni Scholiastes, literis commendauit, Platonem cuidã Christiano eum maledicenti noctu apparuisse, eique dixisse se vna cum antiquis patribus e limbo fuisse ereptum, & in cœlum traductum. Et sane Iustinus Martyr, omnes qui Christum antecesserunt, qui tamen honeste vixere, Christianos nominandos esse docet: in quibus Platonem reponere videtur. Illud tamen a quibusdam impie existimatum fuit, Christum in Platonis lectione versatum fuisse, & ex eo multa nobis tradidisse; cum viderent multa quæ ille docuit, cum nostris conuenire: quam impietatem in Celso damnauit Origenes. Et ne multa in re manifesta comprobanda persequar, Plato, vt grauis auctor & lectione dignus, admittatur.

In orat. 2. in pas.

Orat. ad Ant.

li. 6. cõt. eum.

SECVNDVM dictum, vt in hoc auctore nonnulla notantur, quæ aliquo pacto excusari possunt; ita nonnulla sunt, quæ excusari nequeunt. Hoc plane indicauit Augustinus, qui nonnulla retractauit, quæ ex Platone didicerat; cuius doctrina se deceptum fuisse, aliquando confessus est. Itaque vt huius Philosophi doctrina, non est adeo commaculata, vt non habeat multa integra, ita non est adeo integra, vt nihil macularum habeat. Quo fit, ut illud epithetum, Diuini, non omni ex parte in eum quadret, qui doctrinam nonnullis maculis aspersam, & non omni ex parte absolutam tradidit. Quare, si quis eum non tam pro diuino, quam pro humano, bono tamen Philosopho haberet, nihil, ut existimo, ei detraheret: ac proinde non tanta cum admiratione, vt quidam faciunt, diuinus appellandus est; cum quæ diuina habet, ea non ex se inuenerit, sed ex diuinis libris furatus fuerit, & aliqua parte, temerauerit.

TERTIVM dictum, qui hunc auctorem sine periculo errandi legere voluerit, qui in eo notari solent errores prȩsertim circa doctrinam de anima, de natura, de corporibus cœlestibus, & de Deo, cognitos habeat, eos vt vitare possit. A nonnullis erroribus quos Aristoteles Platoni adscripsit, Iauellus eundem vindicauit.

QVAR-

Legelo. Ba. Cris. Tract. 7. de rep. Plat. Posseu.

QVARTVM dictum, qui in doctrina Platonis versari voluerit, cautissime eius sectat res & expositores legat: quoniam, vt quidam adnotarunt, isti Platonicam doctrinã cœcam reddidere; cum sępe eius sententiam non sint assequuti, & suas cogitationes, seu potius fictiones scripserint; vt in explicatione idearum, naturæ, & eorum q̃ sub allegorijs texit. In quibus Iamblicus, Plotinus, & Porphyrius numerantur, atque priuatim illi, qui, Platonis doctrina, Christianam veritatem impugnare voluere.

QVINCTVM dictum, caueant Tirones & illi qui de nouo se ad philosophiam conferunt, ne primo Platonem legendum sumant; id quod nonnullos fecisse obseruaui, qui ad id faciendum se a suis præceptoribus commotos fuisse aiebant: sed imprudens, ni fallor, admonitio: quoniam qui non fuerit bonus dialecticus, & aliquo tempore in Philosophia versatus, & antiquitatis gnarus, infructuose hunc auctorem leget. Quare, meo quidem iudicio, non minus conferet ad Platonem intelligendum Aristotelis doctrina, quam Platonicæ philosophiæ notitia ad intelligenda ea quæ Aristoteles docet: cum hic multo faciliorem viam teneat, ille vero præiuerit, & ab eo, vt eius discipulus, multa acceperit.

SEXTVM dictum, quidquid sentiendum sit de absoluto istorum philosophorum iudicio, vter priorem locum teneat, nos quod ad bonas disciplinas comparãdas, & ad iuuentutem in philosophia instituendam attinet, Aristotelem præferendum putamus; cum is vnus ex ijs qui ad nos peruenere, vniuersas fere humanæ sapientię partes magis absolute & ordinate tradiderit, quam Plato fecerit; ac proinde philosophari cupientes hunc ducem sibi proponãt; in quo, cum versati fuerint, nullo modo Platonem contemnant; cum ab hoc magistro, non modo philosophicam doctrinam, sed etiam dicendi copiam, atque sententiarum maiestatem haurire liceat.

SEPTIMVM dictum, ut Aristotelis lectio ob admirabilem rerum seriem. & doctrinæ varietatem, magis ad discendum confert, ita Platonis scripta magis ad modestiam, ad temperantiam, ad pietatem, & ad cęteras virtutes cōparandas iuuare possunt. Nam Plato nō solum docet, sed etiam accommodate ad persuadendū scribit Aristoteles vero, docet quidem, sed nunquam, aut certe raro, & leuiter aliquid dicit, quod ad honestatem & pietatem amplectendam lectorē commoueat: quod sane in humanæ vitæ magistro, talem enim philosophum esse debere fatentur omnes, mirum videri debet. Hinc fortasse factum est, vt maior quædam virtutis significatio in Platonicorum scriptis eluceat, quam in monumentis eorum, qui Aristotelem sunt sequuti.

OCTAVVM dictum, qui in Platonica disciplina aliquem facere volet progressum, is meliores Platonicos legat; in quibus hi præcipue numerantur. Speusippus, Alcinous, Xenocrates, Chalcidius, Syrianus, Porphyrius, Proclus, Iamblicus, cuius vitam descripsit Eunapius, Synesius, Maximus Tyrius, L. Apuleius, Georgius Gemistus, Psellius, Marsilius Ficinus; qui tamen quibusdam non omnino satisfacit; & sane in Platone vertendo præclarius se gerere potuisset. quare, qui Platonis scripta legere voluerit, potius Sebastiani Foxij Morxilli versione vtatur, quam Ficini. Deniq; Gabriel Buratellus, Iacobus Mazonius, & nonnulli alij, qui vel aliqua parte Platonis doctrinam explicarunt, vel platonice aliquid scripserunt, vt Macrobius, Plutarchus, Leo Hebræus, Ioannes Picus, Foxius, Franciscus Patritius, Augustinus Steuchus, Iacobus Carpentarius, & quidam alij. Inter omnes autem Platonicos Plotinus Lycopoli natus Origenis & Porphyrij magister, q Galieno imperante, floruit, & multa platonice, hoc est obscure scripsit; & post Platonem apud eius sectę amatores primas tenet. at de Platone satis.

Mich. Med. li. de recta in Deū fide.

Eunap. in eius vita.

De Aristotelis vita eiusque moribus. Cap. VIII.



T maior in Philosophandi ratione est Aristotelicæ doctrinæ, quam Platonicæ vsus; ita magis accurate de Aristotele eiusque monumentis, nobis agendum est. Dicemus itaque primo aliquid, de eius vita: deinde de libris: postea de doctrina: præterea de eius interpretibus: postremo nonnulla eius errata recensebimus, & a nonnullis erroribus vindicabimus.

QVOD ergo ad primũ attinet, fuit Aristoteles genere Macedo, patria Stagirites Nicomachi medici peritissimi Phœstiadisq; filius: natus anno a mundi creatione 4735. primo, vel tertio olympiadis nonagesimæ nonæ; ante Christi natiuitatem 410. Fuit corpore paruo, gybboso, cruribus exilibus, oculis paruis, & balbutiente lingua. Præceptorem habuit primum domi patrem, a quo Hyppocraticam doctrinam accepit: deinde Athenis Socratem, quem tres annos audiuit; postea Platonẽ ad quem anno decimo septimo ætatis suæ se contulit, quem viginti annos audiuit. Hinc sumant exemplum nostrorum temporum iuuenes, qui vix per annum, præceptori patientes aures præbent. Quo tempore inexplebili quodam desiderio Philosophorum & aliorũ Scriptorum, libros legebat, ita vt Plato eius ædes Lectoris domum appellare consueuerit: & adeo veri inuestigãdi fuit cupidus, vt nunc Mens, nunc Veritatis Philosophus a suo præceptore fuerit appellatus. Vnde aliquãdo scholã ingressus, cum eũ abesse vidisset, succlamando dixit, Mens abest: alias, Abest veritatis Philosophus. Hoc discendi studio atque diligentia, dum adhuc discipulus esset, Philippus Macedonum Rex ei Alexandrum filium instituendum dedit: & vt ex regijs literis constat, Dijs gratias agebat, quod eo tempore ei filius esset natus, quo ab Aristotele institui posset,

Ale-

Alexandro per quinquennium satis instituto, Athenas reuertitur, vbi cum Xenocratem condiscipulum Academiæ præfectum docêtem vidisset, dixisse ferunt, Sibi turpe esse silere, & Xenocratem loqui. Propterea iã annum agens quinquagesimum, in Lyceo scholam erexit, vbi annos tredecim docuit, & sectam Peripateticã instituit. Simul Philosophiam, & dicendi artem, docebat, illam ante, hanc post meridiem; vt nec hac in parte Isocrati, qui tunc Athenis eandem facultatem profitebatur, inferior videretur; & vt suos discipulos simul sapientes & eloquentes faceret.

DISCIPVLOS præter Alexandrum, qui dum vixit multum ei tribuit, & ab æmulis liberauit, in Lyceo habuit Tirtamum Lesbium, cui Theophrasti nomen imposuit, Menedemum Rhodium, & Theodecté. Alexandro vita functo, in iudicium vocatus, ob impietatis crimen tanquam ἄθεος καὶ ἀσεβὴς, quod scilicet deos, & eorum cultus negaret, caussam pro se, & hanc quidem solam in vita egit Atheniensium iudicium veritus, Chalcidem, quę in Euboea insula est, se contulit, vbi anno sexagesimo tertio ætatis suæ moritur, quo etiam tempore Demosthenes obijt, biennio post Alexandri mortem, cum iam multa sui ingenij monumenta, 400 nimirum volumina, vt quidam scribunt, in lucem dedisset, aut scripta reliquisset. Senec. Crinit. Suidas.

DE mortis genere, alii eum veneno se confecisse perhibent; alij, vt Iustinus Martyr, & Gregorius Naziãzenus, ob conceptum ęgrorem ignorantiæ reciprocationis Euripi: alij denique cum dolore & lacrymis, ac etiam spe misericordiæ primæ caussæ, quam animam agens ex animo implorabat, e vita migrasse ferunt. In admoni. Orat. 1. in Iulian. Cœl. lib. 16. c. 34.

QVI in Aristotelem parum fuerunt propensi, hæc in eo potissimum vitia notarunt, auaritiam, nimiam gloriæ cupiditatem, procacitatem, maledicentiam, atque animum ingratum in præceptorem, in quem tanquam pullus in matrem recalcitrauit. quod vitium purgasse ferunt, cum ei aram erexit, atque etiam cum ma-

Lib. 1 eth. Eust. 1. eth. c. 6. gis veritatis amore, quam amicorum teneri se dixit. Eam quoque calumniam de nimio in alijs reprehendendis studio, nonnulli eleuare conati sunt. De doctrina etiam atque de docendi ratione, non defuerunt qui eum reprehendendum censuerint, & reprehenderint: Alex. Aphr. Themist. qđ fuerit in dicendo obscurus, tenebricosus, lubricus, incertus, sæpe nimis profusus, ut cū alios uellicat: sæpe nimis contractus, cū suā sententiā, præsertim de rebus dubijs, dicit: præcauens, ne si plane dixisset, in aliorū reprehensionē incidisset, & talionis pœna affectus fuisset. Quare, cum ea quæ docebat de industria obscurauerit, Sepia vocatus fuit. Est autem sepia piscis genus, quod dum se capiendū videt, vt piscantis spem eludat, atramentum in aquas euomit, quibus infectis, eius manus Pier. lib. 28. elabitur. Quod si postea in liquido loco iterū deprehēdatur, statim in effusam atramēti nubē se recipit: vnde Græci, atramentum *πηλωτικὸν* vocant.

Sed cur potius sepia, quam polypus, & loligo, quā vulgo piscem atramentarium vocant, cum hi quoque pisces atramentum effundant? An quia hi, non nisi metu pulsi id faciunt? sepia vero non solum cum timet, sed etiam animi caussa, quod aliquando Aristotelem fecisse, facile aliquis existimaret: cum quibusdam in locis obscure loquutus sit, in quibus nihil fuit necesse, atramentum fundere. Vere itaque in epistola, qua cum Alexandro de acromaticorum sermonum editione conquerente, se purgauit, dicere potuit, *ἴσθι ὖν αὐτὺς καὶ δεδομένυς, μὴ καὶ ἐνδεδομένυς*, idest, scito eos Apud Gel. esse editos, & non esse editos, cum ab ijs solum cognosci possint, qui nos audiunt. Sed ab hac calumnia facile sui eum liberarent, dicentes, nefas esse Philosophiæ arcana in vulgus palam proferre, ac proinde priscos Crinit. Philosophos & Theologos, vel ænigmatibus, vt Museus, Orpheus, Pythagoras, & Plato, vel dictionis genere, vt Heraclitus, res Philosophicas occultasse: idemque fecit Aristoteles sed meliore quadam ratione. Nā fabularum & ænigmatum integumentis reiectis, quod

facile

ſacile in errrorem inducant, id quod Philoſopho cauendum eſt, tanta dexteritate verbis alioqui proprijs, atque communi ſtylo Philoſophiam tradidit, vt quod faciendum erat præſtiterit, hoc eſt rudia ingenia a ſuis ſcriptis reiecerit, & ab induſtrijs tandem intelligi potuerit; id quod factum fuiſſe videmus. Huc facit, quod quæ grauiter & exacte docere, aut ſcribere ſolebat, ea populari quadam ratione in exotericis & communibus ſermonibus tradere conſueuit.

QVOD ſæpe in aliorum ſententias inuehatur, ea fuit cauſſa, quia Philoſophiam ab erroribus expurgare, & liquidam veritatem tradere cupiebat. Quod ſi non ita ſimpliciter eas accepit, vt accipiendæ erant, id ea de cauſſa fecit, vt ſcribendi, & philoſophandi minus aptam aliorum rationem ex Philoſophorum ſcholis exploderet. Id etiam in eo damnatur, quod parum de rebus diuinis, de hominis poſt hanc vitam ſtatu, & de religione in Deum ſcripſerit; in quo certe damnandus non eſſet, ſi qui exſtat de mundo liber, eius eſſet, vt nonnulli volunt: ac etiam multo minus, ſi libri de myſtica theologia, ſeu de Philoſophia ſecundum Aegyptios, ſuperioribus annis ex arabico codice verſi, in bibliotheca Damaſcena inuenti, quos me legiſſe memini, ab ipſo ſcripti fuiſſent, quod non facile crediderim, licet id aliqui perſuaſum habeant; quorum librorum aliquando diuus Thomas mentionem fecit. Poſſet etiam dici Ariſtotelem plures ſcripſiſſe de Philoſophia libros, qui ad nos non peruenerunt, vt aliqui de quibus meminit Laertius: & M. Tullius in primo & ſecundo de natura Deorum, aliqua teſtimonia ex libris philoſophicis Ariſtotelis citat, quæ nunc non extant, vt etiam Euſebius Cæſarienſis. In ſumma, cum Ariſtoteles Philoſophiam ab alijs nondum bene conſtituam, & ab erroribus, purgatam ad methodum redigere, & purgatam, multa reijciendo, alia ſeligendo, noua inueniendo, atque cuncta recte diſponendo, tradere voluerit, quid mirum, ſi omnia ad vnguem præſtare non potuit? Vt merito de cul-

Steuc.

Iacob. Carpen.

Opuſ. 16.

Lib. 2. pol. to sermone quo vtebatur Socrates, hoc est Plato, qui vbique Socratem loquentem facit, agédo dixerit, Difficile esse omnia præstare. Et sane, quod ad sermonis elegantiam attinet, ornate & copiose loqui potuisset, cum Cicero, eum aureum orationis flumen appellet. Vt ergo Aristoteles suos habuit accusatores, ita & defensores habere potuit, & habuit, & in doctrinæ genere, & in scribendi ratione. Et sane nonnulla ei tribuuntur errata, a quibus, vel omnino, vel aliqua parte purgari posset: vt de omnium rerum a prima caussa efficientia, de animorum immortalitate, de prouidentia diuina: cum ex eius scriptis, & efficientia, ex prouidentia Dei, atque animorum noua productio, ac perpetuitas colligi possit. Fatendum tamen est, eum in multis non satis plane, quod sentiret explicuisse, & in rebus Geneb. ad Geographiam & Astrologiam pertinentibus, non fuisse multum eruditum, vt quidam scripserunt. Nonnulla huius auctoris errata, ab eius Lectoribus cauenda, postea recensebo. Sed de Aristotelis vita & moribus hæc dicta sufficiant.

De libris Aristotelis. *Cap. IX.*

Fran. Pat. lib. discus.



ON me fugit quam late de suscepto argumento scribi possit, & a nonnullis scribatur: sed quia hæc mea Institutio breuitatem flagitat; idcirco, quæ de re proposita sunt scitu digna, paucis complectar. Laertius de Aristotelis libris agendo, ad quadringentos enumerat: quorum multi nunc non extant; nec illi quos numerat, ijs quos habemus, omni ex parte respondent: qui centum & viginti summam non excedunt; & in sex classes a quibusdam distribuuntur.

In prima ponuntur libri logici, siue organici; numero quindecim: vnus categoriarum: vnus, vel vt Latini distribuunt, duo de interpretatione: vnus, vel duo prio

re

tres analytici : duo posterioris Analysis : octo Topici : vnus, vel duo Redargutionum. In secunda, physiologici, siue naturales, octo de naturali auscultatione: quattuor de cœlo: duo de generatione & corruptione: quattuor meteorologici, vel sublimes: vnus de mundo: tres de anima; vnus de sensu & sensibilibus: de memoria & reminiscentia vnus: de somno & vigilia vnus : de insomnijs vnus: de diuinatione per somnium vnus: de motu animalium, vnus de longitudine & breuitate vitæ vnus de iuuẽtute, & senectute, morte & vita vnus: de respiratione vnus ; de animalium ingressu vnus : de spiritu vn us ; de animalium generatione vnus ; quattuor de pa rtibus animalium; de eorundem historia decem ; de co loribus vnus ; de physionomicis vnus , & de plantis vndecim. In tertia, metaphysici; (hoc est, post naturales, quod ordine inuentionis , post naturales inuenti sint; vel supranaturales, quod in eis de rebus supernaturalibus agatur) duodecim . In quarta, mathematici du o, vnus mechanicorum, alter de lineis insecabilibus. In quincta, Politici, siue Ethici, ciuiles octo: morales ad Nicomachum decem; Magnorum moralium duo; Eudemiorum septem : œconomici duo; & de virtutibus vnus. In sexta, philologici, siue sermocinales, in quibus de sermone agitur: Rhetoricorum tres; Poeticæ vnus. Reliqui exrra ordinem ponuntur , Problematum , de admirabilibus auscultationibus, de Xenophane, de Gorgia, & de Nilo. An vero omnes citati libri sint Aristotelis, an etiam quidam alij, & an omnes 1 nt integri, nõ est nostrum hoc loco expendere , dicemus tamen aliquid de illa celebri librorum Aristotelis diuisione in Acromaticos, & Exotericos, de qua nonnihil disceruimus in secundo de caussis eloquentiæ libro. Disp. 6.

QVAMVIS ergo de re proposita , de qua varij scriptores meminerunt, eamque examinarunt , variæ extiterint sententiæ , tamen duæ sunt magis probabiles. Prima, libros Acromaticos, hoc est Auscultatorios esse existimat, qui de rebus subtilioribus , & subli- Cic. Plut. Gel. Perpig.

mibus agebãt, quos illi solum intelligere poterant, qui eos a præceptore audiebant, & ingenio præstantiore præditi erant, vt libri octo physici, qui de physica auscultatione inscribuntur, quod abstrusiore dicendi genere fuerint exarati, vt ipsemet Aristoteles in epistola supra citata, plane fatetur. Item Metaphysici, & Analytici, de cœlo, & horum similes, in quibus magis recondita, & graui stylo tradita continetur doctrina. Hos libros, referente Plutarcho, aliqui Epopticos, hoc est, inspectorios, vt ita dicam, vocarunt.

Exoterici vero, hoc est extrarij, siue externi, qui etiam, ἐν κοινῷ λόγοι, populares & communes, & τὰ ἐγκύκλια φιλοσοφήματα, quasi vulgares de Philosophia quæstiones, coram circumfusa multitudine disputatæ, vocantur, illi esse dicuntur, qui populari sensui & intelligentiæ erant accommodati, quamuis aliquid paullo maius continerent, & qui de rebus minus

Patr. subtilibus scripti erant, & omnibus communes. Secunda aliorum, qui per Acromaticos intelligunt eos libros quos Aristoteles docendo suis communicabat: per Exotericos vero, alios, qui in vulgus editi erant. Quare nul

In lib. 3 Polit. c. 4. 13. lo modo audiendus est Sepulueda, qui nomine Exotericorum librorum existimauit significari eos omnes, quos Aristoteles ex alio opere, citauit, non autem libros populares & communes, hoc nixus fundamento, quia in primo Ethico ad Nicomachum, & de Moribus ad Eudemum, reconditæ doctrinæ libros, non auscultatorios, sed exotericos vocat; ob quam caussam, hanc librorum distinctionem fictam esse iudicauit, cum tamẽ auctores grauissimi eam admittant, Laertius, Philo, M.

Lib. 1. Strom. Fons. pf. in Met. Tullius, Macrobius, Gellius, Galenus, Clemens Alexandrinus, Basilius & alij: atque ex ijsdem locis, quæ pro se aduersarius affert, admittendam esse facile comprobatur. Nam in priore loco expresse dicit, de eadem re actum esse in popularibus disputationibus, & in Philosophicis, hoc est in libris acurationibus & philosophico more scriptis: vbi vides duo expressa librorum genera.


nera. In posteriore vero, exoterice de aĩa tractationi, plane exactam de eadem re disputationem opponit. Quare allata librorum Aristotelis distinctio, nullo modo tanquam vana & commenticia reijcienda, sed vt vtilis ad explicanda & intelligenda nonnulla Philosophi loca animaduertenda est.

DENIQVE circa Aristotelis libros illud dicendum occurrit, qua ratione ad posteros peruenerint, de qua re Plutarchus in Sylla, & Strabo libro decimo tertio suæ Geographiæ, præter alios legendi sunt. Aristoteles ergo Theophrasto discipulo, vna cum schola, suos libros legauit: quos postea ipse cum suis Neleo Sceptio Corisci filio, & eiusdem Aristotelis discipulo testamento reliquit. Neleus totam suam bibliothecam, quam Scepsim comportauerat, hominibus a philosophicis studijs alienis reliquit, qui eam sine vlla maiore cura seruarunt. Sed metuentes ne sibi ab Attalicis Regibus Pergameã bibliothecam instruentibus vtriusque philosophi libri eriperentur, terræ infossos occultarũt: quos postea, multis modis iam labefactatos Appelliconi Teio, magno prætio vendiderunt, qui pro suo arbitrio in consulte eos correxit, vel potius mendis respersit. Verum, vt ijdem auctores scribũt, etsi ab Apellicone deprauati fuere, semper tamen libri Aristotelici, eo viuente, in eius bibliotheca Athenis delituerunt. quo mortuo, & Athenis a Lucio Scylla Dictatore subactis, eiusdem iussu Romam translati fuere, vbi primũ a Tyrannio Grammatico viro ea ætate, pereruditoi, deinde ab alijs consequentibus diligenter correcti, atque adeo explanati fuere. En igitur vt Græcorũ Philosophia priuatim in vrbem venit, vbi postea apud Latinos perpetuo conseruaretur, atque latinis litteris amplificaretur, vt cum Claudiano canere liceat, In Latiũ spretis Academia migrat Athenis. Quibus libris vulgatis, diligenter enarratores Aristoteles nactus est, qui & deprauata restituere, & explanationibus obscura illustrare, conati sunt; de quibus postea aliquid scribe-

mus. Itaque ante Syllam veteres Peripatetici acromaticis sui magistri libris caruerunt, paucos exotericos habentes. Vnde posteriores Peripateticæ disciplinæ amatores, exquisitius philosophari cœperunt. Nec sine diuina prouidentia fortasse factum est, vt libri Aristotelis cui multum Ethnici omnes semper tribuerunt, conseruarentur, vt præter nostræ fidei propria præsidia, etiam Philosophi omnium grauissimi doctrina, Gentium damnarentur errores, & veritas retineretur, quã etiam ob caussam Sybillinos libros diuinitus inspiratos, conseruatos fuisse nonnulli Patres perhibent. Quare, pro singulari beneficio agnoscere debemus, quod Deus vnum voluerit existere, & permanere scriptorē, in quo vniuersa fere humana conseruaretur sapientia, alias temporum iniuria peritura, vt vnius hominis, vel etiam quamplurimorum laboribus, per multa annorũ spatia, vniuersus ferre terrarum orbis frueretur. Sed iam quid de hoc auctore, deque eius doctrina sentiendum sit, doceamus.

Niceph. in hyst.

Quid de Aristotele & eius doctrina sentiendum sit. Cap. X.



XTITIT olim inter quosdam Scriptores hæc curiosa quæstio, cuinam ex Græcis auctoribus ingenij & doctrinæ palma tribuenda sit; quam alij Homero, quod in suis operibus omnium bonarum artium doctrinam disseruerit, & a Platone, atque ab Aristotele mirifice laudatus, & pro diuino habitus fuerit. Alij Hippocrati Coo, quod in eius doctrina, nihil vnquam erroris per tot annorũ sæcula fuerit inuentum, & singulis pene verbis, aliquid mysterij aperuerit. Alij Socrati, vt Philosophiæ parenti, & principi, ac etiam omnium sapientissimo, dæmonis, qui interdum vera ad homines decipiendos dicit, testimonio, iudicato. Alij Platoni, vt homini, qui

apud uarias nationes ſapientiam didicit, multa noſtræ religioni congruentia dixit, & adeo ornate & eleganter ſcripſit, vt ſi Iupiter Græce loqui voluiſſet, nõ alio quam Platonis ſermone uſus fuiſſet, atque a M. Tullio, & ab Auguſtino omnibus alijs prælatus fuit. Alij vero, rationibus hinc inde perpenſis, Ariſtotelem ingenij & doctrinæ præſtantia, omnibus iam dictis, præferendum putarunt, quorum ſententiæ facile quiſque ſubſcriberet.

LAVDETVR ergo Homerus, vt bonus, vel ex omnibus Græcis, vt optimus poeta: Hippocrates ob ſua ſapienter tradita de re medica decreta, inter Medicos dominetur: Socrates, vt vir bonus, modeſtus, & in ethicis verſatus ſuam retineat laudem: Plato ob variam eruditionem & dicendi maieſtatem, ſuum habeat honorem: at vero Ariſtoteles, vt is qui omnia, quæ alij norunt, in rhetoricis, in poeticis, in mathematicis, in phyſicis, in theologicis, & multo plura nouit, & quod ſapientis ſignum eſt, ea abſolute, quod de nullo alio affirmares, alijs tradidit, præferatur omnibus. Sed quoniam non parum refert, ut diſcipulus recte intelligat quodnam iudicium de ſuo præceptore faciendum ſit, non erit inutile humanę Philoſophiæ Tironem, quibuſdam dictis explicatius docere, quid de Ariſtotelis ingenio atque doctrina ſentiendũ ſit.

SIT itaque de re propoſita, primũ dictũ, nullo modo audiendi ſunt illi, qui ita male de Ariſtotele ſentiunt, vt vel eum in Philoſophia pro magiſtro non eſſe habendum, nec iuuenibus prælegendum putent, vel certe non tanti faciendum, quanti communi conſenſu ſit. Nam iſti ſine ulla firma ratione doctiſſimorum hominum ſententiæ, atque iudicio ſeſe opponunt cum iam per multa annorum ſæcula, non modo a ſuis laudatus, lectus, & illuſtratus, ſed etiam ab externis, vt ab Arabibus, a Latinis, & a toto terrarum orbe, vt melior Philoſophus approbatus fuerit; vt qui non tam humana auctoritate, vt fere alij omnes, quam rationibus,

bus, ad rerum naturas, & ad hominum ingenia accommodatis, philosophatus fuerit. Sed placet hoc loco, vnius grauissimi auctoris testimonio, aliis omissis, quid de Aristotelis doctrina sentiendum sit breuiter confirmare. Legenti opera eius, inquit Plinius secundus, attente & diligenter, exoritur ingens admiratio: quã ab vltimis principiis deducit abditissima & profundissima rerum omnium? quam acute refellit aliena? quã fortiter communit, & corroborat sua? quo ordine digerit singula? quod est in tradendis artibus perutile: quanta frugalitate verborum? nihil est in eo vacans, aut inane, omnia solida, & plena, nusquam sinit lectorem oscicari, aut aliud agere; & quæ apud citatum auctorem sequuntur. Cum ergo quę apud Ethnicos Philosophos sparsa erant, magna cura Aristoteles collegerit, distinxerit, suo loco posuerit, & rationum trutina põderauerit, iure optimo in humana Philosophia, cum meliorem non habeamus, pro magistro retinendus, & alijs præferendus est.

Lib. 7. hist.

SECVNDVM dictum, Aristoteli non est tantum tribuendum, quantum a quibusdam tribuitur, in quo dupliciter ab illis peccatur. Primum, quod putent de omni natura id solum sentiendum esse, quod ab eo scriptum fuit, ita vt nihil certius afferri possit, & nihil euidenter impugnari, quod ille sanciuerit, vnde sequitur aliud, vt censeant, omnia quæ probat, demonstrationibus confirmare; ac proinde lumine naturali eius rationes refelli non posse. At qui isti, vt ego existimo, tantum huic homini tribuunt, quantum ipse sibi, (cum tamen alias esset glorię cupidus) nunquam tribuisset, nec etiam sponte oblatum forsitam acceptasset. Quare, dũ tanti Aristotelem faciunt, eum ex hominum numero exstrahere contendunt, cũ hominis sit, & labi posse, & sæpe labi, præsertim in de rebus grauissimis iudicio ferendo. Nunquid natura, in isto homine formando & perficiendo, omnem suum adhibuit conatum, ut perfectior unquam nec fuerit, nec esse possit? Quod si ab

Aphro. Auen.

habitu

habitu corporis de ingenio iudicare licet, si vera sunt quæ de Platonis, & Aristotelis forma scribuntur, aliquid maius de illius, quam de huius ingenio existimare fas esset: nec minor in illo, quam in hoc fuit sapientiæ comparandæ cura.

SED peteret hoc loco quispiam, vnde factum sit, vt non modo alios, sed et suũ præceptorem virum eruditissimum doctrinæ copia, & rerum veritate vicerit. Dicam, quia bonum sortitus est ingenium: quia multos annos optimo vsus est magistro, a quo vno fonte, ea poterat haurire, quæ ipse a varijs magistris, varijs in locis didicerat: quia librorum copia & varietas, Alexandri munificentia, ei non defuit, eo tempore, quo libri non erant facile parabiles: quia fuit e numero eorum Philosophorum, quos Græcis electores vocabant, qui nullius addicti disciplinæ, id sequebantur, quod rationi esset magis consentaneum; ac proinde, cum post multos annos, quibus in scholis versatus fuerat, & tam multa, vt supra scripsimus, legerat, iam maturo, prudenti, atque perspicaci ornatus esset ingenio, aliena colligendo, & aliqua addendo, potuit meliora scribere: denique, quia labore, studio, & diligentia, in qua vt præclare Tullius dixit, posita sunt omnia, vsus est maxima; qua contentione, qui in studijs vtantur, paucos inuenies: & idcirco pro miraculo habetur, si reperiatur aliquis, qui communem hominum consuetudinem scribendo vincat; vt præter Aristotelem, nonnulli alij fecerunt, ex nostris Origenes Adamantius, Magnus Albertus, & diuus Thomas. Nec fuit homini nauo solerti, cupidoque glorię, quæ ad maximos labores in rebus præclaris sustinendos maximam vim habet, aliquid inuentis addere; vt qui eum sunt sequuti, multa ei addiderunt. Vnde colligeres, errare eos, qui existimant Aristotelem tantarum rerum notitiam, alicuius dæmonis ope sibi comparasse: cum, vt diximus, ingenio & labore, tanquam duobus optimis instrumentis, non fascino, non præstigijs, ad tantum doctrinæ fastigium peruenerit.

Lib. 2. de orat.

uenerit. Non ſecus atque C. Furius Creſinus, qui e paruo agello copioſiores fructus colligere ſolebat, quam alij ex ſuis latifundijs. Qui accuſatus, quod veneficijs alienas fruges in ſuum fundum pelliceret, lacertoſam filiam, ſaturos boues, optima rei ruſticæ arma, referente Plinio, in forum adduxit, dixitque, veneficia mea, Quirites, hæc ſunt: neque poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes & ſudores meos: quibus auditis, omnium ſententijs fuit abſolutus.

SED iam ex ipſomet Ariſtotele oſtendamus, quantum iſti errent, ne, vt ſolent, teneros iuuenum animos tali opinione de Ariſtotele imbuant: quo fit, vt maiorem de eius doctrina, quam de Chriſtiana ſapientia exiſtimationem concipiant. Primum, qui ita de Ariſtotele ſentiunt, non animaduertunt, id quod ipſe ſapienter dixit, quod ab omnibus qui ad philoſophiam ſe cōferunt, perpetua memoria conſeruari deberet, Humanæ mentis aciem ad ea quæ ſunt naturæ manifeſtiſſima, non ſecus ſe habere, atque noctuæ oculos ad lumē ſolis: & alibi, Difficile eſſe recte prēſtare omnia. Deinde, quotnam iſti in Ariſtotele inuenient demonſtrationes, quibus omnia inſint, quæ ipſe ad perfectam demonſtrationem requirebat? Reſpondebunt, ſi Paripatetici videri volunt, paucas, aut potius nullam. Poſtea, quot in locis, ſeipſum hominem agnoſcens, ait ſe diſputare veriſimiliter, logice, & de quibuſdam dubitanter, & nihil temere eſſe aſſerendum, & in omnibus non eſſe requirendas rationes mathematicas? Prætérea, quis ignorat, eum quibuſdam de rebus varie ſenſiſſe; vt de inſtrumento tactus, de actu videndi qua ratione fiat, & de nonnullis alijs? An non potuit, dum externi oculi ſeneſcebant, & interni magis vigebant, aliquid melius videre, & emendare, quod prius non viderat? id quod omnibus hominibus vſu venire ſolet. Si Ariſtoteles in adulta, & iam matura ætate ſub prēceptore diſcebat, quæ ignorabat; cur non etiam a poſteris didiciſſet ea, quæ

Lib. 2. polit.

Lib. de cœl. de gener. Meteor. Ethic.

quæ qui antecesserunt, non viderunt, nec experti sunt? multa, inquam, quæ Græci, q̃ Arabes, quæ Latini (a quibus nõ multo post Aristotelis tpa Philosophia in omni fere sęculo accurate culta fuit, & nunc coliĩ) nõ dũ ex naturæ penetralibus eruta, in lucem protulerunt: præsertim in Astrologicis & Geometricis; de quibus, vt quidam dixere, loquutus est Aristoteles, vt cœcus de coloribus: cum ante eum insignis esset Geographiæ inscitia: quæ postea beneficio expeditionum Alexandri in vltimam Asiam, emendata est. Nihil dico de cœlorum numero, de modo, quo sol calorem producat, & de alijs naturalibus quæstionibus. Num fortasse isti eas rationes pro demonstrationibus habent, quibus mundi ęternitatem primus, cum ante ipsum meliores Philosophi creationem agnouerint, probare frustra conatus est? Quod sane non fecisset, si id obseruasset, quod aliquando vere dixit, Antiquorum sermonibus maximã fidem habendam esse Denique, cur non potuerit in humana Philosophia errare is, qui apud eos est natus, & educatus, qui antiquitatis monumentis, siue quibus nihil omni ex parte potest ab homine sciri, erant destituti? cum non multo ante ipsum, & historia, & scientia greca initium habuerit. Nec hic mihi vllus pro Aristotele, vel Aristoteles ipse, cum M. Tullio eluuiones, exustionesque prętendat, quas certo tempore necesse est esse; quia Aristotelicis ex eorum principijs facile responderem, & consequenter etiam Tullio, qui ab illis accepit. At de his alibi. Vt ergo hunc locum concludã, suscipiendus, ac suspiciendus est Aristoteles, sed non omnino vt dæmonium quoddam, & plenum miraculum; cum ab alijs accepta tradiderit, & quæ de suo dixit, non sint omnia cum veritate conformia: siquidem nonnullis principijs vsus est falsis. Retineatur itaque vt humanus magister, qui errare potuit, non vt Deus errorum expers.

Lib. 2. de cœl.

In met. de som. scip.

TERTIVM dictum, cum ex duobus magistris, quos in Philosophia retinendos esse diximus, vterque

aliqua

aliqua parte errauerit; magis tamen Platoni, quam Aristoteli, aliqui ignoscendum putant. Primum, quod bonum præceptorem diu audiuerit, & tamen in quibusdam rebus male ab eo discesserit, aut quid ipse sentiret, non plane exposuerit, vt ille fecit; vt de mundi creatione, de diuina prouidentia, de animorum perpetuitate, & de eorum finibus. Deinde, quia maiora habuit ad veritatem videndam adiumenta, & illud speciatim, quod cum Hebræis apud quos veritas integra erat, versatus sit, vt Clearchus Peripateticus libro primo de somno testatum reliquit.

QVARTVM dictum, in Aristotelis operibus versari volenti, illud persuasum sit, eum non esse omnino peruium, immo potius multis in locis valde obscurũ, nec omnino incorruptum, neque ab omnibus, nec vbique feliciter versum; ac proinde eius lectionem non esse accommodatam ijs, qui vix Grammaticam attigere, aut nondum ad aliquam ingenij maturitatem litterarum studijs peruenere: nec ex ea percipi posse fructum ab i s qui oscitanter legunt; vt fortasse faciebat Leguleius ille, qui a prandio animi relaxandi caussa Aristotelicos libros lectitare, & omnia se intelligere aiebat. At multo aliter Plinius de hoc auctore sentiebat, & propterea hunc in modum scripsit, volunt Aristotelis opera Lectorem ingenij non acuti tantum, sed etiam profundi, solidi, sani circumspecti; volunt attentum, diligẽtem, imbutum lectione variorum auctorũ, & cognitione rerum multarum. Hæc si desint, nihil Aristotelicis libris existimabitur asperius, insuauius in amœnius, quemadmodum nonnulli de eo iudicant, vel propter ignorantiam, vel propter teneritudinem ingeniorum, pondus non ferentes tantæ doctrinæ; quemadmodum infirmis oculis lux solis, & diei molestus est; quo nihil est sanis & valentibus iucundius. Hæc ille. Sententia sane dignissima, quæ ab omnibus, qui in Aristotele versari volunt, quam diligentissime obseruetur. Quod autem Aristotelis opera non omnino in-

corrupta

corrupta ad nos venerint, ex eo probari potest, quod minore cura fuerint conseruata, & pro corruptis alia fuerint reposita: vt omittam, quod Amanuenses rerũ ignari, describẽdis libris, præsertim veteribus, & manu scriptis, multa fœdare solent. Sed vt dictis incommodis aliquid remedij afferatur, aliud subijcio dictum.

QVINCTVM dictum, ad Aristotelis libros rectius intelligendos, hæc tria inter alia adhiberi possunt consilia. Primum, valde proderit, aliqua græcæ linguæ notitia; quod consilium quantum vtilitatis afferre possit, late demonstrarem, si in hoc immorari vellem: sed pro certo haberi velim ab ijs, qui vt discendi laborem fugiunt, satis sibi esse putant, si interpretes legant; non animaduertentes, vnam unius loci versionem, interdũ non posse integrum sensum exprimere, quem uerba continent: ut omittam, quod latina lingua græcas phrases non semper plene assequitur: habet enim quæuis suos idiotismos natio. Voces animi notiones enuntiãt, quare, qui uocum genuinam significationem ignorant, scribentiũ mẽtem nõ assequunt̃, maxime Aristotelis, q̃ proprie, breuiterq; loquitur: ac proinde melius erit eũ audire loquentem. Ponatur ergo aliquis in discenda lingua Græca labor, quem maximæ compensabunt utilitates; & ea præsertim, ut intelligi queant expositores & scriptores illi qui græca uerba perpendunt. Secundum, is longe melius Aristotelis sensa percipiet, qui eius loca, & sententias conferet, & ipsum, per ipsummet exponet: & quid pro ratione subiectę materiæ quam tractat, & personę quam gerit dixerit, perpendet, ac distinguet, atque quod uno in loco uniuerse sine distinctione docuit, alibi ex professo exposuerit animaduertet. Dixit aliquando ex nihilo nihil fieri, agẽdo de cõpositione & productione physica, & uere q̃dẽ. Dixit physicũ agere de formis corruptibilibus, ut ostẽderet, non esse eius loci in quo versabatur, agere de prima forma, vt actum erat de prima materia. Huc faciũt eorum labores, qui Aristotelis apparentes contrarietates

Lib. 1. periher.

Lib. 1. phys. t. ult.

tates

tates tollere sunt conati. Esset itaque maxime vtile, siquis, ubi aliquem progressum in lectione, & intelligentia Aristotelis fecisset, postea eius sententias ad cõmunes locos reuocaret, easque sibi familiares faceret, & communium pronunciatorum genuinum sensum indagaret. Tertium, qui facilius difficiliora Aristotelis scripta intelligere voluerit, is a facilioribus libris, vt sunt Ethici, & Politici incipiat, modo prius in Logicis fuerit versatus: cum Logicæ doctrina ad omnes Philosophorum libros intelligendos viam sternat. Et quod huc facit, erit valde fructuosum, si quæ legit ad breuem summam suæ intelligentiæ accommodatam rediget; cum quæ auctores, vt se explicent, late exponunt, in pauca conferri queant: quæ suis temporibus repetéda erũt. Sed de ratione studendi alio loco plura.

NVNC antequam ad alia proposita capita progredior, quædam dubitatio, nullo modo silentio inuoluẽda, mihi explicanda est, cur Aristoteles nunc tanto in honore habeatur, & a viris etiam sacris tam studiose legatur atque explicetur; cum quæ contra Philosophorum doctrinam a sanctis patribus olim dicta fuere in Aristotelis dogmata cadant: quem aliqui Sepiam, nominarunt, vt Tertullianus, Cyprianus, & Epiphanius, vel priuatim impugnarunt, vt Gregorius Nazianzenus, & Iustinus Martyr: alios vero Philosophos potius approbarunt; vt Hieronymus Stoicos, & Platonicos Augustinus; quod illi recte beatitudinem in vna virtute posuerint, & nonnulla eorum scripta, videantur fere christiana, ut Epicteti, & Senecæ: hi vero de mundi origene, de animi perpetuitate, de prouidentia diuina, & de nonnullis mysterijs nobiscum consentiant; in quibus, vel Aristoteles errauit, vel quid senserit nõ explicuerit; ut etiam supra diximus. Quare, non recte factum esse videtur, vt hic vnus, a nobis præsertim Christianis, pro singulari sapientiæ humanæ magistro habeatur. Huic grauissimæ dubitationi hunc in modum satisfacio.

QVOD

QVOD ad Stoicos eorumque doctrinam attinet, non habemus aliquem, quem in vniuersa Philosophia sequamur, præsertim in physicis: in moralibus, plura peccarunt, quam Aristoteles. Voluerunt enim virtutes esse scientias: affectus omnes esse malos, quod nunc nonnulli hæretici docent: vitia esse paria: libertatem sustulerunt: de beatitudine minus bene, quam Aristoteles senserunt; qui non solum in virtute, sed in speculatione eam posuit, nec solum vniuerse, sed etiam practice eam considerauit, ac proinde ad eius vsum fortunæ & corporis bona, vt instrumenta quædam ad multas virtutes exercendas, requisiuit: vnde etiam Theologi corporis bona ad plenam beatitudinē post hanc vitam requirunt; vt non solum mens, sed totus homo, qui animo & corpore constat, sit beatus. Male de diuinis senserunt, cum Deum faciant corporeum; vnde quamplurimi dimanant errores. Omnia fato, hoc est necessitate quadam fieri & gubernari dicunt, vnde Manichæorum, & recentium hæreticorum turpissimus error. Atqui Aristoteles Deum ab omni concretione materiæ seiungit, & contingentiam admittit; quam veritatem totius pene Philosophiæ fundamentum, apertissime demonstrauit. Stoici tandem animos mortales faciunt: Aristoteles vero nullibi hoc docuit, sed potius ex communi Peripateticorum sententia, contrarium affirmauit. Deniq; quamuis Stoici in dialecticis & arte differendi, a Chrysippo homine peracuto instructi, excelluerint: tamen ab Aristotele, qui absolutam differendi rationem, non vnam tantum partem, vt illi, multa discere, & inuentis aliquid addere facile potuerunt. Cic. li. 5 de fini. Cic. in Top.

DE Platone, & Platonicis, iam supra diximus: a quibus non habemus vniuersum Philosophiæ cursum absolutum, & explicatum, vt a Peripateticis. Plato non satis pure de rebus diuinis scripsit, & ideo eius scripta nonnullorum errorum fuerunt seminarium. Vnde Tertullianus, alioqui Platonis studiosus, se dole-

D.Tho. 3.p.q 3. 4.art.2. Aug. 8. de ciu. c.11. re dixit, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum; Origenes etiam, & quidam alij, alias in Platonem bene affecti, eundem Arianorum fontem appellarunt. Et sane, cum diuina legerit, & ea humana ratione condire uoluerit, nihil mirum, si lapsus fuerit. De mundi ortu, minus male sensit Aristoteles quam Plato, qui posita elementorum æternitate, de nouo factũ esse putauit. In Tim. Alc. de doct. Plat. Et licet non ita dilucide, ut Plato fecit, de immortalitate animorum sit loquutus; tamen ille animam ueram corporis formam facit, hic non item: & certe, in doctrina de anima, plura extant Platonis, quã Aristotelis errata. De prouidentia, & de Deo, si quę uarijs in locis, ut in libro de mundo, & in moralibus Aristoteles scripsit, spectemus, meliora nobis tradidit, quam Plato, quamuis hic fortasse plura. In Theęt. At præstat, ut ipse aliquando dixit, Pauca bene, quam multa male definire. Merito igitur maiores nostri, cum uiderint quantum utilitatis ex humanæ Philosophiæ studio capiatur, philosophorum scripta legenda esse iudicarunt, & unius Aristotelis doctrinam præcipuam anctoritatem habere posse existimarunt.

De Aristotelis interpretibus, eorumque selectu.
Cap. XI.



QVIA Aristotelis scripta tale ingeniũ requirunt, quale ex Plinij sententia esse debere, supra docuimus, cuiusmodi non fecile inuenitur; propterea necesse erit aliorum præsidio uti, qui in elucidando Aristotele elaborarunt. Et quoniam non omnes in hoc munere se præclare gesserunt, sed alij alijs melius, peiusque; ideo eorum aliquis habendus est selectus. De Aristotelis itaque interpretibus eligendis, & legendis, hoc loco aliquid nobis dicendum duximus.

ANTE-

ANTEQVAM autem aliquid de re proposita statuo, id adscribam, quod Patritius de recta doctrinæ Aristotelicæ interpretandi ratione, prudenter admonuit. Ea, inquit prima est ratio, vt Aristotelis dogmata ex ipsiusmet verbis atque sententijs colligamus. Hæc enim non solum propinqua & proxima, sed legitima, genuina, atque germana methodus est, vt Aristoteles ipse suam explicet sententiam, suum dogma constituat, priusquam, vel Andronicus, vel Alexander, vel Porphyrius, vel Auenroes, vel quiuis alius Interpres, vel antiquior, vel auctoritate maior. Id autem facilius est colligere ex libris ipsius, quam ex tot eius explanatoribus. Neque enim semel tantum vnius rei meminit, nec semel eandem pertractat; sed omnia fere problemata, & theses sæpe ac multis in locis, vel longa, vel breui oratione repetit, ac pleraque disquirendo, ac disputādo refricat, inculcatque. Quam explicandi rationem paucos sequutos fuisse ait, & maxime eos, qui ex vno, vel altero Aristotelis loco dogma conficiunt, & non omnia eius opera euoluunt, nec exponunt. Et rem concludendo subdit, Optima igitur Aristotelicorum dogmatum constitutionem eam statuamus, quę ex omnibus Aristotelis locis eruta sit, Optime enim is iudicabit, qui omnia collegerit, qui singula singulis contulerit, diuersitates viderit, & contrarietates examinauerit.

SECVNDAM eam dicemus, quæ ex pluribus fuerit collecta. Tertiam, ac difficillimam, quæ ex vno, alterove tantum loco pendeat. Iam vero illa quæ quarto loco succedere posse videtur, extranea est proculdubio, quæ singulis explanatorum expositionibus scrutandis, combinandis, colligendis, immoratur: quod frequens & fuit, & maxime nostris temporibus est. Et quæ apud eundem sequuntur, vbi hanc postremam explanandi rationem, vt ab Aristotele distantem reijcit, & plus nimio de singulis rebus disputantes redarguit: de qua re nos infra accuratius agemus. Sed

quoniam, vt est in prouerbio, plus vident duo oculi, quam vnus; ideo interpretum meliorum scripta animaduertenda sunt, de quorum selectu nunc breuiter agemus, & quæ dicenda occurrunt quibusdam dictis complectemur.

PRIMVM dictum, interpretum Aristotelis, alij sunt Græci, alij Latini, alij Arabes: quorum alij grȩcam linguam callebant, alij minime: rursus alij fuerũt Christiana pietate imbuti, vt Latini omnes: alij vero, non modo non fuerunt Christiani, sed etiam Christianum nomen insectati sunt, vt præter alios impius Auenroes denique, alij antiquiores, alij neoterici.

SECVNDVM dictum, cæteris paribus, Græci, & qui græce norunt, præferendi sunt alijs. Quoniam negari non potest, quin linguæ græcæ notitia maximam vtilitatem afferat ad aliquem locum clare explicandum, & genuinum sensum eliciendum, verborum propria significatione atque eloquutionis genere percepto. Cum itaque scriptoris sententia sit expressa verbis, is profecto melius sententiam assequetur, qui melius eam linguam nouerit, qua vsus est auctor. Dixi, cȩteris paribus, quia posita clara & germana interpretatione codicis græci, poterit Latinus, vel etiam Arabs linguæ græcæ ignarus, melius aliquem locum intelligere, si perspicaicore & magis erudito vtatur ingenio, quam Græcus minus eruditus.

TERTIVM dictum, ut Græci, vniuerse loquendo, in exponendo, aliqua parte, Latinos superant; ita alia parte illi ab his superantur. Superant quidem, illi, quia cum linguam calleant, accuratius verborum sententiam explicare, ac etiam diutius circa verba insistere solent: superantur vero, quia Latini diligentius obscuritatem illam Aristotelis, textum, vt loquuntur, distinguendo, remouent, ac etiam subtilius, quæ dicũtur perpendunt, & examinant. Adde etiam quod illi interdum solent esse verbosiores, hi vero, paucioribus sunt contenti; vt sane esse debent, qui philosophice scribũt;

quia,

quia, vt nimis concisa explicatio rem non illustrat, ita nimis dilatata eandem dissipat.

QVARTVM dictum, vniuerse loquendo, expositores Arabes Græcis, & Latinis expositoribus postponendi sunt. Quoniam illi, vt plurimum, vsi sunt codicibus minus puris, quam hi: & quasdam magis leues, opiniones sectari solent, vt is facile cognosceret, qui corũ in vniuersa Philosophia errata animaduerteret: vt omittam, quod omnes fuerunt mahometismo, vel alia falsa religione infecti, atque vt magis impij, minus veritatis lucem videre potuerunt. Quare potius illis expositoribus vtendum esse putarem, qui vera pietate fuerunt imbuti, quam alijs; modo tamen hi id præstēt, quod bonus interpres præstare debet.

QVINCTVM dictum, quamuis, generatim loquendo, antiquiores explicatores legendi ac sequendi sint; tamen quidam recentioses nullo modo sunt contēnendi. Et licet illi sint maioris auctoritatis; tamen si esset aliquis qui perspicue, breuiterque meliorum, qui pauci sunt, expositiones afferret, suum iudicium interponeret, quod minus probabile est refelleret, quod tenendum est confirmaret, & per accuratam verborum considerationem atque aliorum locorum collationem auctoris sentētiã, quibusdam dictis exponeret, is, meo quidem iudicio, nullo modo negligendus, immo, a Tironibus præsertim, magis quam alij legendus esset. Contulimus varios inter se interpetrum ordines, nunc qui in singulis ordinibus excelluerint, docebimus.

SEXTVM dictnm ex Græcis, Simplicius, ut locuples, Themistius, ut compendiosus, Alexander, vt constans, Theophrastus, ut grauiter elaboratus, Ammonius, vt facilis, & dicendi ratione gratus præferendus est. Habent itaque singuli suas virtutes ob quas in honore haberi debeant. Et cum uariæ sint hominum appetitiones, & gustus, quisque ex ijs, quos ut meliores numerauimus, qui magis placuerit, eum eligat. Neque enim nos in hac parte priuatum volumus in-

terponere iudicium: cum huiusmodi collationes soleant esse odiosæ.

SEPTIMVM dictum, ex Latinis antiquioribus, hi celebriores habentur, Boethius, Magnus Albertus, diuus Thomas, Aegidius, & Scotus: in quibus suas notares virtutes, quæ a quibusdã illis tribuuntur, quas nos in præsentia persequi nolumus. Sed quia, cum aliorum pace grauissimorum virorum auctoritate, diuum Thomam alijs preferre licet, ideo de hoc nunquã satis laudato, Philosopho, & omnium Theologorũ principe, angelicoq; Doctore, aliquid speciatim dicemus.

QVIDAM tale iudicium de diuo Thoma tulit. Diuus Thomas in explicando Aristotele totus eo incumbit, vt verba diligenter consideret, eorumq; sententiam fideliter magis, quam eleganter exprimat, & Sepiam illam atramentum effundentem, crebro (vt prisci Aristotelem nuncupabant) sensimque fugientẽ lynceus ipse & prudens, tanquam Delius quidam natator insequitur, apprehendit, detinet. Quamobrẽ, hiulca explet, complicata aperit, cõfusa distinguit, mutila sarcit, contextum ipsum partitur, distribuit, connectit: discussisque ambiguitatum nebulis, quæ interdum emergere circa ipsum solent, obscura quæq; breuissime quidem, sed attamẽ, ita illustrat, vt Expositoris nomen, nemine penitus dissentiente, obtinuerit.

Hieron. Vieln. li. 3. de doctr. diui Tho.

Alius de eodem diuo Thoma tale testimonium tulit, Hunc habemus, non modo in his physicis commentationibus, sed in libris alijs fidum ducem, cui etiam nõ sine caussa, nomen Expositoris tributum est. Illo enim (pace Græcorum Expositorum dixerim) curiosior, aut vberior, aut, quod rarum est, clarior inuentus est nemo. Vnde, meo quidem iudicio, omnis Latij, omnisque Philosophiæ decus semper habendus est. Item alius, omnium Latinorum maximum, & non minorẽ aliquo Aristotelis expositorem vocat, siue sit Græcus, siue Arabs, siue qualiscunque. Item alius, eundem omnibus Latinis præfert: Et vt quorundam aliorum testi-

Niphus.

Põpon.

Flam.

Zim.

Foxius.

testimonia omittam, ideo diuus Thomas præferendus est, quia primus inter Latinos omnes fere Aristotelis libros commentarijs illustrauit, Logicos, Physicos, Metaphysicos, Morales, & Politicos; & quosdam vt melius exponeret, viros græce eruditos adhibuit, cum græcã linguam ipse non attigerit, aut certe leuiter: vt qui intelligebat magna luce ad intelligendum Aristotelẽ carere eos, qui græce linguæ essent ignari.

OCTAVVM dictum, inter Arabes, qui numero, doctrina, & auctoritate Græcis & Latinis sunt inferiores, in quibus Auempace, Alpharabius Auenroes, & Auicenna Hispalensis Medicus insignis, sed religione infamis, Mahometanus enim, vt ipse de se testatur, potissimum numerantur, alij potius Auicennam, quam Auenroem, legendũ putant: Quod eius scripta oĩ memoria a grauissimis hominibus probata sint: & quod vnus inter omnes Arabes proxime ad verum Philosophiæ Christianæ decus, & laudem accessisse videatur. Tolet. At quid de Auenroe dicendum, qui magni Commentatoris titulum suis lucubrationibus sibi comparauit? Dicam, superioribus annis tantum ei fuisse a quibusdam tributum, vt pro honore haberetur, si quis eius profiteretur doctrinam; ita vt secta quędam Auenroistarum fuerit introducta, & eius digressiones ita publice exponerentur, ac si pro duce haberetur. At uero alij consequuti sunt, qui auctorem mendis scatentem, barbare uersum, confusum, intricatissimum, & obscurissimum minoris faciunt, & aliorum purioribus nitidioribus, & clarioribus commẽtarijs utendum putant, ac etiam utuntur. Cecidit itaque illa Auenrois sine ratione excitata celebritas. Quem, etsi aliqui emendare atque illustrare conati sint, tamen id eis non omnino feliciter successit. Hier. Bagal. Et sane, eas maculas quas ob eam caussam contraxit, quod Aristotelis versione deprauatissima sit usus, eluet unquam nemo. Quanti Commẽtator iste faciendus sit, qui intelligere uolet, grauissimã & uerissimam legat censuram, quam uir doctus Ludo-

Lib. 5. de corrup. ar. to. 1. uicus Viues in eum tulit, qui merito eos dementes uocauit, qui Auenroem Aristoteli parem, & beato Thoma superiorem fecere. Nec propterea, quod hunc auctorem minoris faciendum esse existimamus, quam superioribus annis a quibusdam factus fuerit, omnino reijciendum esse statuimus; cum multa habeat firma, sed ferme aliunde accepta.

Perion. Colleg. con. Faber. QVOD vero ad græci codicis interpretem attinet, cum uarij uarie diuersos Aristotelis libros traduxerint, is eligendus erit, qui planius traduxit, & magis ad Philosophi sententiam accessit, ad quam minus accesserunt, qui nimis eloquutionis latinæ fuerunt studiosi; in quibus aliqui Perionium ponunt. Ob quā caussam Muret. uir græce ualde eruditus, me audiente, dicere solebat, se, si quid interdum dubij in Aristotelis lectione haberet, potius eos consulere, qui minus eleganter traduxerunt, quam alios qui ad Ciceronis phrasim uertendo accedere uoluerunt.

Recensentur nonnulla Aristotelis errata: & a quibusdam calumnijs defenditur.
Cap. XII.



VNC quoniam unum Aristotelem in Philosophia præ alijs sequendum esse docuimus; ne quis minus in doctrina Christiana uersatus, in eos impingat errores, qui omnium consensu in Aristotele inueniuntur, eos seorsim ab aliorum erroribus numerabimus, & eū a quorundam calumnijs uindicabimus; cum aliqui in eo quædam notāda putuerint, a quibus sane optime purgari potest.

Aegid. Rom. Ex 8. phy. QVINDECIM potissimum errores in Aristotele a quibusdam notati fuere, quos nunc breuiter recensebo. Primus, nihil posse de nouo fieri nisi per motum; ita vt non sit nouitas, nisi ex mutatione proprie sumpta: vnde infertur, motum nunquam incœpisse, quia

fuisset

fuisset nouus: & quoniam non potuit de nouo esse, nisi per motum, ante primum motum fuisset alius, quod est inconueniens; cum nihil possit esse ante primum. Secundus, tempus semper fuit: quia tempus sequitur motum, quare si hic est æternus, etiam illud; ac etiam, quia instans temporis semper est finis præteriti, & initium futuri; & ita non est dare primũ instans. Tertius, primum mobile, siue cœlum est æternum; quia non datur motus sine mobili. Quartus, cœlum esse ingenitum & incorruptibile, & nunquam fuisse factum, sed semper fuisse: quia inter species motus, solus circularis est continuus: vnde, si quis motus est æternus, hic erit, qui conuenit cœlo: ac etiam, quia quod potest esse perpetuum in futurum, debuit esse ab æterno Quinctus, non posse fieri alium mundum: quia fieri debet ex materia, quæ tota est in hoc mundo iam facto. Sextus, horum inferiorum generationem nunquam incœpisse, nec cessaturam: quia omnem generationem præcedit corruptio, & hanc generatio. Septimus, cum in multis inferioribus generatio fiat a sole; ideo sol nunquam cessabit generare plantas & animalia. Octauus, quia non est nouitas sine motu præcedente, ideo Deus non posset aliquid de nouo producere: nam idem manens idem, semper facit idem. Nonus, negauit resurrectionem: & si mortuum per multa media rediret, non rediret idem numero: & si Deus non potest aliquid producere nisi per motum, nec etiam ui diuina id fieri posset. Decimus, quia credidit nihil fieri posse nisi per motum, ideo disputando contra Anaxagoram dixit, Intellectum volentem separare passiones & accidẽtia, quærere impossibilia; vnde sequitur Deum non posse separare accidens a subiecto. Vndecimus, in uno subiecto nõ posse esse nisi vnã formã substantialẽ, cũ vna forma nõ introducatur, nisi altera expulsa. Duodecimus, ubi nũc est stagnũ & mare, aliquando fuisse siccum & contra: & non esse dari primum hominem, nec primam pluuiam, quia tempus

[Margin notes: ibid. | Ibid. | 2. cœl. c. 2. | 8. Phys. t. 78. | 1. Phy. | 1. cœl. 77. | 2. d̃ Ge. | 12. Met. | Cap. 1. de plan. | 2. d̃ ge. 56. | 1. d̃ ani. t. 41. | 8. Met. c. 1. | 1. Phys. t. 33. | 7 Met. 42. | 1. Meteor.]

pus fuit æternum. Decimustertius, tot esse numero Intelligentias quot sunt cœli, & non plures: quia Intelligentia non est potens mouere, nisi cum actu mouet; quod expresse contradicit scripturæ. Decimus quartus, corporum dimensiones non posse se penetrare, ac proinde Deus non posset facere, vt duo corpora sint simul in eodem loco. Decimusquinctus, Deũ nihil cognoscere extra se, & nullam habere rerum curam, & animam esse mortalem. Sed ab hoc errore fortasse purgari posset, sicut etiam a quibusdam notis, quibus nouus quidam scriptor eum aspersit: quas breuiter referam, & diluam.

1. Met. 47. & 48. Dan. 7. 4 Phys. t.10.

PRIMA, videtur negasse Deum immittere somnia: quia, si eorum esset auctor, utique sapientibus, & ijsdem vigilantibus immitteret. At Aristoteles loquebatur vniuerse, & solum negauit omnia somnia a Deo proficisci. Dixit enim etiam pessimos somniare, quibus non est credendum Deum suppeditare somnia; quod est cum sacris literis consentaneum. Solum itaque docuit non omnia somnia ex vi diuina fieri.

Melech. Can. de Lec. Theol. lib. 5.c. 5. lib. de sen.

SECVNDA, res fortuitas diuinæ prouidentiæ subtraxit; quia res secundæ prauis obueniunt: &, si quorum fortuita effecta dirigit, bonorum & sapientum dirigere debet: at contra fieri videmus. Sed cum tractatus de bona fortuna, vnde id sumitur, & Aristoteli tribuitur, vt quidam scribunt, non extet, proinde non est cur ei talis calumnia, tribuatur. Immo, ex eius doctrina contrarium colligi potest: maxime ex eo loco, vbi ita scripsit, Qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit, is esse Deo carissimus videtur. Nam, si aliquam humanarum rerum curam dij habent, sicut videtur; consentaneum est ipsos re illa quæ optima est, atque ipsis maxime cognata delectari, qui est intellectus, eosque qui eam maxime amant & honorant remunerari: vtpote qui eorum quæ ipsis sunt amica, curam habeant, recteque & honeste agant.

Lib. 7. Eud. c. 18. Lib. 10. Eth. c. 8. Lib. 1. d cœl.

TERTIA, ex eius doctrina plane colligitur, ani-

mam

mam debere esse mortalem, si verum est quod ipse aliquādo docuit, Quidquid genitum est, esse corruptibile: & quod est incorruptibile, esse ingenitum. Huic calumniæ respondent aliqui dicendo, Aristotelem loqui de productione per generationem, & ex materia, non autem per creationem, quam non agnouit: & disputare contra Platonem dicentem, mundum non esse ex nihilo, sed ex præiacente materia: at quod hac ratione fit, corruptibile est. Et cum aliquando dixerit, intellectum extrinsecus aduenire, & post corpus manere incolumē, animam facit immortalem; quamuis modum non indicauerit, vel non cognouerit. 2. de gen. anim. c. 3.

QVARTA, plane aliquando dixit, Deum esse animal perpetuum & optimum, & substantiam cœlestem atque diuinam; quare affirmare videtur, Deum esse animam extremi cœli, sicuti & Intelligentiæ cæterorum cœlorum sunt. Quod attinet ad hanc criminationem, vere accusandus est Aristoteles, quod censuerit Deum per se proxime mouere primum orbem, & quod nullas posuerit substantias abstractas vltra cęlorum numerum. Quod autem Deum animal vocet, sumendo cœlum cum mente diuina, vel quod ipse Deus solus dicatur animal, hoc est viuens, non est pro inconuenienti habendum, cum verissimum sit, in Deo esse vitam, & Deum viuere. Lib. 12. Met. t. 17. 12. Met. Lib. 8. physs. 1. de cęl. t. 100. Ioa. 1.

QVINCTA, videtur substantijs omnibus a materia seiunctis & cęlo affixis tribuere virtutem infinitam: quia infinito tempore mouent. At, si qui illud obijcit, recte animaduertisset, quid interpretes de hac re disputent, & qua ratione Aristoteles probauerit dari substantias abstractas, potius dixisset, & verius sine dubio, omnes substantias a materia secretas, ex Aristotele, esse virtute finitas. Quare, ea ratione qua octauo physico, visus est, non probauit Intelligentias esse infinitæ virtutis, sed esse a materia seiunctas: ac proinde sua vi posse perpetuo mouere. Ex lib. 8 phys. & 10. Met. Lib. 8. Phys. 2. de cęl. a t. 36. ad 4. Et. 12. met. t. 44.

SEXTA, non obscure significasse videtur, Deum


solum

ſolum habere curam rerum magnarum, paruas vero negligere, aut alijs curandas mandare, non ſecus ac Reges faciunt. Et ſane, quod ad hanc notam attinet, non modo ex noſtris Clemens Alexandrinus, Epiphanius,
Cap. 4. Euſebius Cæſarienſis libro decimoquinto de præpara-
Cap. 3. tione, Gregorius Nyſſenus libro de prouidentia, Theo
Lib. 6. doretus de curandis græcanicis affectionibus, & in Epi
Lib. 1. tomis diuinorum decretorum capite de prouidentia,
Cap. 13 Gregorius Nazianzenus oratione prima de Theolo-
Lib. 2. gia, Origenes cõtra Celſum, Athenagoras oratione de Chriſtianis, Ambroſiu s libro primo de officijs, & Cyrillus Alexandrinus contra Iulianum, ſed etiam eius interpretes, Alexander, libro de prouidentia, Auenro-
Co. 37. es duodecimo Metaphyſicæ, Laertius quoque & qui-
& 52. dam alij, id eum ſenſiſſe fatentur: quod ſi ita eſt, ſane errauit; ut etiam in adimenda Deo libertate in rebus creandis. Illud quoque ei adſcribitur, quod nihil immutari, & variari in natura poſſit, & monſtra ſolius, materiæ vitio contingere; vnde conficitur, nihil Deum præter naturæ ordinem feciſſe vnquam, aut facere poſſe. Et tamen ipſe libellum de admirbilibus auditionibus ſcripſit. Quod ſi ex eodem terra, vt grauior, debuiſſet omnino aquis contegi, & tamen ad animalium terreſtrium & aereorum commoditatem bona eius pars apparet: profecto diuina in hoc agnoſcenda eſt prouidentia, qua præter naturæ ordinem factum eſt, vt terra, aliqua parte, ſit aqua ſuperior. Quod diuinæ prouidentię beneficium mirifice pſalmo centeſimo
Card. tertio regius prædicat propheta. Et licet non me fu-
Aliacẽſ. giat, quoſdam alios multa alia in Ariſtotele notaſſe; ta-
Beſſar. men ea nunc miſſa facio. Exſtiterunt etiam nonnulli,
Lud. qui Ariſtoteli ſeſe oppoſuerunt, atque ex profeſſo, vel
Viu. vniuerſe, vel ex parte eius doctrinam impugnarunt;
Teleſius. quorum conatus vanos fuiſſe exitus comprobauit. nec
Lau. defuerunt, qui Ariſtotelis patrocinium ſuſceperunt, &
Val. ſpeciatim illi, qui contra Rameos nuper ſcripſerunt.
Pet. Ra. Qua autem ratione, eius ſophiſmata, quibus ſuos erro-

res

res confirmauit, ſoluenda ſint, non eſt huius loci docere: ſat itaq; fuit eos notaſſe. Sed de Ariſtotele ſatis, & fortaſſe, pro noſtro inſtituto, ſuperque.

De Epicureæ, atque Stoicæ ſectæ auctoribus.
Cap. XIII.



X quattuor magis illuſtribus poſt Socratem exortis & cultis philoſophorũ diſciplinis, duas expoſuimus. Platonicã, & Ariſtotelicã, reſtant aliæ duæ, Epicurea, & Stoica, de quarum auctoribus hoc vno capite breuiter dicemus.

Et quidem de Epicureo, qui non modo ex omnibus ſcriptis, ſed etiam ex omnium memoria omnino delendus eſſet, nihil dicerem, niſi ob hominum prauitatem, non ob ingenij præſtantiam atque doctrinam, ſectam habuiſſet multitudine amplam, tempore diuturnam, nec tã crebra de eo, præſertim in Philoſophia morum, facta fuiſſet mentio. Quis enim memoratione eum dignum exiſtimet, qui otij, hoc eſt vitiorum omnium magiſtri fautor fuit? cum nihil ceſſatione melius iudicauerit: qui Deum fecit corporatum, rerum humanarum ignarum, nihil curantem; ita vt nec habeat, nec exhibeat alicui negocium: qui omnem honeſtatem & pietatem funditus ſuſtulit: qui homines ad voluptates perfruendas, non ſecus ac pecudes, factos eſſe docuit. qui eoſdem immortalitatis dote priuauit: qui nullis doctrinis fuit inſtructus, quas qui tenent, eruditi appellantur: qui dialecticam, rationemque contempſit, & omne iudicium ſenſibus tribuit: qui in omnibus philoſophiæ partibus turpiſſime lapſus eſt: qui denique in omnes Philoſophos extitit maledicus, ut late primo de natura Deorum docet M. Tullius; cuius doctrinam totam commentitiam, & vix anicularum lucubratione dignam eſſe idem affirmat. Et hæc ſunt, vt alia omittam, præclari philoſophi elogia. Ex quibus intelligi licet

Cic. lib. 1. de nat. deor.

Cic. lib. 2. de fin.

cet, quam inconsulte ac temere a suis sectatoribus in honore habitus, & pro vitæ & doctrinæ magistro sumptus fuerit: cum potius idoneus pecudum pastor fuisset: de quo æqualium aliquis, cum porci loquentur, eadem cum Epicuro dicent.

HIC igitur homo, vel potius hominum fæx, fuit patria Atheniensis, primo Grammaticus; postea philosophus, a nemine edoctus, vt ipse de se dicebat: Democriti scriptis, & Aristippi libris de voluptate addictus: ex illis errores de natura, ac proinde Tullius de hoc agēdo, dixit, Quid est in physicis Epicuri non a Democrito? ex his vero de morib. corruptā doctrinā hausit: & postea sectā de suo nomine instituit: eiusdem aliam similem eius frate Neocles introduxit. In physicis impugnatorē habuit Stratonē Lāpsacenū; in ethicis, præter alios M. Tullium. Nascitur hoc monstrum, anno tertio olympiadis centesimæ nonæ: vixit annos septuaginta duos, cui multo melius fuisset, si nunquam in hāc lucem venisset. Multa edidit volumina, si Laertio credimus, qui eius vitam late describit. Habuit multos suæ doctrinæ sectatores, & speciatim Lucretium Romanum, qui eius de natura doctrinam elegāti poemate complexus est; qui, vt impius erat, dignum suis moribus exitum habuit; sua enim se manu confecit. Cuius ætas multos habuit Epicureos, Atticum, Velleium, vtinam nostra plures non habeat. In eadem secta aliquando fuit Horatius, sed prudenter palinodiam cecinit, & multa præclare de virtute dixit, atque hoc vno versiculo epicuream sectam confodit.

Lib. 1. de nat. deor.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Epist. 2. lib. 1

IN Epicuro illud sanæ fuit admirabile, quod cum sua doctrina omnem honestatem & humanitatem sustulerit: genere tamen vitæ, (vide quāta sit naturæ vis) totam fere doctrinam destruebat, vt his verbis docet M. Tullius, Ac mihi quidem, quod & ipse bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie sunt, in amicitijs fideles, & in omni vita constantes, & graues, nec

Lib. 2. de fin.

voluptate,

voluptate,sed officio consilia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis,& minor voluptatis. Ita viuunt eorum quidam,ut eorum vita refellatur oratio. Atq; vt cæteri existimantur dicere melius,quã facere;sic hi mihi uidentur facere melius,quam dicere. Et de eius epistola, quam animam agens, quasi testamentum ad Hermachum scripsit, cum Torquato Epicuri laudatore, ita disputat, Huc & illuc, Torquate, vos versetis licet; nihil in hac præclara epistola scriptum ab Epicuro congruens, & conueniens decretis eius inuenies Ita redarguitur ipse a se, ueneuntque scripta eius probitate ipsius,ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria & caritas amicitiæ, summorum officiorum in extremo spiritu conseruatio, indicat innatam esse homini probitatem gratuitam,non mutuatam volupiatibus, nec præmiorum mercedibus euocatam. Quod enim maius testimonium quærimus,quæ honesta & recta sint, ipsa esse optabilia per sese, cum videamus tanta esse officia morientis? Si quis rationes quibus Epicurus in voluptate summum bonum positum esse probabat, & earum confutationem uidere velit,Tullium legat. Lib.1. de fin.

SED iam de Zenone Crittico dicamus, quem fortasse Deus extare voluit, vt Epicureorum sese opponeret errori, ne oẽs Ethnicos,quorum magistri fuerũt Philosophi,suo veneno inficeret.Duas enim contrarias habuerunt sententias, cum vnus in corpore, alter in animo,summum bonum posuerit.Quod re vera in solo Deo est situm. Zeno ille de quo hic sermo habetur,nam plures fuerũt Zenones,natus est Cittici,quod est oppidum antiquissimum a Chetim Iapeti nepote in Cypro exædificatum, Stoicæ disciplinæ fuit auctor: quæ,vt diuus Hieronymus scripsit, multis in rebus est Christianæ religionis simillima, at epicureæ omnino contraria: vtraque tamen eodem fere tempore nata.Is cum prius mercaturam faceret,audito naufragio, dixit, quam bene fortuna facit, quæ nos ad Philosophiam

phiam impellit. Athenas itaque profectus, annos triginta natus, Cratetis Cynici, Stilponis, & Xenocratis auditor per decennium fuit. Postea in porticu docere cœpit; ex quo loco eius discipuli, qui prius Zenonij dicebantur, Stoici nuncupati sunt. Qui, vt uarijs in locis docet M. Tullius fœlicitatem in vna uirtute posuere, & hanc vnam, siue ipsum honestum in bonorum genere. At alijs vitæ scopus, esset spurca voluptas. Zenoni, ait Tullius, præter honestum nihil est in bonis: & alio loco, Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur, Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur. Alibi, Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturæ, quod esse volunt, e virtute, id est honeste viuere. Atque eandem sententiam hac in parte Peripateticis tribuit, a quibus non nisi uerborum nouitate dissentiebat: eamque communem esse aliquando affirmauit. Obscurus in loquendo fuit, & in disputando concisus, & siccus: cuius disserendi rationem, varijs in locis exposuit M. Tullius. Zeno non satis bene de Deo, & de anima sensit, quem merito idem Tullius damnat.

ZENONI sese opposuit Arcesilas, ut patet ex ijs quę supra non uno in loco scripsimus. Fuit homo patientissimus, simplicissimi uictus, crudisque tantum cibis utebatur, caricis & melle. Cuidam discipulo inflato, ac turgido, dixit, Non si magnus fueris bonus eris. Dicere solebat, Nullius nos rei maiorem habere inopiam, quam temporis: Nos duas habere aures, os unum, vti plura audiamus, quam loquamur. Multa scripsisse ferunt, & tanta subtilitate, ut Carneades ad ea refellenda, elleborum ante sumpsisse dicatur. Dogmata habuit uaria, quæ a Laertio late referuntur. Habuit sectatores multos, eiusque secta diu floruit: inter cæteros Cleanthem, Chrysippum, infinitorum prope librorum scriptorem, quam ob caussam, librorum Parasitum uocare solebat, Panætium, quem Cicero in scribendis officiis sequutus est, Ex Romanis

Catonem

Cntonem Vticensem, Brutum Cæsaris interfectorem, & M. Tullium. Item, Nerone imperante, Epictetum cuius extat libellus a Simplicio commentarijs illustratus, & quæ apud Arianum habentur, ex illius doctrina collecta: liber profecto lectione dignus; ac etiam Senecam, in quo mirifica ex Stoicorum disciplina extat doctrina. Floruit Zeno circa Olympiadem centesimã decimam octauam: annos quinquaginta & octo scholæ præfuit: ætatis uero suæ anno nonagesimo octauo nullo conflictatus morbo, e uita discessit.

FVERVNT alij Zenones, & speciatim duo, de quibus interdum apud scriptores fit mentio: alter Eleates Parmenidis auditor, quem Dialecticæ inuentorem faciunt, & in præferendis cruciatibus patientissimus: alter Epicureus, Ciceroni æqualis, de quo primo de natura Deorum meminit: quem Philo ooryphæum Epicureorum appellare solebat. Plat. in Soph.

AD extremum circa Zenonem Stoicorum principem ea adnotauerim, in quibus ab Academicis antiquis discrepauit. Primum igitur in morali Philosophia dissentiebat circa tria capita: circa beatam uitã, & bonorum partitionem, cum felicitatem non in tribus, ut Aristoteles, sed in uno tantum bonorum genere posuerit: circa uirtutum diuisionem & earum naturam; quia Zeno uirtutem in sola ratione posuit: at uero illi in ratione, & uoluntate: unde aliter Stoici, aliter Academici eas diuidebant: Postremo circa animi perturbationes; Stoici omnes malas esse putarunt, Academici non item: quorum omnis dissensio a definitione perturbationis nata est. Deinde in physicis, in duobus speciatim differebant; in partitione elementorum, quia Academici cœlum faciebant quinctam naturam, Stoici hanc ignem esse aiebant: & in asignanda natura primæ caussæ, quam Academici expertem corporis faciunt, Stoici uero corpoream, mundumq; ipsum Deum appellant. Denique in dialecticis, Zeno inuentionem reliquit, & iudicandi partem excoluit, Cic. li. 1 Acad. q. Cic. 1. de nat. Deor.

vbi multa de sensibus & scientia, visisque disputauit, docendo quid sit visum, & quotuplex: at Academici veteres vtranque parté excoluere. Quæ omnia ex Cicerone in fragmento libri primi Academici colliguntur, vt alia omittam eiusdem scriptoris loca. Et hæc sunt, quæ de sectarum auctoribus, & insignioribus philosophis dixisse volui.

De quibusdam illustrioribus Peripateticis, & Aristotelis interpretibus. Cap. XIIII.



VIA ex omnium Philosophorum sectis nulla magis ante hac culta fuit, atque nunc etiam colitur, quam Peripatetica; idcirco non erit inutile, nec vllo modo a loco in quo nunc versamur alienum, si de magis illustribus Aristotelicæ disciplinæ professoribus & expositoribus, aliquid priuatim scripserimus.

ARISTOTELE itaque vita functo in eius schola successit, Tyrtamus, cognomento a diuina phrasi, Theophrastus, Philosophorum eloquentissimus, & eruditissimus: prius Leucippi, postea Platonis, ac demum Aristotelis discipulus: qui ingenij acumine, librorum copia, cum suo præceptore contendere potuisset, si vera sunt quæ de eo Laertius refert: cuius scholam ad duo millia discipulorum frequentabant. Illud eius in ore erat frequens, Sumptus speciosissimus tempus est: quem tunc obijsse dicunt, cum modice a labore quieuisset. In quem tale extat Laertij epigramma,

Haud vane quidam, studij si forte relaxes,
Rumpi arcum dixit, quisquis homo ille fuit.
Nam vegetus Thephrastus erat, firmusque labore.
Laxauit postquam membra labore, obijt.

ET quamuis perpetuo laborauerit: tamen ad annum octogesimum quinctum peruenit. Ex quo intel-

ligi licet, dulcissimos studiorum labores, non ita conficere homines, vt multi effœminati & molles arbitrantur. Floruit olympiade centesima decimaquarta, ut Laertio placet.

THEOPHRASTO successit Strato Lampsacenus, Ptolemæi Philadelphi Aegyptiorum regis magister, vir eloquentissimus: cognomento Physicus, quod in naturæ speculatione præ ceteris versaretur: in qua ita degenerauit a suis, vt ex se natus videretur. Nã Strato, ait Tullius, eius auditor (Theophrastum intelligit) quamquam fuit acri ingenio: tamen ab ea disciplina semouendus est: qui cum maxime necessariam partem philosophiæ, quæ posita est in virtute & moribus, reliquisset, totumque se ad inuestigationem naturæ contulisset; in ea plurimum discessit a suis. Et alio loco, Primum Theophrasti Strato physicũ se voluit: in quo etsi est magnus; tamen noua pleraque, & pauca de moribus. Is præesse cœpit scholæ, centesima vigesimatertia olympiade, quam annos decem & octo rexit. Edidit etiam præclara sui ingeni monumenta, quæ testamento, sicuti & Scholam reliquit Lyconi, qui ob eloquentiæ suauitatem Glycon, hoc est Dulcis, cognominatus fuit. Scholæ annos duos supra quadraginta præfuit: & septuaginta quattuor natus obijt. Sed is, vt minus illustris omittatur.

Tusc. 1.

Lib. 5. de fin.

SVCCESSIT postea, Demetrius Phalereus Theophrasti auditor, bonarum artium, & rerum gerendarũ peritia maxime illustris; Atheniensibus maxime carus, ob sua in remp. merita, quem decemnali præfectura, & trecentis sexaginta æreis statuis ornarunt. Is omnes sui temporis Peripateticos librorum multitudine superauit. Cuius monumenta partim hystorica, partim politica, poetica alia, alia rhetorica fuere, & complura alia. Hic Demetrius fuit Alexandrinæ bibliothecæ perfectus, quam quingentis circiter librorum millibus instruxit. Cuius suasu enatum est maximum illud bonum, quod in posteros redundauit, versio nimirum li-

Plin. lib 33. c. 6

brorum sacrorum in græcum sermonem facta per Septuaginta interpetres ab Eleazaro Pontifice, ad regem Philadelphum missos: quorum historiam scripsit Aristeas, quæ adhuc extat: quamuis apud quosdam de vero auctore sit suspecta.

Leo a Cast.

DEMETRII fere æqualis fuit Hieronymus Rhodius Peripateticus, de quo varijs in locis meminit M. Tullius, & speciatim hoc loco, Præterea multos, in his doctum hominem, & suauem Hieronymum: quem jam cur peripateticũ appellem nescio; summum enim bonum posuit vacuitatem doloris. Qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiæ ratione dissentit: cuius sententiam non vno in loco damnat. Fuit postea præter alios celebris Peripateticus Aristobulus natione Hebręus, cognomento Physicus, circa olympiadem cẽtesimam quinquagesimam primam: de quo initio posterioris libri Machabæorum fit mentio: qui Ptolomæi Philometoris (hoc est matris, quam necauit, per antiphrasim amatoris) hortatu, commentarios in Mosen edidit: & quosdam antiquos philosophos, quorum dogmata cum sacris literis conuenire videntur, diuina antiquæ legis oracula legisse scriptum reliquit.

Lib. 5. đ fin.

Clem. lib. 1. Str.

MARCI Tullij temporibus, Cratippus non obscurus Peripateticus floruit; de quo, præter alia, hoc extat citati auctoris testimonium. Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, & quæ sequuntur. Hunc Ciceronis filius Athenis audiuit, vt ex initio primi libri officiorum patet.

Lib. 1. đ diu.

Lib. de min.

SVB Septimio Seuero Iustini Martyris & Galeni temporibus, floruit Alexander Aphrodisæus, qui omnes fere Aristotelis libros exposuit: in quo tantum auctoritatis est consequutus, vt non haberetur Aristoteleus, qui non esset Alexandræus. Omitto hic Malchũ quod nomen Syrorum, lingua regẽ significat, cognomẽto Porphyrium, sic dictũ, quasi purpureũ a veste qua vteabtur, indignum qui inter homines numeretur, ob

Lege Eunapium Sardianum in eius vita

eius

eius in Christum veræ sapientiæ fontem impietatem, ne dum inter Peripateticos, cum ab eorum doctrina multum dissenserit,& præceptorem Platonicum, nimirum Plotinum habuerit: qui etsi, nec vita fuerit dignus; tamen supra centesimum annum vixit.

VALENTIS Cæsaris temporibus floruit Themistius æqualis diuo Basilio, Gregorio Nazianzeno, & Augustino, qui se eum audiuisse significat, & eximium Philosophum appellat. Is paraphrastice nullos Aristotelis libros perspicue explanauit, magnamque lucem obscuritati Aristotelicę dedit. Nic.lib. 18.c.50. lib.categ.

PHOCA imperante, a Christi Recuperatoris natiuitate anno, sexcentesimo septimo, floruit Simplicius philosophus Peripateticus, qui in explicandis Aristotelis scriptis nemini postponendus est.

EODEM fere tempore apud Latinos floruit Seuerinus Boetius, vir generis nobilitate & omnium bonarum artium & scientiarum præstantia, & uitæ integritate clarissimus Poeta, Mathematicus, Philosophus, & Theologus insignis: qui multa sui ingenij monumenta reliquit,& inter cætera, aureum de consolatione Philosophiæ libellum; dignum, qui perpetuo manibus teratur.

DENIQVE, Ioannes Philoponus Alexandrinus Philosophus, Thritheitarum auctor, vt quidam scribunt, Aristotelis interpres: qui, cum nō raro a Simplicio redarguatur, vel ei æqualis fuit, aut certe paullo ante vixit. Quorundam philosophorum, qui istos consequuti sunt apud Græcos, qui cognoscere volet, Sardianum legat. Atque hucusque de Philosophorum scholis, deque earum successione, pro nostro instituto satis. Nic. lib. 18.c.46

SED peteret fortasse aliquis, quid vtilitatis ex ijs quæ diximus percipi possit: cui petitioni hunc in modum satisfacerem.

PRIMVM, qui ea quæ scripsimus nouerit, innumera fere Philosophorum loca intelliget, quæ alias in-

telligere non posset. Nam, vt de vno tanto auctore loquamur, quis multa Tullij loca percipiet, qui quæ de diuersis Academijs dicta sunt ignorauerit? Deinde, qui illustriorum Philosophorum habuerit notitiam, is etiam intelliget, quæ maior sit eorum auctoritas, & quantum cuique tribuendum sit, non ignorabit. Præterea, qui hac in parte non fuerit rudis, is in eo non errabit, in quo nonnulli errare solent, ut vnum sumat pro altero, & vni tribuat, quod alteri tribuendũ fuerat. Tres extiterunt Zenones, qui non eiusdem fuerunt scholæ, neque idem senserunt, varijsque temporibus floruerunt, Eleates, Citticus, & Rhodius, uel Sidonius. Item duo Ammonij, Saccus, & Hermiæ. Denique, vt alias omittam vtilitates, ex hac industria, habetur aliqua notitia diuersarum opinionum, de rebus Philosophiæ subiectis.

QVAM vero sit vtile varias scriptorum opiniones habere perspectas, varijs in locis docuit Aristoteles. Lib. 1. Top. Primo, ista notitia suppeditat copiam ad disserendum probabiliter de vnaquaque re proposita: cum id pro probabili habeatur, quod multis verum visum fuerit. Li. 1. de cęl. t. 10. Secundo, diuersarum opinionum cognitio, nos in dubitationem adducit, cum dubitationes sint de rebus contrarijs. Quantum autem utilitatis ex dubitatione colligatur præclare, cap. 1. tertio suæ Theologiæ libro, docuit Aristoteles: cum veritatis inuentio sit dubitationis solutio. Li. 1. de an. t. 19 Tertio, cum variæ sententiæ fuerint examinatæ, & inter se collatæ quid sequendum, vitandumque sit facile discernitur. Quarto, qui hanc adhibent diligentiam, vt aliorum dicta cognoscant, hi illud præclarum Philosophi munus possunt explere, ut errores refellãt, & veritates confirment; cum nemo de re quapiam Lib. 1. eth. c. 3. iudicium ferre valeat, nisi prius eam cognouerit: cognoscendæ igitur erunt varię Philosophorum opiniones, Lib. 3. Met. t. 1 ut de illis iusta feratur sententia, vt præclare libro primo de cœlo, particula centesima prima docet Aristoteles. Denique, qui alienas opiniones nouit, & ea-

rum

rum minorem probabilitatem, fundamentis ſublatis, Lib. 7.
habet perſpectam, is demum magis in ſua ſententia eth. cap.
hæret, atque maiorem veritatis lucem, tenebris fuga- vlt.
tis, videt: cum & falſitatis, & veritatis cauſſas habeat Lib. 2.
perſpectas: ſiquidem oppoſita inter ſe collata magis de cęl.
eluceſcunt.

Cur M. Tullius libros Academicos ſcripſerit, quid ipſe de rerum comprehenſione ſenſerit, & eiuſdem a quibuſdam calumnijs defenſio. Cap. XV.



T quæ de Academicis Philoſophis ſupra ſcripſimus, multo melius intelligantur, antequam huic libro finem facio, aliq d de libris Academicis M. Tullij, deque eius ſententia, circa rerum cognitionem, ijs quæ diximus adſcribere placet.

CVM ergo M. Tullius Socraticam & Platonicam De Fin.
ſcribendi formam retinendo, in quibuſdam libris in cō Diuin.
trarias partes, varijs de rebus diſſeruiſſet, & nūc vnius, Natura
nunc alterius Philoſophi opiniones ſequutus fuiſſet: in Deor.
alijs vero per modum cuiuſdam artis procedendo, prę
cepta tradidiſſet; in quoſdam incidit cenſores, qui Lib. de
eum inconſtantiæ damnarunt; cum modo pro Stoicis, offic.
& Peripateticis, alijsque Philoſophis diceret, modo cō Lib. de
tra eoſdem ſtaret: & cum videretur Academiæ nouæ Legib.
ſectator, aliquid tamen ſequendum ſtatuebat. Vt igitur has dilueret calumnias, ſemel & iterum de Academicis ſcripſit.

ET primum quidem duos libros, quorum alterum Catulum, alterum Lucullum inſcripſit. Ille omnino temporum iniuria perijt, hic vero integer remanſit. His libris iam editis, noua addidit prœmia, quibus perſonas quas ſecum loquentes fecerat, laudauit: ea fortaſſe de cauſſa, quod quibuſdam videretur indecorum, eos de Philologia diſſerentes introduxiſſe, qui

Lib. 13. non satis essent philologi, vt ex epistolis ad Atticũ scri ptis cognoscere licet. Hinc occasio nouę editionis, quat tuor librorum de eadem re, in quibus partes Antiochias, hoc est, eius qui contra Academiã nouam disputat, sub psona Antiochi, M. Terẽtio Varroni viro erudi tissimo dedit: quamuis, libris iam confectis, multum dubitauerit, an Varronis nomen mutare deberet, vt ex eisdem epistolis intelligi potest: Librorum academicorum secundæ editionis, extat solum fragmentum quoddam primi libri: quos quanta accuratione & diligentia scripserit, ipsemet Tullius vno & altero loco in ijsdem epistolis exposuit. Verum, quæ in his libris desunt, aliqua parte ex Lucullo suppleri possunt. In his ergo Varro veteris Academiæ, quæ aliquid comprehendi posse docebat, & ad certas sententias sequendas cogebat, patrocinium suscipit; cui Cicero respondet, & disputationis, quasi arbiter Atticus adsistit.

IN eo quod extat fragmento, hæc summatim tractantur. Primo ponitur sermonis apparatus: deinde sequitur disputatio de litteris & studijs Varronis: postea agitur de Tullij studio in colenda Philosophia litteris latinis: q̃ oĩa sunt veluti præludia ad quæstionem Academicam. Cuius initium sumitur a Socrate, vbi philosophiæ partes numerantur, & circa eas variæ sententiæ recensentur. Postea docetur, quid Aristoteles in dialecticis, Theophrastus in moralibus, & Strato in physicis ex vetere Platonis & Academicorum doctrina correxerint, aut immutauerint. Ab his enim tribus primo vetus Academia impugnata fuit, & postea a Zenone. Exposito a Varrone veteris Academiæ statu, Tullius ad nouæ explicationẽ accedit; & rationem reddit, cur Arcesilas eius auctor nihil scire dixerit; cuius doctrinam ait esse eandem cum vetere, hoc est cum doctrina Socratis & Platonis. Denique, ad Carneadis sententiam exponendam se conuertit: & hucusque primi libri peruenit fragmentum.

SECVNDVS vero prioris editionis liber, qui Lu-

cullus

cullus inscribitur, his partibus continetur. In prima ponitur procemium, in quo Lucullus laudatur, dialogi occasio exponitur, & calumniatoribus Tulij occurritur. In secunda Lucullus disputationem aggreditur, & veterem Academiã, quæ aliquid sciri posse docet, ex Antiochi doctrina defendit: & primum nouos Academicos exagitat: deinde thesi constituta, varijs argumẽtis pro comprehensione & assensione retinenda disputat: postea argumenta aduersariorum refellit: & tandem perorat. In tertia M. Tullius aggreditur disputationem in fauorem nouæ Academiæ, quæ in tres partes est distributa. Prima continet exordium: secunda confutationem eorum quæ a Lucullo allata fuerant: tertia confirmationem, qua docetur cur nihil percipi possit.

OMNES itaque citati libri vnicam explicarunt quæstionem, quæ duas continebat partes, an aliquid percipi possit, & an assensio sustinenda sit.

ET quidem in tota hac disputatione, ex quorundã sententia in his peccauit Tullius. Primum, quod de viribus animæ, sensuumque functionibus interdum parum exquisite loquatur. Secundo, quod quasdam antiquorum Philosophorum sententias, male intellexerit, vel explicuerit, vt Anaxagoræ dicentis, niuem esse albam, Democriti, Empedoclis, & maxime Cyreneorum, de doloris & voluptatis perceptione. Tertio, quod Socratem & Platonem in suam sententiam traxerit, cum hi multa, vt vera docuerint. Postremo, quod nouæ Academiæ, scepticæ nimirum, sectator & defensor fuerit. Quod autem Ciceroni ea philosophandi ratio placuerit, quæ nulli certæ sit addicta sententiæ, & probabilia sectatur, ex varijs eius locis plane colligitur. Nam aliquando, non certa & incerta, vt alij, sed probabilia, & improbabilia admittit. Alibi, ait se diligenter disputasse contra eos, qui acatalepsiam tollunt. Alibi, multa esse vera fatetur, sed quia illis sunt admixta falsa, ideo nulla in eis inest assentiendi nota: atqui

Iul. Cast. disp. cont. Cic.

Lib. 2. offic.

Lib. 1. epist. ad Attic.

Lib. 1. de nat. deor. qui multa sunt probabilia, ob insignem & illustrem visum, quē habent. Alibi ait se sequi Stoicos, sed tamen pro suo arbitrio & iudicio ex eorum fontibus, quod videbitur, haurire velle. Lib. 1. offic. Vt autem quid de M. Tullio hac in parte (nam aliæ calumniæ minoris sunt momenti & defensionem facilem habent) sentiendum sit plane explicetur, nonnulla fundamenta ponenda sunt.

PRIMVM fundamentum, pro certo omnino habendum est, ante nouos Academicos, hoc est ante Arcesilam & Carneadem extitisse quosdam, qui humanam scientiam sustulerunt, vt supra etiam docuimus: Arist. 1. Met. in quibus Anacharsis Scyta, qui cuique arti iudicium sustulit: Heraclytus, cum suo discipulo Cratylo, qui omnia perpetuo labi dicebat, more fluentis aquæ, ac proinde omnem subterfugere comprehensionem: Xenophanes Parmenidis præceptor, qui licet aliquid veri esse crediderit: tamen veritatem a nobis comprehendi posse negabat, cum semper in rebus obscuris delitescat: Laer. in vita Pyrrh. ac proinde solam quandam leuem ac debilem rerum visionem nobis reliquit, quam verbo φαίνεσθαι, id est apparere significabat. Gorgias Leontinus, in libro, quem de eo quod non est, inscripsit, tria sibi probanda proposuit, In rerum natura nihil esse: si quid esset, illud minime comprehendi posse si id posset, saltē alios doceri non posse: contra quem Aristoteles exarauit librum, qui nunc non extat. Anaxarchus Abderites, & Monymus, omnia vmbratilibus lineamentis similia esse dicebant; & eos qui ista apprehendere conantur, parum differre ab insipientibus & somniantibus. Xeniades Corinthius omnem sensum, phātasiam, opinionem, & intelligentiam falsam esse persuadere conatus est. Denique, vt Theodorum cognomento Atheum, Pyrrhonem, Timonem, & alios omittam, Arcesilas, cum Metrodoro Chio, nihil penitus hominem scire docuit, hoc etiam ipsum, quod nihil sciret, quod tamen Socrates sibi relinquerat. Qui fortasse horum opinionem, iam veterum Academicorum, & Peripate-

ticorum

ticorum doctrina exstinctam, ideo in lucem reuocauit, vt illam tam magnam, atque certam omnium rerũ comprehensionem euerteret, quam Zeno Academiæ desertor prædicabat. Quare Arcesilas, qui princeps scépticæ Academiæ ponitur, non fuit huius doctrinæ auctor, sed potius innouator. Quid autem de Socrate, cuius auctoritate se Arcesilas tuebatur, sentiendum sit, sequenti fundamento explicabo.

SECVNDVM fundamentum, Socratis & Platonis temporibus, ut primo libro docuimus, multi extiterũt Sophistæ, qui omnia se scire, ac docere posse profitebantur; cum tamen parum, vel nihil scirent: contra quos Socrates & Plato, Philosophiæ conseruandæ, & recte tradendæ studio, bellum susceperunt; atque aliam disputandi rationem ab ea qua illi utebantur diuersam introduxerunt. Sophistæ enim suæ scientiæ opinione inflati, in conuentu poscere solebât quæstionem, idest iubere dicere, qua de re quis vellet audire: & cum is qui audire uolebat, proposuisset, gratia exempli, voluptas mihi summum bonum videtur, qui quæsiuerat, perpetua oratione contra disputabat. At vero Socrates & Plato, ut istos luderent, percuntando & interrogando, elicere solebant eorum opiniones ab illis quibuscum agebant, ut ad ea quæ respondissent, dicerent: quem morem a posterioribus neglectum, Arcesilas reuocauit, vt ij qui se audire uellent, non de se quærerēt, sed ipsi dicerent, quid sentirent: quod cum dixissent, ille contra; sed qui audiebant, quoad poterant defendebant sententiam suam. Hanc etiam consuetudinem retinuit M. Tullius, ut ex hoc eius loco, vt alios missos faciam, intelligi plane potest, Fiebat autem ita, vt, cum is qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contradicerem. Hæc est enim, ut scis, vetus & Socratica ratio, contra alterius opinionem ita disserendi. Nam ita facile, quod verisimilimum esset, inueniri posse Socrates arbitratur. Vt autem illam procacem, & arrogantem philosophandi sophistarum rationem

Tul. li. 2 de fin.

Tus. 1.

faci-

facilius refelleret, se nihil scire per ironiam dicebat, & quid ipse sentiret, non indicabat: sed qui cum eo agebant, ex eius disputationibus, quid de re proposita tenendum esset, poterant cognoscere; atque ita alijs iudicium relinquebat. Hic, ait Varro, in omnibus fere sermonibus, qui ab illis, qui illum audiuerant, perscripti varie, copiose sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios. Illam Socratis ironiam laudat apud Tulliũ Atticus, Est enim & minime inepti hominis, & eiusdem etiam faceti, cũ de sapientia disceptatur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogant: vt apud Platonem Socrates in cœlum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiã cæteros; se autem omnium rerum inscium fingit, & rudem. Eandem Socratis consuetudinem refert Tullius in Lucullo, & hanc ob caussam, quod parum de sua doctrina sentiret, & soli Deo sapientis nomen conuenire putaret, Apollinis oraculo, Hominum sapientissimũ, iudicatum fuisse quidam volunt. Sermones autem illi de quibus facta est mentio, apud Platonem, & Xenophontem Socratis discipulos extant: in quibus illa disserendi forma, de qua diximus, obseruari potest. Vt autem Socrates id quod volebat facilius efficeret, physiologiæ studia, vel quod tunc essent valde incerta, vel ꝙ ei minus vtilia viderentur, reliquit, & ad morum doctrinã se totũ contulit, atq; adeo suos sermones consumebat in hominibus ad virtutis studium cohortandis. Quem solitum dicere aiunt, sibi perfectum opus esse, si quis satis esset concitatus oratione sua, ad studium percipiendæ, cognoscendæ virtutis. Quibus enim id esset persuasum, ut nihil mallent se esse, quam viros bonos, his reliquam facile esse doctrinã. His Socratis monitis pleni sunt Xenophontis libri, & Platonis de moribus & virtutibus disputationes. Locus ad hoc demonstrandum illustris est in Clitiphone, vbi ita scribitur, Equidem cum tecum essem sæpenumero, Socrates, valde commotus sum, cum te dicentẽ audirem, mihiq; pul-

Lib. 1. Acad.

In Brut.

Cic. 1. de orat.

cherri-

cherrime omnium dicere visus es; cum ad homines obiurgandos,velut e tragica machina,Deus aliquis repente exclamares,quo præcipites ruitis homines? & quæ ibi sequuntur. Quin etiam,vt id efficeret,artificum officinas adhibat,& vnam uirtutem acquirendam, atque colendam esse dicebat. Disputasse tamen nonnihil de rebus Physicis ex ijsdem scriptoribus colligitur. Atq; eandem non obscure philosophandi formam eius discipulus Plato retinuisse videtur:qui tamen,vt dogmaticus multa ex sua sententia statuit,ut supra docuimus. At vero qui post Platonem consequuti sunt Academici,& Peripatetici,in rebus dubijs & obscuris definiendis,ab illa simplici, & modesta philosophandi ratione recesserunt, & quasdam sententias tanquam ratas & firmas,non tam ob rationum mométa,quam ob auctoritatem,ab ijs qui se audiebant,haberi voluerunt, quas Græci κιρίας δόξας vocant.In quo potissimum peccatum fuit a Zenone,qui omnia nobis comprehendi posse existimauit;ac proinde indubitatam assensioné omnibus esse præbendam:& ita plus humanæ scientiæ, q̃ pauca comprӕhendit,& multa sola opinione attingit, tribuisse videtur,quam tribuendum erat. Atque contra hos noui Academici,Arcesilas,& Carneades insurrexerunt,quorum sententias supra explicuimus, cum de Academiarum varietate egimus.

TERTIVM fundamentum,rem aliquam a nobis comprehendi,duobus modis intelligi potest: primo, quod ita intelligatur,vt nihil eius nos fugiat, & omnia quæ de ea sciri possunt,per rationes certissimas cognoscamus:& si de hoc cõprehensionis genere loquamur, quod potius Deo,quam homini conuenit, vere cum Tullio dicere licebit,Angusti sensus, imbecilli animi, breuia curricula vitæ.Quis enim ignorat,non esse talé ac tantam humanæ intelligentiæ vim,vt in intimas rerum naturas penetrare, & omnia perlustrare queat? atque ita omnes,vel vnius rei,caussas peruidere?Altero modo comprehensio sumi potest,pro certa atque fir-

Lib. 1. Aca. 99.

ma

ma notitia, aliquarum caussarum, proprietatum, effectuumque multarum rerum, de quibus in scientijs, & artibus agitur, ita vt non solum probabiles, sed etiam certæ eius, quod cognoscitur habeantur rationes: & hanc comprehensionem, dum de quibusdam rebus firmissimis rationibus Tullius disputat, non negasset, vt planius postea docebo: quamuis dum pro nouis Academicis disserit, ut planius calumniatores refellat, se probabilibus contentum esse, doceat: quibus, quiquid aliqui dicant, etiam qui sapientes videri uolunt, possunt esse contenti; cum pauciora sint, quæ perfectis demonstrationibus tenētur, quam quę rationibus topicis. Adde etiam, quod ideo fortasse Tullius illas ratas aduersariorum sententias non approbauit, ut cuius ipse vellet, ei liceret sequi doctrinam, ne præiudicata alicuius magistri opinione, ad veritatem melius inuestigādam, quod sane suo disputādi genere efficiebant Academici, sibi præcluderetur via; vt aliquando ipse plane dixit, & vt id alij cauerent, præmonuit. Atque eandem distinctionem de assensione faceres: nam pro ratione iudicij, quo res apprehendimus, vel attingimus, maior vel minor esse debet assensio; quæ magis, vel minus adhibenda, vel sustinenda erit, vel circa prima principia, vel circa decreta, cōclusionesve, quæ in aliqua sunt scientia. Sed iam quid in re proposita tenendum sit, quibusdam dictis plane doceamus.

Lib. 1. de nat. deor.

PRIMVM dictum, Tullius non fuit in sententia eorum, qui ita philosophabantur, ut nihil omnino sequerentur, & nihil determinate tenerent. Hoc ipse expresse docuit, cum de obtrectatoribus suis loquendo dixit, Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ij, quorum vagetur animis in errore, nec habeat vnquam quid sequatur: quæ enim esset ista mens?

Lib. 1. de leg. Li. 2. off.

SECVNDVM dictum, Tullius non sustulit assensionem quamcunque. Quoniam, multis de rebus de quibus disseruit, iudicium tulit, & aliquid sibi sequen-

dum

dum statuit, probabiliter saltem. Ideo damnare solebat Epicurum, qui Dialecticam, cuius beneficio vera a falsis discernuntur, & de rebus iudicatur, contemnebat. Nec grauiter peccauit, cum dixit, Sapientem debere esse contentum probabilibus, cum non erret, qui in rebus obscuris probabilia sectatur.

TERTIVM dictum, M. Tullio placuit ea philosophandi ratio, quæ non est addicta alicui disciplinæ, sed id sequitur, quod magis cum ratione congruere videtur: quam qui non sequitur, vt alibi docuimus, non recte facit: atque etiam ea, quæ in utranque partem de rebus dubijs disputat, vt disserendo, quid magis ad verum accedat inueniatur. Atque iuxta hanc explicationem eum Academicum fuisse, & quidē ex animo, vt ipse scribit, affirmari potest, & ex eius scriptis cognoscere licet. Non secus ac si quis nunc quarundā scholarum sententias, quas illæ pro ratis & certis omnino habent, cum tamen re uera non sint, eas pro ratis non haberet, sed sibi, relicta præceptorum auctoritate, liberum iudicium relinqueret, vt disputando inquireret, in vtram partem magis deberet inclinare: quod faciunt illi qui non habent pro rato quidquid Scotus, aut alius doctor dixerit. Ideo aliquando scripsit, cæteri primum ante tenentur astricti, quam quid esset optimum, iudicare potuerint: quibus, ut alibi docuit, eorum qui se docere profitentur, obest auctoritas.

Li. 1. de Natura Deorū.
In Luc.

QVARTVM dictum, non est credendum M. Tullium omnem veri comprehensionem negasse, sed eam tantum, qualem Stoici, & quidam alij se habere existimabant, & eam quam in rebus alias dubijs ponebāt. Nam absurdum omnino esse videtur de homine pereruditio, in scriptis omnium pene Philosophorum versato, & Dialecticæ non ignaro, non vidisse quam multa argumentis firmissimis, a quibus nulla ratione dissentiri potest, stabiliuerit; vt cum pro virtute retinenda, contra Epicurum disputat, cum animorum immortalitatem probat, cum efficacissimis rationibus Deū esse

In Luc.

con-

contendit; vnde cum ex rebus creatis hanc veritatem, demonstrasset, hæc verba subiecit, Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo euidentius? quod nisi cognitum haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse. Et alio loco, tanquam Academicus Dogmaticus loquendo dixit, Est enim & Philosophi, & Pontificis, & Cottæ, de dijs immortalibus habere non errantem, non vagam, vt Academici, sed vt nostri stabilem certamque scientiam. Atque multa alia huc pertinentia ex eodé possent citari loca, quibus plane demonstrare liceret, multa pro veris & certis, ex eius sententia retinenda esse. Vbi unquã Aristoteles, tam plane, tamq; copiose docuit Deum esse, rerum omnium procurationem haberc, animos esse corruptionis expertes, in vna virtute summum huius vitæ bonum consistere, quæ ueritates sunt humanę & ueræ sapientiæ fundamenta, vt M. Tullius fecit? Cur igitur obtrectatores non ita eum excusant, aut defendunt, vt Socratem, vt Platonem; cum ille plane dixerit, Se nihil scire, idque pro sua modestia, dicentes, eum aliquid statuisse, & assensionem non prohibuisse; cum idem de M. Tullio, & quidem multo certius, affirmare possint. Quis modestiam, hac in parte, in eo non agnoscat, qui de se hunc in modum loquitur? Nec tamen quasi Pythius Apollo certa ut sint, & fixa quæ dixero, sed ut homunculus vnus e multis probabilia coniectura sequens: vltra enim quo progrediar, quã vt verisimilia videam, non habeo: certa dent hi, qui & percipi posse dicunt, & se sapientes profitentur. vides, vt aliorum fastum socratico more damnat? Et alio loco, Neque nostræ disputationes quicquam aliud agũt, nisi in vtranque partem dicendo, & audiendo eliciãt, & tanquam exprimant aliquid, quod aut sit verum, aut

Li. 1. de fin. uersus finé.

Tusc. 2.

In Luc.

aut ad id quam proxime accedat. Item, sed nescio quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam semel adamarunt, pugnacissime defendere, quã quid constantissime dicatur, exquirere. Dicendum itaque est, interdum vniuerse ea probabilia vocare, quæ tamen vera & certa sunt; vt inuidiam ijs conflet, qui plus iusto de sua doctrina sentiunt. Non tamen negauerim, interdum plane ea dixisse, quibus nouæ Academiæ caussam tueri videtur: Quod mirum videri nõ debet, cum a calumnia illa de qua initio diximus, se purgare vellet; quę ad Academicos libros scribendos eum impulit. Sed de M. Tullij consilio atque sententia hæc dicta sufficiant; cum fortasse plura dixerim, quam instituti operis ratio postulabat. Quod si ex professo de suscepta hypothesi scribere voluissem, plane demonstrassem, nihil necesse fuisse, vt aliqui, hominem admirabilem, & vt Lactantius loquitur, perfectum sumumque philosophum, & Romanæ philosophiæ principem, atque Latinum Mosen, ac proinde perpetua gloria dignum, sibi impugnandum ex professo sumerent, in ea præsertim re, in qua nihil, aut certe parum peccauit. Angel. Decẽbr. lib. 1. par. 7.

AD extremum, addere placet quid de totius Academiæ consilio atque progressione aliqui sentiendum esse existimarunt. Cum ergo Zeno ab Academia defecisset, & falsas quásdã opiniones inuexisset, vt quod animæ sint corporatæ, mortales, nihil inueniri quod mole careat, nihil in mundo fieri nisi per corpus, & denique Deum esse corporeum, & in eum omnia aliquãdo casura consumi; cui solam singularium tribuit notitiam, cum hæc sola esse putauerit, & vniuersalia negauerit; hæc animaduertens Arcesilas, & acute prouidés turbam ad falsas opiniones capescendas esse pronam; propterea potius dedocere, quam docere, instituit, negando interim aliquid sciri posse, si omnia essent corporea & singularia: & ita veram Academiæ doctrinam occultari voluit, quam postea Carneades, cum videret Plut. lib. contra Stoic. Sen. epi. 117.

Stoicos iam esse fractos, reserare cœpit, verisimilia cõcedendo. At vero cum Philo quartæ Academiæ caput iam Stoicos plene profligatos videret, dogmaticam & nouam academiam nihil inter se differre plane docuit: & qui ei successit adhuc apertius idem fecit Antiochus, palam docendo veritatem comprehendi posse; cũ iam sublatam videret illam perniciosam Stoicorum doctrinam, quod nihil esset nisi corporeum, ad quam tollendam Academia ad incomprehensibilitatem, quasi ad quoddam amuletum confugerat. Tandem Academia noua domatica & platonica in Numenio Chronio, Apollophane, Longino, & alijs reuixit. Nec ob aliã caussam, Socrates contra omnes indoctos, vel superbos philosophos sui temporis in vtranque partem disputabat, & nihil disserendo asserebat, seque nihil scire aiebat, nisi vt eorum fastum reprimeret, vt ex eius Apollogia cognoscere licet. Sed quidquid Academici senserint, eis omissis, cum iam satis pro instituto de Philosophorum scholis, sectisque dixerimus, ad postremam nostri operis partem accedamus.

Libri Tertij finis.

INRRO-



INTRODVCTIONIS in vniuersam Philosophiam

LIBER QVARTVS:

In quo de recta philosophandi ratione agitur.

Quam sit necessaria præparatio, siue institutio, ad sapientiam acquirendam. Cap. I.

INTER alia Stoicę disciplinæ errata, illud fuit sane turpissimũ, quod existimauerit, quemcunque indifferenter, addiderunt Epicurei qui hac in parte Stoicos sunt sequuti, ět mulierculas, absq; ullo delectu, & institutione ad philosophãdũ admittẽdas esse; vt ex illustribus scriptoribus, & speciatim ex Plutarcho in libello, qui inscribitur, nõ posse suauiter viui secundum Epicurum, & ex Lactantio Firmiano, colligere licet. Quam stultam sententiam, Possidonius, vt memoria ꝑdidit Galenus, & Seneca, alias vterque Stoicus, reiecerunt. Qui ad liberales disciplinas capescendas, in quibus Philophiam ponunt, pueriles artes, quæ nomine pædiæ ab Aristotele, & a Cicerone appellatione litterarum designãtur, necessarias esse docuerunt: vt etiam Plato varijs in locis, dum de corporum & animorum purgatione disputat, per quam,

Laer. in vita Epic. Cic. 2. de fin.

Lib. 3. diu. inst. c. 25.

Lib. 9 mores seq. corporis tę per.

Epist. 88

pædiam & præparationem ad philosophiæ studium intelligit. Vnde quidam auctor, purgationem appellauit peregrinationem, & Philosophiam patriam, ad quam per purgationem itur. Cum itaque Philosophia non sit perceptu facilis, ad eam percipiendam adhibenda erit aliqua præparatio, atque pædia, cum non quoduis ingenium, etiam bonum, possit ea percipere, quæ in scholis philosophorum traduntur, nisi ad eas aliquibus artibus instructum accesserit, vt Plato, Aristoteles, & ante eos Pythagoras sapienter docuit; vt ex Lycidis ad Hipparchum epistola constat: in qua fit mentio de quadam Pythagoreorum consuetudine, qui cenotaphia, hoc est mortuorum monumenta extruebant ijs, qui a Philosophia defecissent, aut eam temere diuulgassent. Hanc eandem necessitatem planius exponunt diuinæ literæ, cum dicunt, Non esse dandum sanctum canibus; in animam maleuolam non intrare sapientiam, & sapientiæ initium esse timorem Domini. Possem hoc loco multos ex sacris scriptoribus in medium afferre ad eandem rem confirmandam, quos sciens omitto, cũ in libris diuinarum Institutionum contra nouos hæreticos, Epicuri & Stoicorum errorem sectantes, eos citauerim. Eandem necessitatem demonstrare liceret, ex eo, quod beatæ illæ mentes, quas intelligentias & Angelos vocamus, ad maiora quædam intelligenda purgatione, & illuminatione egent, ut sacri Theologi communiter docent.

Nicol. Damas. — Plat. in Epist. ad Dion. — Clem. Alex. lib. 5. strom. cant. — lib. 5. var. lect. c. 12. — Mat. 7. — Greg. Nazi. orat. in sanc. lumina. — Dion. Areop.

SED peteret hoc loco aliquis, quęnam sint caussæ ob quas homines a pueris efficiuntur minus idonei ad percipiendam Philosophiam? Cui ex bonorum scriptorum doctrina, & speciatim Platonicorum responderé, ob duas. Prima est praua consuetudo in percipienda voluptate ex illis rebus, vnde percipienda non esset, atque molestiæ & tristitiæ timor earum rerum quæ timendæ non forent. Quare, hóc pueri docendi essent, honestos labores non fugiendos, sed voluptatum illecebris ac titillationibus præferendos esse. Atque vtinã

Chal. in Tim. Plat. — Arist. lib. 2. eth. c. 2.

hoc

hoc animaduerterent, & exequutioni puerorum institutores mandarent: Altera domestica viuendi ratio parum honesta, a qua pueri facile corrumpuntur, etiamsi bona sint indole prædit; dum deprauatas viuendi rationes videndo, id faciunt, quod vident, & id dicunt, quod audiunt: quo etiam referres, minus honestas picturas, & librorum impudicorum lectionem. Hoc itaque tetro veneno teneri animi inficiuntur, qui candido puroque lacte bonæ vitæ imbuendi erant. Huc faciunt hæc propemodum diuina Iuuenalis carmina, quę non modo memoria, sed etiam maxima sunt admiratione digna. Cic. Tusc. 3.

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti:
Maxima debetur puero reuerentia.

Et cum elegantissime atque acerrime redarguisset eum qui pauimenta, parietes, & vniuersam domū purgat, cum hospitem domi est excepturus, tandem hunc in modum concludendo, ait.

Illud non agitas, vt sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem?

Cavendum itaque omni studio est, ne vlla ratione adhuc puræ puerorum mentes inficiantur, curandumque vt honestos suscipiant labores, & vt voluptatum malarum vitent illecebras.

Omnis autem purgatio, partim consistit in remotione eorum quæ corpus animumque inficiunt, partim vero in vsu earum rerum quæ vtramque hominis partem iuuare queunt: vnde alia corporis, alia animi purgatio. Puerorum ingenia ratione corporis potissimum vitiari solent nimio cibo, atque somno immodico: quibus rebus ita interdum corpora mutantur, vt non videantur eadem. Ratione animi, si omni careant honesta delectatione, & perpetuo sint animo tristi, atque mesto. Huc referres ea quæ de vsu gymnasticæ, & musicæ, quo etiam nomine poetica intelligi potest, do-

cet Plato, in quibus pueros exerceri volebat: vt ad labores suscipiẽdos corpus assuefiat, & aliqua honesta oblectatione aĩus relaxetur. Sed hic cauendũ est, nedũ puer eas exercet artes, atq; ijs versatur in rebus, quibus aĩus & corpus purgantur, & ad maiora studia præparant, nimio alicuius inferioris artis amore, aut oblectatione capiatur, vt in ea hærere, aut ad eam omnia accommodare, aut sępe redire velit. Etenim, vt sæpe experientia didici, poeticæ artis oblectamenta, & suaues musicę voces, ijs qui illis nimium sunt delectati, plurimum detrimenti attulerunt, & a recta philosophandi ratione, atque a progressu in sapientiæ curriculo retardarunt. Ob hanc caussam, vt Aristoteles scriptũ reliquit, minus bene Timęus & Plato philosophati sunt, quod nimis mathematicis disciplinis oblectarentur, & ad eas res physicas accommodare voluerint. Etenim, vt ipsemet Plato aliquando scripsit, non in Geometriæ quæstionibus, non in argumentosa Philosophia, non in coniecturali Musica, neque in Astrologia, quæ physicis rationibus, fluxisque ac verisimilibus clauditur, sed in ipsius boni verique scientia (Dei nimirum) philosophus versari debet.

Lib. 3. de cęl.

Lib. 5. de rep.

AD eandem purgationem atque pręparationem proxime refertur Grammatica, & Rhetorica, ac etiam multo magis Logica, siue Dialectica, quam Plato interdum philosophiæ instrumentum appellat, interdum vero eandem facit cum prima Philosophia, quam Metaphysicam vocamus; & ita nomine Dialecticæ, vt nonnulli Platonici volunt, diuina designatur Philosophia.

SED cur Plato aliquando dialecticam instrumentum, aliquando vero Philosophię partem vocat? Respondent aliqui, vocare instrumentum, ut est auulsa a rebus: philosophię vero partem, vt est cum rebus coniuncta. Etenim ad philosophiam constituendam duo sunt necessaria, materia & forma, res nimirum & modus cognoscẽdi: & quia, vt Philosophus docet, denominatio fit a forma, ideo philosophia quæ res exhibet,

Ficin. Maz. Phædr. Phædo. Philop. 2. Phys.

vocatur

vocatur Dialectica, quę formam, methodumque rerũ cognoſcendarum & tractandarum præbet. At cur magis prima Philoſophia, quam alia pars? Reſpondent aliqui, quia illa eſt finis totius philoſophiæ, & omnes philoſophiæ partes vniuerſe complectitur: & cum Dialectica ſpeciatim referatur ad diuinam Philoſophiam, quæ eſt vniuerſaliſſima ſcientia, & aliarum finis, ideo ei priuatim hoc nomen tribuitur: vt omittam quod magis dialecticæ præceptis indiget.

Ex quibus colligere licet, ex ſententia Platonis, nõ modo eas artes quas diximus, eſſe veluti ancillas Philoſophiæ, ſed etiam Phyſicam præparare animos ad ſcientiam diuinam, quæ ſpeciatim Philoſophiæ nomẽ meretur, ac ſola eſſe videtur Philoſophia: cum omnes res creatæ quas naturalis ſcientia tractat, ſint veluti vmbræ quædam, & ſcintillæ quæ nos ad ſupremi entis notitiam ducunt, quam prima Philoſophia tradit. Philoſophia enim apud Platonem illa cenſetur, quæ nos cum diuino numine coniungit. Atque ex dictis colligeres, omnem purgationem ex Platonis ſententia in tres partes eſſe diſtributam; in eam quæ impedimẽta remouet, in eam quæ præparat, & in eã quæ dirigit.

Aristoteles autem, eandem rem ſub nomine pędiæ, ut ſupra diximus, varijs in locis expoſuit: cæterum quid nomine pædiæ ſignificare voluerit, non eodem modo ab omnibus intelligitur. Aliqui per pædiam, quandam confuſam notitiam intelligendam eſſe exiſtimarunt: alij Logicam particularem, ſeu modum procedendi in particularibus ſcientijs, vt Auenroes, & qui eum ſequuntur: alij experientiam deſignari putarunt: alij miſcellam quandam ex iſtis omnibus conflatam: alij denique hoc nomine Platonicam purgationem in eas partes diſtributas, quas paullo ante attulimus, intelligi volunt, quas varijs in locis Ariſtoteles tradidit. Et quod attinet ad illam quæ remouet impedimenta, vitia nimirum & animi perturbationes, eã indicauit Ariſtoteles in Ethicis, vbi ſectatorem ſuarũ

Leonicus Sim. Port.

Octau. Ferrar.

Franciſ. Pic.

affectionum ad scientiam morum capescendam ineptũ esse dixit: qui profecto, nec scientiam in veritatis inspectione positam, ob mentis perturbationes, facile perciperet: vt alio loco idem luculentissimis verbis demonstrauit, ac etiam Themistius in librum primum de anima; vbi ait, Mentis opus esse quieti, quam agitationi similius: ac proinde abstemios purgatius & vibratius, quam temulentos cognoscere: & noctis silentio, quam interdiu, & corpore inoffenso, quam perturbato, & in senecta ætate, quam in iuuenta veritatem videri. Vbi concludendo ait, Motus itaque alienior est ab animæ natura, quam status. Huc facit quod Græci scientiam ἐπιστήμην, a στῆναι, hoc est, stare dicunt. Et cum scientiarum absolutio in iudicij perfectione consistat, & iudicium animi perturbationibus maxime impediatur, profecto ad recte philosophandũ ea erit opus pædia, quæ animum a vitijs purgat.

Sect. 30. prob. vl. Tex. 49.

QVOD vero attinet ad pædiam dirigentem, hæc consistit in quibusdam artibus, quæ Philosophiam antecedunt, quas humanas appellãt, quod eas ex vniuersis animantibus vnus homo possidere queat: quarum artium complexum Græci pędiam solent appellare. In quo genere non solum illę quæ liberales vocantur, sed etiam Historica, quam nonnulli Grãmaticæ subijciunt, continetur; quam sæpe Philosophia supponit: sine cuius notitia, multa Philosophorum loca recte intelligi nequeunt, & interdum in rebus ad Philosophiam pertinentibus erratur; vt ijs contigit, qui Hebræorum historias non viderunt. Ob hanc caussam interdum lapsus est Auenroes in Aristotele explicando, vt cum Pytagoricos Philosophos distinxit ab Italicis, cum sint ijdem, & cum pro sectatoribus Heracliti, posuit Herculeos, nisi forte eius codex est mendosus. Inter cæteras artes, quę ad pędiam dirigentem pertinent, principem locum obtinet Logica, ut ex varijs locis Aristotelis cognoscere licet: ob cuius ignorantiam, quam inexperientiam, & apædeusiam uocat, sæpe errarunt antiqui:

Gel. lib. 13. c. 15

Lud. Vi. lib. 3. de caus. cor. art.

Lib. 1. physi. t. 71. li. 4. Met. lib.

tiqui: interdum etiam modum ſciendi appellauit, per 2. Met.
quem cognoſcimus qua ratione argumentis aſſentien Lib. 1.
dum ſit, & quæ rationes in vnaquaque arte quæren eth. c. 2.
dæ. Hæc enim eſt veluti regula, qua, an omnia recte
conſtituta ſint in ſcientijs, iudicandum eſt. Cæterum
nomine pędiæ, interdum Ariſtoteles eum habitum
intelligit, quo natura alicuius artis, ſcientięve contine Li. 1. de
tur, & explicatur: cuius explicatio ad ea quę ſunt ſcié part.
tię ſubiecta recte intelligenda, eſt optima pędia. Qui
itaque Logica inſtructus ad ſcientias accedit, iudicare
poterit, de definitionibus, & demonſtrationibus, quid
quantunque ualeant, & qua ratione in quacunque ſcié
tia procedendum, & demonſtrandum ſit; cum ipſa ſit
veluti ſcientiarum amuſſis atque criterium, ut alibi
docuimus. Eſt autem criterium facultas illa animi qua
de ratione procedendi, definiendi, demonſtrandi iudi-
camus, dum demonſtrationum mométa, formam, atq;
materiam perpendimus. Hęc iudicandi vis non eſt
tota poſita in ſenſu, vt Epicurus voluit, licet ſenſuum
iudicium non ſit ſpernendum, cum ſit omnis humani
iudicij fundamentum, vt ex nonnullis Ariſtotelis locis
intelligimus, ſed debet eſſe cum ratione cõforme, atq; Lib. 8.
connexum. Ratione itaque cum ſenſu conſentiente, phyſic.
omnia iudicanda ac metienda ſunt: & tunc perfectum Li. 3. de
fiet iudicium, cum ad id quod eſt rationi, aut ſenſibus gen. an.
manifeſtum, fiet reſolutio, cum noſtra cognitio ortum
habeat a ſenſibus. Atque huiuſmodi rationis, & ſen-
ſuum conſenſionem varijs in locis approbat Ariſtote- Li. 1. de
les. Et licet ſenſuum iudicium pro certo haberi de- cęl. t. 22
beat: tamen quia ſenſus interdum ob impedimenta, Lib. 2. t.
non recte obiecta percipiunt, vel quia non omnia quæ 72.
ſub intelligentiam cadunt, attingunt; ideo eorum iu- 1. de hiſ.
dicium eſt corrigendum, & aliter interdum iudican- an. c. 6.
dum, quam ipſi iudicant; ut cum paralella cernimus, Phil. lib.
& rem diſtantem inſpicimus, & antipodas conſiſtere 7. cont.
non poſſe, ſi ſenſus ſpectetur, exiſtimamus. Vnde col Procl.
ligeres, aliquod fieri poſſe & debere iudicium ſine ſen

ſuum

suum ministerio, vel in eosdem omissa resolutione.

QVOD attinet ad pædiam præparantem, aliqui existimant hoc nomine designari rudem quandam notitiam eorum, quæ in aliqua scientia tractãtur, quæ sine grauioribus probationibus & disputatione, & absque caussarum assignatione, simplici pædia traditur; faciliores nimirum libellos, qui foras dantur ad parandos lectores ad maiores artes, & ad exactius tractandas disciplinas: & huc aliqui pertinere putant eos libros, quos Aristoteles exotericos vocat, q̃d essent veluti Isagoges ad libros accuratius scriptos. Et quamuis ex Platonis sententia, omnes Philosophiæ partes sub pædiæ nomine contineri possint, quod ad diuina intelligenda nos præparent: tamen physici & matematici libri ex Aristotelis opinione, non sunt collocandi inter libros ad pædiam pertinentes.

Sim. Port. Iac. Maz.

ET ut hunc locum concludam, iuxta Aristotelis doctrinam, hæc assignantur pædiæ capita. Primum continet purgationem a vitijs. Secundum, Logicæ rudimenta, & isagoges. Tertium ordinem doctrinæ, ita ut a notioribus semper inchoandum sit: Quartum, vt suo quæque loco tradãtur, & quæ sunt inter se affinia: Quinctum, in vnaquaque re explicanda, illas esse quærendas, & requirendas rationes, quas subiecta materia requirit: Sextum, ea solum tractanda esse, quæ cum re de qua agitur sunt coniuncta, non extrinsecus accersita; & vt nihil est omittendum quod rem contineat, ita nihil superfluum addendum: Septimum, non omnium caussas esse quærendas, sed quædam notiora, vt sunt principia, sensu, experientia, communique notitia, & inductione esse probanda: in quo peccant, qui de principijs, & rebus notis tragędias excitant.

Faber Stap. in li. 1. eth. 1. Phys. t. 2. 1. Ethic. c. 3.

CONCLVDAMVS igitur, non quoscunque, sine vllo discrimine, ad diuina Philosophiæ studia esse admittendos, sed idoneos, & aliqua ratione institutos, atq; paratos: tũ ex parte corporis, tũ animi per remotionem eorum quæ impedimento esse possunt, & per

accessio-

accessionem earum rerum, quæ vel dirigere, vel iuuare queunt: ne temere, tanto opere suscepto, aut nullus, aut paruus in eo fiat progressus, & ne frustra tempus, operaque perdatur. Ob quam caussam nos huius Institutionis scribendæ laborem suscepimus, ut Philosophiæ perdiscendæ, vel docendæ cupidos, ea doceremus, quæ ad tantum opus cum ratione aggrediendum scitu & paratu essent necessaria, atque ad recte Philosophandum viam indicaremus, quod & hucusque fecimus dum, Philosophię & scientiæ naturam caussas, partes, & munera explicuimus, & adhuc plenius in reliqua huius operis parte facturi sumus; in qua priuatim de purgatione, vel pædia agentes, de recta philosophā di ratione agemus: a qua quantum nonnulli abhorreant, vere & subtiliter more suo, vt alios omittam, docuit Gulielmus Parisiensis initio primæ partis .de vniuerso, dum quosdam, inaniter, steriliter, deformiter, stulte, impie, & contumeliose philosophari docet. Cap. 2.

Traduntur nonnulla præcepta communia ad recte philosophandum pro Philosophiæ magistro. Cap. II.



VT res pręclare, si conuenienter tractētur, & ad usum traducantur, maximam vtilitatem afferunt; ita si quis eas perperam tractauerit, infructuosę existūt; vt plerisque Philosophię studium esse consueuit. Quoniam igitur, non pauci reperiuntur, qui vel docendo, vel discendo non ita humanę sapientię curriculum conficiunt, ut deberent, unde maxima, tū priuata, tum publica nascuntur incommoda; ideo in hac nostra Institutione huic malo medicamentum aliquod nobis adhibendum esse iudicauimus: cum ad eum qui instituit nihil magis pertinere videat, quā recte agendi formā modumq; pręscribere.

ET quoniam eius, qui alios (præsertim Philosophiam

phiam profitentes) est instituturus maxima esse debet auctoritas & eruditio, quas duas res in nobis non esse libere fatemur; idcirco quæ daturi sumus præcepta, ea omnia ex aliquo graui scriptore sumemus: ac proinde qui quæ dicemus leget, aliquem virum eruditum, & dignum qui audiatur pro magistro habebit.

QVAMVIS autem de re proposita latissime agi posse non ignorem; tamen cum breuem Institutionem conficiendam mihi proposuerim, quæ multis dici potuissent, in hæc pauca capita hoc ordine conferam.

PRIMVM, nonnulla præcepta monitave tradam omnibus magistris communia: deinde quædam priuatim accommodata ad Christianum Philosophiæ professorem: postea quibusdam alijs præceptionibus discipulos scholæ philosophicæ instituam: denique quam turpe sit solis verbis philosophari demonstrabo. Quod igitur ad primum attinet, has trado admonitiones.

Cic. in Lucul. PRIMA, cum finis sit omnium rerum agendarum ratio, qui philosophando nihil peccare volet, is semper Philosophiæ finem ob oculos habeat, quo omnes suos conatus referat. Qui sit Philosophiæ finis, supra ex bonorum Philosophorum sententia plane docuimus, veritas nimirum, & per sui rerumque cæterarum notitiam, Dei omnium rerum parentis cognitio, eiusdemq; similitudo, & ad eundem reditus. A quo fine qui aberrant, in uanum laborant, seipsos decipiunt, & alijs sediculos præbent, atque præstantissimo maximoq; Dei munere abutuntur: denique ijs priuantur fructibus, & voluptatibus, quas hoc diuinum studium, secum afferre supra docuimus. Quod ad veritaté attinet, olim Chaldæi & Gymnosophistæ adeo fuerunt veritatis studiosi, vt sapientes, qui ter in mendacio fuissent deprehensi, perpetuo silentio mulctarent. Quod si Plato, vt quidam scripsit, in istorum schola versatus esset, in hãc pœnam incidisset: & si hoc tempore, quo passim docti, atque indocti scribunt, ista lex vigeret, multi profecto tacerent. Olim inter generosos viros comprehensus

(Margin: Vide Stob. in eclog. mor. ca. de fine. — Diodo. Sic. — Pet. cri. — Beccan.)

in mendacio, capite minuebatur, & aliorum consortio indignus habebatur. Admonitio quidem facilis, atque cuique notissima, quæ vtinam, ita ab omnibus obseruaretur, vt est omnibus in promptu, & quantum ex eius neglectu nascatur malorum omnes intelligerent. Vt autem hunc finem prudens Philosophiæ magister consequi facilius queat, insequentes obseruabit admonitiones.

SECVNDA, vt Philosophiæ bonum, a bonis Philosophis donum fuit existimatum diuinum, ita qui illud pro dignitate tractare voluerit, nunquam se ad docendum, vel studendum conferat, quin prius, vel expresse, uel tacite diuinum imploret auxilium; id quod Plato, M. Tullius, Isocrates, Phocillides, & omnes meliores Philosophi faciendum monent, feceruntque. Ab Ioue Musarum primordia, Tullius loquitur, sicuti in Aratio carmine orsi sumus. Quia nunc itidem ab eodem, & a cæteris dijs immortalibus nobis agendi capienda primordia. Huc facit quod aliqui de C. Cæsare scribunt, solitum fuisse de nocte surgere ad orandũ Mercuriũ, vt sibi sapiẽtiã tribueret.

In Tim. Li. 2. de leg. Isoc. ad Demõ.

TERTIA, quoniam a proposito fine, nihil est quod magis sapientiæ professorem reuocare soleat, quam turpis lucri & inanis gloriæ cupiditas, atque iactantia, quibus vitijs, omnes laborarunt Sophistæ, hoc est, Philosophiæ corruptores, ut supra de eis agendo ex Platone docuimus; propterea, hæc potissimum vitia, honeste philosophari volenti, vitanda erunt; cum ex his fontibus omnis emanarit Philosophiæ, & Philosophorum vituperatio. Quantum autem vitanda sint, ex ijs est manifestum, quæ supra de vtilitatibus Philosophiæ agendo docuimns. Sed hac de re infra latius dicetur.

QVARTA, cauendum est, ne quid temere, aut false dicatur; & si quid dictum fuerit, ne pugnacissime ostentationis caussa defendatur. Quid est, inquit M. Tullius, temeritate fortius? aut quid tam temerarium,

tanque

tanque indignum ſapientis grauitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum ſine vlla dubitatione defen-
Lib. 2. Acad. qq. dere? Et alio loco, Sed neſcio quo modo plerique errare malunt, eamque ſententiam, quam adamauerunt pugnaciſſime defendere, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur exquirere. Item alibi, cum de vitijs in cognoſcendo fugiendis ageret, vnum, inquit, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamur. Quod vitium fugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res, & tempus, & diligentiam. Hanc admonitionem, ſi olim philoſophi ſeruaſſent, ac etiam nunc ſeruarent, magis expeditum haberemus philoſophiæ curſum, veritatemque magis explicatam, & ſapientiæ ſtudium minus odioſum.

QVINCTA, vt principia, ei qui philoſophari vult, ſunt ponenda, quod qui non faciunt perperam & temere philoſophantur; ita diligenter cauendum eſt, ne quid ſemel pro falſo principio ſtatuatur. Quod principia ſint in omni diſputatione ſtatuenda, & verbis & exemplo docuit M. Tullius; qui de legibus acturus, optima quædam poſuit legum fundamenta; cuius nos veſtigia in Tractatu de legibus ſequuti ſumus. Accedat etiam ratio, quia omnis noſtra cognitio ex quibuſdam primis principijs conficienda eſt: igitur illa priore loco ponenda erunt: quod cum multi non faciunt, perperam philoſophantur. Et hanc admonitionem maxime animaduerti velim, cum tunc maxime
Ariſt. 1. phyſ. t. 1 ſcire dicamur, cum prima principia nouimus. Quod autem in eis recte ponendis maxima adhibenda ſit cautio, ex eo patet; quia hinc omnes in Philoſophia nati
Ariſt. 1. phyſ. t. 10. ſunt errores, quod male poſita fuerint principia: & uno inconuenienti dato, multa ſequuntur. Hanc admonitionem maxime obſeruandam multis poſſem exemplis, demonſtrare, ſi hac in parte vellem late vagari: ſed rei manifeſtæ ſua habeatur fides.

Sexta,

Sexta, principijs constitutis, vnam in philosophando magistram rationem habeat: rationes enim vt docet Plato, sunt philosophorum instrumenta. Huc pertinet ea regula, quam ex Platone depromptam dedit Clemens Alexandrinus, Nemini magis esse credendum, quam rationi, & ei quæ visa fuerit probabilior. Liberam igitur sequatur philosophandi rationem; ita vt potius sit opinionum selector, & æquus censor, quam sectator, qualem Aristotelem supra fuisse docuimus; ac proinde minus, quam alij errauit. Nunquam igitur tantum alicuius præiudicata possit opinio, vt etiam sine ratione valeat auctoritas. Nulla, inquit Tullius vincula te impediant, vllius certæ disciplinæ: liba ex omnibus quodcunque te maxime specie veritatis mouet. Et quamuis Philosophiæ professorem eum esse velim, qui cum Lyrico dicere queat, Dial. 9. de rep. Tus. 1.

Nullius addictus iurare in verba magistri. Lib. 1. epist. 1.

Non tamen tantam ei libertatem darem, quantam ille sibi sumpsisse significauit, cum dixit,

Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.

Illud vero nunquam sibi fas esse dicat, quod se facere idem aiebat,

Et mihi res, non me rebus summittere cogor.

Septima, vt facilius latentem veritatem inueniat, disputationē in vtramq; partem adhibeat; qua philosophandi ratione, præter alius, vsus est Aristoteles, eandemque approbauit Tullius, cum hunc in modum scripsit, Itaq; mihi semper Peripateticorum Academiæque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, non ob eam caussam solum placuit, quod aliter non posset, quid in vnaquaque re verisimile esset, inueniri; sed etiam quod esset maxima dicendi exercitatio, qua princeps vsus est Aristoteles, deinde eum qui sequuti sunt. Is enim primum philosophiam docebat: postea suos discipulos in dicendi ratione, vt supra scripsimus, exercebat: Quod si nunc fieret, meliores haberemus Philosophos, & sapientiam

Cic. lib. de perf. orat. cum eloquentia coniunctam: quarum perpetuum deberet esse consortium: ne sapientia sine eloquentia sit muta, & eloquentia, sine sapientia, stulta. Vnde illa sine dubio maxima extaret vtilitas, vt, siquid litteris mandandum esset, id facile conuenienterque fieret: sed describendi ratione inferius. Ad confirmandam allatã admonitionem, facit hic illustris Aristotelis locus. Est autem, inquit ipse, operæ pretium aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare: nam posterior facultas, solutio eorum est, quæ ante dubitata fuerunt: & quæ apud ipsum sequuntur. Lib. 3. Met. tex. 1.

Sed hoc loco ea cautio adhibenda est, ne qui cum vtilitate docere vult, sit in disputando nimius, aliam ex alia disputationem colligendo, & nunquam finiendo; vt illi faciunt, qui omnia vbique & minima quęque sibi examinanda, & enucleanda putant: quod dum faciunt, discipulorum ingenia confundunt, & vna cum illis frustra tempus conterunt: vnde etiam sæpe exoritur inter ipsos magistros odiosa contentio, & vellicatio: quam philosophandi rationem Hieronymus Peripateticus, vt est apud Plutarchum, sapienter damnauit. Adhibeatur itaque in re alias vtili modus, ne fiat inutilis. Huc referres quarundam quæstionum obscurarum & difficilium, ac etiam non necessariarũ vitationem, quas declinandas esse prudenter admonuit M. Tullius. Lib. de audien. Lib. 1. offic.

Octava, in disputando abstineat a citatione minutorum ac minoris auctoritatis scriptorum, ac etiã a multis multorum locorum citationibus, & a multitudine probationum, in rebus leuioribus, ac etiam in manifestis. Paucis itaq; rationibus & auctoritatibus esto contentus, cum pauca sufficiunt. Quid enim opus est in clara luce pluribus vti luminibus? aut vno, vel altero lætali vulnere inflicto, iam mortuum hominem pluribus velle conficere? Similiter, in citãdis sententijs, illæ citentur, quę aliquid stabilitatis habent. Qua autem ratione auctorum opiniones spectandæ sint, his verbis Tusc. 5.

exposuit

exposuit M. Tullius. Acute disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre: & rursus. Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia. Et quod ad hanc admonitionem facit, magis in veritate inuestiganda, quam in falsitate refellenda sibi elaborandum putet; cum hoc sit facilius factu: ideo Cicero aliquando dixit, Vtinam tam facile vera inuenire possem, quam falsa conuincere. Quod autem de minutorum, vel etiam imperitorum auctoritate adhibenda diximus, id Tulij hæc pulcherrima nos docet sententia. Non pudet igitur physicum, id est speculatorē venatoremque naturæ, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? siquidem auctoritas parum mouet, nisi sit grauis.

Ibidem. Lib. 1. de nat. Deor. Lib. 1. de nat. deor.

NONA, ita disputet, & aliorum sententias tractet, vt non tam quemquam conuincere, aut contentiose cum aliquo agere, quam veritatem inuenire velit. Verum, inquit Tullius, inuenire volumus, non tanquam aduersarium aliquem conuincere. Et alio loco, Quamobrem differentium inter se reprehensiones nō sunt vituperandę: maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentionesque in disputando pertinaces, indigna mihi philosophia videri solent. Quam hominis Ethnici admonitionem, vtinam nostri animaduerterent, & obseruarent.

Lib. 1. de fin. eod. lib.

DECIMA, prompto animo candidoqu ea quæ nouit doceat: & se in hunc finem didicisse putet, vt doceat. Si cum hac exceptione detur sapientia, inquit Seneca, vt non communicem, quid est, vt tanti sudem & æstuem? Et quis non communicet id, ex quo nihil per communicationem minuitur, sed potius augetur? Huc transferri potest quod ab Ennio dictum est,

Vt homo, qui erranti comiti monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Enn. apud Tul. lib. 1. offic.

Ideo Sapiens de sua sapientia loquendo dixit, Quam

ne fictione didici,& sine inuidia communico.

VNDECIMA, vt bono magistro liberam, sed modestam facultatem damus ad id refellendum, quod minus verum in alijs notauerit; ita eum monemus, vt libenter ferat, si quid in ipso ab alio iure reprehensum fuerit. Huc pertinet quædam pulcherrima diui Augustini sententia, qua dicebat, salua honorificentia, se velle in alijs improbare, si quid a veritate alienũ inuenisset: vbi concludendo ait, Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. Et M. Tullius, Philosophia nascatur latinis quidem literis ex his temporibus, eamque nos adiuuemus, nosque ipsos redargui, refellique patiamur. Quod, qui iniquo animo ferunt, ij certis quibusdã, destinatisq; sententijs, quasi addicti & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, vt etiam quæ non probare soleant, ea cogantur, constantiæ caussa, defendere. In rebus itaque probabilibus refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati simus, vt idem ait. Hanc admonitionem vir nostra ætate sapientia & pietate insignis, sibi seruandam esse his verbis præscripsit. Sed rogatos omnes philosophos velim, vt si ad eorum manus hi libri aliquando peruenerint, eos legant, addant, minuant, mutent quidquid placebit: efficiant ipsi, quod a me præstari non potuit: doceant, quę sit recta philosophandi ratio, vt tandem hac de re, quæ est non minimi momẽti, omnes dissensiones hac ætate tollantur. Hæc ille. Hoc animo, qui sapientiæ studium profitetur, si erit affectus, nihil vnquam temere affirmabit, & si quid errauerit, errorem fatebitur suum; atque quod optimi & eruditi viri fecerunt, libere palinodiam canet; ne vnquam in eam reprehensionem incidat, qua contra Velleium Epicureæ sectæ defensorem vsus est M. Tullius, Quam bellum erat Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista nescientem nauseare, atque ipsum tibi displicere?

Dist. 9. ca. neq;.

Tus. 2.

Aug. Val. li. 2 de rect. phil. ratione.

D. Aug.

Lib. 2. de nat. deor.

DVODECIMA & vltima admonitio, in qua de ratione scribendi, dicendique, quod attinet ad stylum

atque

atque sermonis elegantiam, aliquid præscribere volumus, de qua re ita statuimus.

PRIMVM dictũ, expediret profecto, vt Philosophus aliquam curam in eloquentia & puro sermone comparando poneret: ex qua diligentia hæ manarent vtilitates non spernendæ. Prima, quia multo libentius audiretur, & legeretur, quod sanus negaret nemo; ac proinde auditores, lectoresq; suos ad hoc diuinum studium magis alliceret. Res vero bonas, inquit Tullius, verbis selectis, grauiter, ornateque dictatas, quis non legat? Secunda, multo facilius atque splendidius animi sui sensa aperiret, intelligentiamque exponeret: quod facere nequeunt, qui ob neglectum eloquentiæ studium, improprie, obscure, & spinose loquuntur. Tertia, eius scripta minus essent exposita calumnijs: ac proinde tolleretur occasio oblatrandi contra philosophos: vnde interdum inter graues viros graues enatæ sunt contentiones; vt inter Barbarum & Picum, quorum vterque, dum suum voluit tueri studium, nescio an vterque peccauerit; de qua re alio opere me nonnihil dixisse memini. Vt hic omittam oblectationem illam, quam ex ornato sermone, is qui dicit, aut scribit, capit. Et sane, cum nemo sit qui eleganter, splendideque dicere nollet, cur etiam omnes qui hoc tenentur desiderio, in hoc curã aliquam nõ ponũt? Quod qui faceret, insigniores imitaretur philosophos, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Plutarchum, M. Tullium, Prohæresium, cuius eloquentiam admirabilem fuisse scribitur; & ex recentioribus, Ficinum, Pontanum, vtrumque Picum, Politianum, Contarenum, Sadoletum, & Polũ Cardinales, vt alios missos faciam: Et qui sibi nõ gloriosum putet, eos scribendo imitari, qui ab omnibus leguntur? Ponenda itaque est in eo opera aliqua, vt distincte, vt distribute, vt eleganter, vt ornate, quantum res ipsa patitur, scribamus; ne, quæ aliorum caussa scribimus, quia omni delectatione carent, negligantur.

Lib. 1. de fin.

Lib. 4. de caus. eloqu.

SECVNDVM dictum, quantum fieri potest, re-

mouenda sunt a schola Philosophiæ barbara verba; & cũ bonũ ue bũ latina lingua suppeditat, quæ caussa est vt verbo non vtamur latino? & pro rerum notis, dicamus hecceitates: pro attributo, prædicatũ: pro potestate, uirtualiter: pro re, realiter; pro intime, essentialiter, & idem dicas de alijs multis. Si uero non suppeditet, græca vtamur voce, vt cæteræ artes, Grammatica, Rhetorica, Medicina, & aliæ faciunt, vel si necessitas cogat, rebus præsertim nouis nascentibus, fabricemus noua. Dabitis enim, inquit Tullius, profecto, ut in rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciunt, a quibus hæc iam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis. Vbi, noue, qualitates dixit, ποιότητας Græci: alibi æqualitatem, græce ἰσονομία. Et alio loco, Si enim Zenoni licuit, cum rem aliquam inuenisset inusitatum, inauditum quoque ei nomen imponere; cur nõ liceat Catoni? ubi etiam ait græcis uti oportere, ni verbum occurrat latinum. Item, quod si in ea lingua, quam plerique vberiorem putant, concessum Græcis est, vt doctissimi homines de rebus non peruulgatis inusitatis verbis vterentur; quanto id vel nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Parienda itaque sunt verba, imponendaque noua nouis rebus nomina: quod tamen non cuique concesserim, sed viris eruditis, & alias eloquentibus, qui congruenter fingent, & pro sua prudentia, atque modestia parce.

Lib. 1. Aca.qq.

Li. 1. de Natura Deor.

Li. 3. de Fin.

Eod. lib.

TERTIVM dictum, non est omnino succensendum Philosophis, si quibusdam vtantur verbis a communi vsu remotis: quia, vt eleganter & vere docet M. Tullius, cuique arti, Dialecticæ, Physicæ, Geometriæ, Musicæ, & cæteris suæ sunt voces propriæ; quæ artes sua artificia tueri non possent, nisi uocabulis vterentur nobis incognitis, vsitatis sibi. Cum ergo omnibus artibus id concedatur, cur non magis Philosophiæ, quæ est ars vitæ? de qua disserens, arripere verba de foro non potest. Et alio loco, Dialecticorum quoque

Li. 3. de Fin.

Lib. 1. Aca.qq.

vrba

verba nulla sunt publica; suis vtuntur, & id quoque cō mune omnium fere artium, Quae prudenter alio lo co dixit, vtendū esse verbo minus vsitato docendi cā. Tus.

QVARTVM dictum, nullius Philosophi scripta contemnenda, aut reijcienda sunt, quātumuis parū nitida, atque latina, modo doctrinam contineant bonam. Hoc dixerim contra quosdam qui plus iusto stomachantur contra bonos, & alias celebres Philosophos, quos minus nitide scripsisse vident, & plus in Philosopho eloquentiæ & puritatis requirunt, quam pater eloquentiæ Tullius desiderauerit: qui, cum de Philosopho, Platonis & Aristotelis ornamenta negligente loqueretur, ita scripsit, Oratio me istius Philosophi non offendit: nam & complectitur verbis, quod vult, & dicit plane quod intelligam: & tamen a Philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner: si non habeat, non admodum flagitem. Acquiescant igitur isti, sicuti & Cicero acquiescebat: nec magis de verbis quam de rebus velint esse sollicitos eos, qui magis res, quam verba quærunt, ac quærere debent. Et, vt cum eodem hanc rem côcludā, rem opinor spectari oportere, nō verba. Plat. Tus.

Traduntur alia præcepta pro homine Christiano Philosophiam profitente. Cap. III.



HOMINI Christiano priuata quadam ratione in Philosophiæ schola versandum esse, prudens, vt existimo, negaret nemo: quod si hoc verum est, vt sane est, profecto non erit inutile priuatis quibsdam admonitionibus eum instituere, ne vnquam in philosophando, hoc est in Deo sesquendo & imitando is erret, qui priuatam de rebus diuinis diuinitus habuit notitiam: cum, vt quidam e nostris scripsit, Nihil sit egentius ea mēte, quæ de Deo extra Deum philosophatur; vt ea certe facit, quæ Deū non sequitur, quæ cum Deo non est coniuncta. Vt igi- Diadoc.

tur Christianus Philosophus, qui maiore est illustratus lumine, minus in philosophando erret, has quas subijciam admonitiones animaduertat.

PRIMA, cum sit verissimum pronũciatum illud, apud omnes Philosophos celebre, Rem vt se habet in esse, ita se habere ad cognitionem, profecto de rebus ipsis, vt de mundi molitione, de eiusdem gubernatione, de motu, de tempore, deque multis alijs rebus philosophandum erit, prout de eis diuina scribũt eloquia. Vnde qui eorum aliquam habuere notitiam, & eam quam habuerunt, non temerarunt, longe melius philosophati sunt. Ex qua admonitione plane conficitur, eum qui vult recte philosophari, ea debere habere ꝑspecta, quæ in sacra Genesi de mundi molitione scribũtur, & alia multa, quæ varijs in locis in diuina pagina ad rerum naturas, & ad humanam conditionem statumque spectantia dicuntur. Hinc factũ est, vt quod docemus aliquo illustremus exẽplo, ut Theophrastus, Plinius, Plutarchus, Virgilius,, Cornelius Gallus, Rodiginus, & alij, cum non nouerint, vel non animaduerterint, vnde humanæ naturæ vitium emanauerit, naturam tanquam nouercam accusauerint, & de humanæ vitæ breuitate, & infirmitate questi fuerint. Verum, si quis attente naturæ consilium in suis operibus conficiendis spectet, profecto intelliget, tale esse debuisse humanum corpus, gratia diuina semota, quale nũc est. Siquidem rei cuiusque materiã eam esse oportet, quã forma requirit: & quia forma intelligens requirebat corpus varijs partibus, & membris, atque optima elementorum, qualitatumque temperatione formatum, vt in illis suas posset exercere functiones; non propterea, quod inde quædam cõsequuntur imperfectiones, quas in alijs corporibus non cernimus, natura vt inuida & improuida nouerca damnanda est: sicuti nemo damnaret artificem, qui serram ad secandum institutam ex ferro conficit; quamuis ferrum hebéscat, & rubiginem contrahat. Nec propterea, quod natura vel

Deus

Deus potuisset facere humanum corpus immortale, & impatibile, reprehendendus est, cum Deus nō quidquid facere potest, faciat; sed, ut Augustinus docet, id quod naturæ rerum conuenit. Quare multo melius hac in parte Plato, philosophatus est, ac etiam Chrysippus, vt est apud Gellium, & alij, qui naturæ consiliū hac in re recte obseruarunt. In summa, qui Philosophiam profiteri debet, is non sit omnino sacræ Theologiæ ignarus. Et sane, cum Theologi extra suos cancellos egredientes in Philosophiæ campos excurrunt, multo subtilius, & accuratius res perpēdunt, & de illis iudicant, quam puri Philosophi faciant: cum, supposita veritate mysteriorum nostræ religionis, multo aliter de nonnullis rebus sentiendum sit, quam Philosophi senserunt; ut de accidentis a substantia separatione: de distinctione naturæ & suppositi: de dimensionum penetratione: de unius corporis in pluribus locis existentia: de humanæ naturæ vitio: de motus tēporisque natura, & de alijs multis rebus.

Sup gē. ad lit. li. 2. In Tim. li. 4. c. 1. D. Tho. p. p. q. 76 at. 5. Ficin. in sua Theol. li. 13. c. 1.

SECVNDA, cum Christiani Philosophi sit, veritatem tueri Christianam quam profitetur, profecto necesse erit, vt optime teneat, quid Philosophi Ethnici bene, quid male dixerint, quid a nostris acceperint, & quid intactum conseruauerint, & quid maculauerint. Vt autem hæc perspecta habeat, hos speciatim ex nostris scriptoribus legat, Eusebium Cæsariensem de præparatione Euangelica: Theodoreti libros de curandis græcanicis affectionibus: Lactantij Firmiani libros diuinarum Institutionum: D. Thomæ libros cōtra Gentes: & Augustini Steuchi diuinum opus de perenni Philosophia; ex cuius lectione, non modo multa scitu præclara cognoscere, sed etiam Christianam Philosophandi rationem promere licebit.

TERTIA, cum periculose is attingat religionis mysteria, qui non fuerit aliqua parte in rebus diuinis eruditus; ideo qui tute philosophari voluerit, si talē se nō esse viderit, caueat ne diuina velit attingere, dum

ea tractat, quæ sunt Philosophiæ cum Theologia communia : cum diuina idonee tractare nequeat, qui theologandi regulas ignorauerit. Ex huius admonitionis neglectu, multi in graues inciderunt, ac incidunt errores; &, vel expresse, vel tacite contra Deum, quem pro fine habere deberent, disputant; quod quanta sit reprehensione dignum, etiam M. Tullius vidit, ac proinde sapienter secundum de natura Deorum librum concludendo dixit, Mala & impia consuetudo est contra Deos disputandi, siue ex animo id fit, siue simulate. Cum itaque sine reuelatæ veritatis lumine & diuinæ sapientiæ condimento, humana sapientia, quam Deus stultam fecit, in errorem incidere soleat, diuinū est adhibendum lumen.

QVARTA, quæ de recta ratione philosophandi a sacris canonibus decreta sunt, ea non ignoret, & quæ nouit, seruet, & speciatim decretum sub Leone X. in Synodo Lateranensi statutum, cuius decreti hęc est summa. Primum, id omne pro falso habeat, quod veritati catholicæ inuenitur esse contrarium, ac proinde nihil vnquam contra statuat, aut sentiat. Nam cum veritas christiana sit diuina veritas, cui falsum per nullam potentiam subesse potest; profecto, quidquid ei repugnabit, falsum erit. Vnde colligeres, quam non modo inscienter, sed etiam parum pie loquantur illi, qui dicunt, aliquid esse verum secundum religionem, sed non secundum Philosophiam; & contra; in quo errauit Gulielmus Olcothus, cum dixit, ea quæ dicunt Philosophi esse vera secundum rationem naturalem, & fidei dogmata secundum rationem supernaturalem; cum vere Boetius cecinerit;

At nulla est discordia veris;
Semperque sibi certa cohærent:
Sed mens cæcis obruta membris,
Nequit oppresso luminis igne,
Lib.2. *Rerum tenues noscere nexus.*
Eth. Eorundem ignorantiam tunc damnauit Aristoteles,

cum

cum dixit, uerum vero consonum esse: ac etiã M. Tullius, cum ex dissidentibus opinionibus, vnam tantum veram esse posse docuit. &, vt cum eodem concludam, Plus vno verum esse non potest: ut etiam concilium, istorum impietatem tacite dãnando, dixit. Deinde, cũ principia, vel conclusiones philosophorum attinget, in quibus Etnici philosophi errarunt, ex concilij præcepto, christianam veritatem manifestare, docere, persuadere, atque omni studio philosophorum argumenta refellere, atque soluere debet, cum omnia sint solubilia: nam quidquid contra veritatem dicitur, sophisticum est. Vnde sapienter Gulielmus Parisiensis scriptum reliquit, alteram philosophandi caussam, ex duabus quas assignauit, hanc esse, errorum qui aliquando in scientia de vniuerso fuerunt, refutationem; quibus declinatur a via veritatis, & a semitis veri modi philosophãdi. Quo loco notãdũ est, imprudẽter se gerere eos, qui dum aduersariorum argumẽta proponunt, ea neruose vrgent, magnumque pondus contra veritatem habere demonstrant: at quando ea soluunt, leuiter disputant; ut dubitare liceat, an adhuc vigeant. Quare, in proponendo ea adhibenda est cautela, vt integre quidem proponantur, sed dum proponuntur ẽt aliqua spargatur, aut insinuetur solutio, ne forte nimis animo hæreant, & eas radices agant, quas postea euellere sit difficile. Solutio sit neruosa, lacertosa, & omnino ad veritatem confirmandam accommodata.

Lib. j. de nat. deor.

Lib. 2. Acade. quæstio.

Par. 1. de vniu. c. 2

QVINCTA, cum quæ in philosophia traduntur sæpenumero non sint omnino firma & indubitata, ea ex diuinis scriptis, & sanctorum patrum monumentis Christianus confirmet sapientię magister: quod qui facient, non risu, non criminatione, sed laude & approbatione digni censendi erunt. Nam, cum omnis veritas a Deo sit, cur eam testimonijs diuinis comprobare improbãdum erit? an fortasse alia est humana ratio recta, quam diuina? Quid igitur peccabit, si auctoritate diuina, ea confirmabit, quæ minus clare ratio videt humana?

Cic. lib. 1. de leg.

na? Hanc admonitionem, secularis homo, & ætate iunior, pietate vero non vulgari, nec prudentia iuuenili præditus, dum Venetam iuuentutem rectam philosophandi rationem doceret, his verbis tradidit. Si veritatis studiosi, si indagatores pulcherrimarum rerum sumus, cur nobis non debet esse iucundum, ea quæ a Philosophia didicimus, sacrorum librorum testimonio, & sanctissimorum hominum rationibus, & auctoritate cõfirmare? Quod si quid repugnet verissimæ scientiæ Theologiæ, quid potest esse tam necessarium, quam illud ipsum cognoscere, & alijs explicare, ne diutius in errore maneant? Sed nos miseros, nobis ipsis stulte nimiũ tribuentes: pudet philosophantes rationibus quæ in sacris literis sunt, vti: non esse perturbandas sciẽtias dicimus, studium eorum, qui id faciunt, aliquando irridemus, quasi nos iuuet errare, labi, admirãtes nonnullorum hominum acutas sententias. An inutile potest esse, cum præceptis de moribus Platonis, Xenophõtis, Aristotelis, Plutarchi, Ciceronis conferre ea, quæ Salomon, Paulus, Basilius in ethicis, Ambrosius in libris de officijs, Thomas multis in libris, & sanctissimi alij multi homines tradiderunt? Cur si possumus, non vtile putamus metallorum, stirpium, animalium, aliquam cognitionem petere è sacris literis, quarum auctoritate Aristotelis sententia, aut confirmetur, aut refellatur? Tantum abest, vt non pauci, qui philosophantur, hæc studia coniungant, ut indignum putent philosopho, nõ defendere Mundum esse ingenitum, animos mortales, Deum non curare res humanas. quod si quis rationibus à Philosophia illis quidem sumptis, sed vberius ab optimis viris Theologis explicatis, peruersas eorum opiniones conetur euellere, scilicet admirabiles Philosophi rident, dicunt se esse philosophos, veritatem philosophicam se defendere non licere sacra miscere profanis, philosophis cum Theologis non esse disputandum. O ignobile & miserabile Philosophiæ studium, si eo erudiuntur ad impias opiniones defendendas homines;

Aug. Valer lib. 2 de rect. ratione philos.

mines; si discunt Theologiam verissimarum sententia rum matrem, & veram recte intelligendi, & beate viuendi magistram contemnere. Illi itaque tanquam optimi Philosophi probandi sunt, qui philosophiam cum sacris literis coniungunt, qui humana diuinis confirmant, & diuina humanis illustrant, amplificant, & tuentur: qui denique humanas artes quasi ancillas, ad Theologiam scientiarũ dominam adducunt, eique tanquam Agar Saræ obsequentem reddunt. Et sane, si natura rudimentum est gratię, vtique & Philosophia inchoatio erit religionis: nec philosophia est censenda, quæ hominem a religione semouet. Quare, primaria quadam ratione philosophi est de rebus diuinis deque religione veram tradere doctrinam, eamq; tueri; quod non modo nostri, sed etiam Cicero, his verbis docuit. Est enim & philosophi, & Pontificis, & Cottæ, de dijs immortalibus habere non errantem, & vagam, vt Academici, sed vt nostri, stabilem, certamque sententiam.

Gen. 16

Lib. 2. de nat. deo.

SEXTA, vt Christianæ est modestiæ suam cuique tribuere auctoritatem; ita eiusdem est prudentiæ nulli hominum, aut omnibus simul tantum tribuere, vt existimet in philosophia id solum esse verum, quod vel Aristoteles, vel alij omnes, qui solo naturæ lumine sunt vsi, cognouerunt, & ea tantum posse cognosci, quę ab eis cognita fuere. Quare, Christianus Philophus, pro certo habeat, multo plura, ex omni natura & vita resta re cognoscenda, quam quæ humano studio cognita sunt, cum maxima pars eorum quæ scimus, sit minima eorum quæ ignoramus. Ex qua admonitione duas vtilitates colligi volo: vnam ne quis vnquam se efferat, quod multa per philosophiam nouerit: alteram, omnibus qui ad humanæ sapientiæ studia se conferunt, aliquid esse relictum, in quo vtiliter sui ingenij vires solertiamque possit ostendere. Et quod ad primam attinet, quis de humana sapientia se efferat, etiamsi sciret omnia quæ omnes meliores philosophi naturæ lumine

ne

ne cognouerunt, cum ei sexcentæ, non dicam de Deo, vel de cœlestibus mentibus proponi possint quæstiones, ad quas nihil posset respondere? Spiritus, hoc est ventus, spirat, & vnde veniat, & quo vadat, quis sciuit? Quis rerum numerum, mensuram, & pondus, hoc est gradus, formas speciesue, & priuatum ordinem nouit? Quis in abditas rerum naturas vnquam penetrauit? quis quæ in terræ visceribus, & in maris gremio latent, vnquam vidit? Quid formica, vel pulice magis exiguum, & tamen quis earum structuram cognitam habet? Quis Aristotele vnquã plura de natura nouit; & tamen reciprocationis fluctuũ maris caussam ignorauit, ob quam ignorationem sibi mortem, ut quidam uolunt, acersiuit. Sed si hoc sciuisset, aut animaruertisset, quod hic monemus, nunquam ob unius rei ignorationem tantum tristitiæ concepisset, ut sibi esset mortis auctor. At cum illa noscere aueamus, & in hac uita noscere non possimus, profecto, ne hic appetitus frustra naturæ nostræ sit inditus, hinc alterius uitæ colligitur necessitas. Vbi, ut quidam scripsit, cõputabimus cuiusque naturæ numeros, mensuras, & pondera: uires inquam, formas, rationesque uirium & formarum: ut & tandem reuelata facie, & apertis omnibus uniuersæ naturę secretis, erubescere cogatur. o insanæ gentes, occulta illa uestra, qua pollincitis, tantũ diues, tantopere sese efferre solet magna & inanis philosophia. Qđ uero ad alteram utilitatem attinet, certum est eos qui Aristotelem, qui plura quam alij nouit sunt sequuti, multa atque præclara inuenisse, & quotidie etiam inuenire, aut inuenta augere, atque amplificare; & quæ ab alijs dicta fuerunt, ad res diuinas explicandas traducere. Quare, sapientię cupidis, & laborare uolentibus adhuc restat amplissimus rerum diuinarum & humanarum campus, in quo, salua religione, immo cum religionis utilitate, philosophando spatiari queant, ea explicando quę de natura, de mathematicis, de moribus de historia, de rerum administrandarum ratione in di-

Corn. Mus. lib. 2. hist. c. 73.

Idé loc. cit.

Io. Fernel. Ioa. Baptista por. Frã. Rales. Lemn. Iul. cæs. Scalig.

uinis literis dicuntur: aut diuina ad humana illustranda accommodando. Id, nos in arte dicendi fecimus, cũ in libris de Rhetorica diuina omnia dicendi artificia, & lumina in sacris literis contineri plane demonstrauimus: & nonnulla alia opera in lucem dedimus, de argumentis nouis nunquam ab alijs scriptoribus tractatis; & hoc quod præ manibus habemus opusculum a nemine ita plene confectum fortasse inuenies, vt a nobis conficitur; cui aliquis alius plura, quæ nos pretermissimus adderet. Illud tamen monuerim, ne quis ea sua ratione metiri velit, quæ omni ex parte captum superāt humanum, ne, inquam velit sapere, plusquam oportet sapere. Ideo quidam sapienter dixit, Noli omnia discere, ne ignores omnia. Simoni.

SEPTIMA, in re ad Philosophiam pertinente confirmanda, id probabile existimetur, quod doctrinæ Aristoteli fuerit consentaneum, quatenus a viro singulari doctrina prædito, & a magistro profectum est: sed multo verius esse putet, quod firma suadebit ratio, quæ, vt supra docuimus, in philosophando pro norma habenda est: at vero id certissimum, & indubitatum, quod cum doctrina fidei consonum fuerit. Quare, in probationibus primus locus dandus est lumini diuino: secundus sensuum iudicio certa experientia explorato, & confirmato: tertius naturali rationi: postremus humano lumini, siue meliorum philosophorum auctoritati. Quattuor itaque sunt probationum gradus, & ad aliquam veritatem stabiliendam viæ, quas suo ordine tenere debet is, qui cum ratione philosophiæ cursum conficere volet: in quo nemo labetur vnquam, quod ad religionem attinet, qui semel in animũ suum induxerit, id se velle tenere, quod se seruaturum publice promisit, cum factus est Christianus.

OCTAVA, ad id quod nunc admonebamus præstandum, is erit magis idoneus, qui non pluris faciet cuiuscunque philosophi ingenium, vel auctoritatem, quā facienda est, nec putabit id omne pro rato habendum,

quod

quod humana cuiusvis ratio potuit vnquam attingere: is qui non censebit aliud secundum philosophos, aliud secundum Theologos tenendum esse, & hos in rebus philosophicis non esse plumbeos; is, inquam, qui non facile in varias opiniones & sectas Græcos, Latinos, & Arabes diuidet, sed potius, cum fieri poterit, cõciliabit, & ad veritatem confirmandam adducet: is denique, qui cum commode poterit, Aristotelis doctrinã ad meliorem sensum vna cum viris doctis traducet, & in paucioribus a veritate aberrare demonstrabit. Quod qui faciunt, & de religione & de magistro suo bene merentur: Qui, cum de rebus difficillimis, data opera, ita sit loquutus, vt quid senserit, non plane exposuerit, si nunc in vitam rediret, ijs haberet gratias, qui eum a veritate non aberrasse docerent; quam se amasse, & pluris, quam amicos fieri oportere, testatum reliquit. Illi vero qui hoc pietatis officio vtentes damnant, dicentes, velle Aristorelis doctrinam ad veritatem Christianã accommodare, nihil aliud esse, quam Aristotelẽ Theologum, & Monachum facere, non magis Theologos, quã bonos philosophos, quorũ auctoritate Theologi quę dicunt confirmant, vituperant, & suæ paruæ pietatis significationem præbent. Qui, si veritatis cognoscendæ amore philosopharentur, id omne, ad eam confirmandam conferrent, quod prudenter, & cum scribentium honore traduci potest.

Lib. 1. eth.

Theo.

NONA, quæ omnibus philosophis communis esse debet; pius philosophiæ Magister non modo de sua recte viuendi ratione sit sollicitus, sed etiam discipulorum; cum hac philosophandi ratione, vt aliquando docuit Plato, nihil possit esse præstantius. Sumat, inquit Fabius, de oratoriæ facultatis magistro loquendo, ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Quod si vir Christiana pietate

Lib. 2. c. 2.

orbatus,

orbatus, hæc faciéda monuit, q̃d nos maiore lumine illustrati, monere ac facere debebimus? Sed Deus velit, ne qui bonis moribus suos discipulos informare debent, ijdem vel sermonibus, vel genere vitæ eos corrumpant, & inficiant; dum de rebus inutilibus & minus honestis cum eis loquuntur: dum domi varia ludorum & librorum impudicorum genera parata habent: dum ad voluptates perfruendas eos prouocant: dum a locis vbi pietas docetur, & a melioribus præceptoribus eos auocant: dum eos discipulos minoris faciunt, & tanquã inurbanos fugiendos docent, qui vt cum studijs pietatem coniungant, se a cęteris minus honestis iuuenibus seiungunt: non animaduertentes id esse verissimum, quod aliquando M. Tullius de philosophiæ studijs colendis dixit, Ei qui philosophari velit, & congruenter naturæ sit victurus, proficiscendum esse ab omni mundo, & ab eius procuratione. Lib. 3. de fin.

Decima & vltima, caueat, ne vnquam apud se retineat, aut legat eos libros, quorum lectio est ab ecclesia prohibita; in quo a quibusdam peccari solet: neque, vt aliqui faciunt, hoc ecclesiasticum decretum improbet, cum etiam humanæ resp. cum ratione administratæ id fecerint. Vnde cum Abderites Protagoras, in principio libri sui posuisset, De dijs, neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere, Atheniensium iussu vrbe atque agro exterminatus fuit, & eius libri in concione combusti. Et quod huc facit, monerem etiam, vt Philosophorum in rebus ad religionem pertinentibus nota haberet errata, quæ nos infra recensebimus. Cic. lib. 1. d̃ nat. deor.

Tradun-

Traduntur nonnulla præcepta pro discipulis, Philosophiæ cursum conficere volentibus.
Cap. IIII.



N eum finem præcipue ad bonas artes comparatæ sunt Institutiones, vt qui ad eas accedunt maiores in eis faciant progressus. Quare, si pro Philosophiæ magistris aliquæ admonitiones dari debuerunt, multo magis Tironibus, aliqua præcepta danda sunt: ne si temere & sine vlla institutione, penitus ignorantes ad hoc studium accesserint, operam & tempus perdant, & eo non perueniant, quo omnes suos conatus dirigere debent; vt scilicet; veritatis notitiam consequantur, & honestis vitę rationibus se similes Deo reddant. Et quamuis integro libro de re proposita scribi a nobis posset; tamen, ne institutionis terminos transiliamus, intra vnius capitis cancellos nostra versabitur præceptio. Is igitur, qui prudenter & vtiliter philosophari volet, has, quas subijciam admonitiones seruet.

PRIMA, ad philosophiæ studium accessurus, antequã rẽ aggrediatur,, suũ non modo suo, sed etiã aliorũ iudicio exploret ingeniũ, vt videat an ad hæc studia sit accõmodatum, ne quicquam inuicta, vt dicitur, Minerua, velit efficere. Quale autem esse debeat philosophicum ingenium, ex Platonis discimus doctrina, acutum nimirum, veritatis amantissimum, ad res facile percipiendas aptum, in primisque liberum. Quare, cũ de ijs ageret, quibus communicandæ sunt disciplinæ, has dotes disciplinam requirere docuit. Acumen, facilitatemque ingenij, & laborum tollerantiam. Quærendus itaque est, inquit Plato, vir memoria valens, integerrimus, tollerantissimus. Nam quem alium censes libenter labores corporis subiturum, tanque arduũ doctrinæ meditationisque studium ad finẽ vsque prosequuntur?

Dial. 7. de rep.

sequuntur? Neminem, inquit, prorsus, nisi qui optima natura sit præditus. Cum ergo Philosophiæ bonũ sit quid optimum, necesse est, vt ea pars sit optima, in qua recipiendum est.

SECVNDA, cum ingenium ad hæc studia nõ ineptum se habere viderit, bonum sibi præceptoré quærat, quem non minus cum bene agentem viderit, admiretur, quam cum docentem audiuerit, cum idem & doctrinæ, & morũ debeat esse magister; in quo passim a multis grauiter peccatur, ac proinde quam longissime a vera philosophandi ratione receditur, dum non attingitur finis, vita nimirum beata, cuius parens censetur philosophia. Huc facit hæc pulcherrima M. Tullij sententia, Etenim quæ pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quæris, omnium optimum. Quid est autem in homine, sagaci a bona mente melius? Eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus. Bonum autem mentis est virtus: ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Quare, qui magistros parum bonos, aut etiam moribus corruptos sibi eligunt, nõ secus agunt, ac si quis valetudinis recuperãdæ caussa ad medicum contagio infectũ accederet. Sene.

TERTIA, cum bonũ nactus fuerit præceptoré, eum vt parentem colat, eique fidem habeat: ita tamé, vt nunquam in eius verba iurare, velit, & id solum defendere, aut credere, quod ab ipso didicerit, ita vt eius auctoritatem pro ratione sibi habendam putet: Quia hæc discendi ratio, non probatur omnibus; immo a Cicerone plane vituperatur; vt ex his eius uerbis constat, Quin etiam obest plurimum ijs qui discere volũt auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinũt enim iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant fuerit iudicatum. Tantum apud eos (de Pythagoricis loquitur) opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Huc etiam facit id quod Plato docet, penes philosophum esse auctoritatem iudicandi: iudicium autem, vt idem ait, faciendũ

Ioa. Bap. Mant.

Lib. 1. de nat. deor.

Dial. 9. de rep.

est per rõnes, quæ sunt ṗcipua philosophi instrumẽta.

Qvarta, etsi vitia omnia fugienda sunt ab eo, qui ad philosophiæ studium se conferre vult, quia vt diuinæ literæ docent, in animam maleuolam non intrabit sapientia: tamen hæc præcipue, venter, venus, otiũ, immodestia, & loquacitas; quæ fere omnia Lyricus poeta his carminibus est complexus.

Sap. 1.

Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit.

Abstinuit Venere & Bacco, extimuitq; magistrũ.

Qvod attinet ad otium laborisque timorem, ob quam caussam pauci in bonarum artium studia incumbũt, & pauci qui sunt, paruos faciunt progressus, Principio ad labores suscipiendos claudus, scribit Platoesse non debet quisquis est philosophiæ sacris initiandus, vt partim eos adeat, partim recuset. Contingit autem hoc quoties aliquis gymnasijs, & venationi, & reliquis corporis exercitationibus deditus, disciplinarũ studium refugit, neque audiendo delectatur, nec inquirendo, sed omnem hanc odit curam. Claudus pręterea & ille est, qui exercitationibus animi delectatus, contemnit alias. In summa, vt est apud Iobum, sapientia non inuenitur in terra suauiter dormientium. Sed hi non viderunt, vt ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagãdum canem, sic hominem ad duas res, vt ait Aristoteles, intelligendum, & agendum esse natum, quasi mortalem Deum: contraque, vt tardam aliquam & languidã pecudem ad pastum, & ad procreandi voluptatem hoc diuinum animal ortum esse voluerunt: quo nihil mihi, ait Tullius, videtur esse absurdius. Et quem non moueat hæc eiusdem auctoris pulcherrima sententia? Querendi defatigatio turpis est, cum id quod quæritur sit pulcherrimum. Susciperent isti, qui audiendi & legendi laborẽ fugiunt, eos labores, quos Pythagoras, quos Plato, quos Apolonius, quos alij hõmines vere Philosophi susceperunt, q sapientiæ amore incensi, remotissimas terras peragrarunt. Isti, eiusdem rei caussa sibi oculos effoderẽt, vt Democritus fecit?

Dial. 7. de rep.

Cic. 2. de fin.

Lib. 1. de fin.

Isti viginti annos vnum audirent magistrum, vt Aristo teles audiuit: isti, inquam, qui, nec vnum quidem, immo, nec horam vnam patienter audiunt? Isti locum insalubrem, ad Philosophandum eligerent, vt Plato, in quo etiam a nostris laudatur, elegit? Denique, ita omnis natura est negocij amans, vt etiam somnum, nisi requietem corporibus, & medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. Aufert n. sensus, actionemque tollit omnem. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somnijs vsuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Quare, vt quisque optime natus, institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negocijs orbatus, possit paratissimis uesci voluptatibus; & quę ornatissime & copiose apud Tullium, contra otiosos disputantur, qui locus est omnino legendus. Lib. 5. de fin. Tus. 5.

NEQVE timendum est, vt aliqui timent, fore si honestissimum laborem susceperimus, vt breuiore utamur vita. Primum, quia melior censenda est vita hominis vnius diei, quam centum annorum vnius corui, & ut Tullius ait, vnus dies ex Philosophiæ præceptis actus, quā hominis peccantis perpetua uita. Deinde, qs est natura ingenioq; ita peruerso, ut potius vellet in fine vitæ honeste, cum honore, & cum sua aliorumque vtilitate laborando vixisse, quam summis voluptatibus vitam inhonestam transegisse? Huc facit sentétia illa, quam ego sæpe meis discipulis inculcare soleo, quæ sane perpetuo memoriæ hærere deberet, Honesti labor abit, ipsum manet; voluptas volat, eius hæret turpe. Præterea, si quis parce, si caste, vt Philosophum decet, vitam deget, is ob summam delectationem, quæ ex studis capitur, diutius viuet, quam qui se tali oblectamēto otiose viuendo priuabit: cū nihil magis vitam conseruet, quam honesta animi delectatio: quippe spiritus tristis exiccat ossa. Et ne sine exēplis loquamur, uiri docti & in studijs indefessi, longam vitam ultra octoge Muson. apud Gelliū.

simum annũ vixerunt; vt Dionysius, Heracleotas, Diogenes, Democritus, Erastothenes, Xenocrates, Isocrates, q vsq; ad annũ nonagesimũoctauũ nũquã ab institutione cessauit, Porphyrius, & Plato, ut alios multos omittam, qui annum nonagesimumprimum agens, scribendo e vita discessit: & duo summi Oratores, quibus nemo vnquam fortasse magis in studijs laborauit, cum tamen vterque vteretur natura valde infirma, ad senectam peruenerunt, Demosthenes & Tullius, cui Medici consuluerunt, vt a contentione dicendi abstineret, ni uellet, in perpetuam febrim incidere, quibus tantũ abest, ut paruerit; vt etiam relicta patria, maiore studio atque labore in Græcia sub magistros se iterum formã dum dederit: quamuis non sine communi approbatione, iam versatus esset in foro. Et quid mirum? cum iam senex perpetuo oblectaretur cum Musis ? ac proinde diutius vixisset, ni violenta manu eius uitæ tela præcisa fuisset; cum ut ipse aliquando sapienter dixit, nihil sit senectute iucundius studijs iuuentutis stipata. Vt enim corpus nostrum ab adolescentia pergit in senium, ita anima sapiẽtis, pij, probatique iuri a senecta in adolescentiam transmittitur; & dum exterior homo flaccescit, & in dies deficit, interior magis viget, & renouatur, quo diutius in veri honestique meditatione, exercitioque vitam degit. Vt merito Socrates, vt est apud Platonem, dixerit, Tunc sanæ mentis oculũ acute cernere incipere, cũ corporis oculus incipit hebescere. Denique, ne plura de loco amplissimo dicam, mittamus istos otiosos, & laboris impatientes, vna cũ

Prou. 6. Sapiente ad formicam, vt ab ea discant sapientiam, quam eandem viam semper itare, nunquam a loco quo pergit aberrare, grana se ponderosiora gestare, & magno nixu pedibus protrudere, officiose iam fessis succedere, & opem ferre videbit: vt merito sit exemplum nobis, magni formica laboris: quæ argutam longe argutius cicadam elusit, cum ei, vt in fabulis est, respon-

Orig. dit, Aestate quæ cãtaueris, hyeme salta. Deus enim vt

qui-

quidam existimauit, ideo talem industriam & quasi prudentiæ similitudinem formicæ dedit, vt nobis ratione vtentibus, perspicuum esset exemplar: vt formicarum opera contemplantes, ad res gerendas, ipsi quoque aggrederemur; vt vsui necessaria cōpararemus, & parta asseruare disceremus. Ex quibus intelligi licet, quam prudenter Heraclides Lycius de laboris laudibus librum fecerit; quem sic inscripsit, πόνου ἐγκώμιον, laboris laudatio, & Regi Ptolemæo obtulit: qui iocose quidem, sed non satis honeste, π primum tituli elemētum, abrasit, & pro laboris laudatione ὄνου, hoc est asini encomium fecit: quod encomium illud, potius ad asinum, quam ad hominem spectaret. Ita enim (vt quidam scripsit) deliciosum ac molle potentiorum genus, ingenuis etiam laboribus, & industriæ generosæ, laudabilibusque vigilijs illudit, cum fruges consumere nati, tantillum hoc etiam gloriæ, quod per genij fraudationem quærimus, iniquissime inuident. Multa itaque ferat, faciatque puer, diu sudet, & algeat, vt sibi tanquam asinus fortis, quo præclaro titulo, Iacob Isachar filium honestauit, sapientiam sibi comparet, ne sit mēte asinus, vt sunt illi qui laborare nolunt; vt sicuti Isachar laborādo, ei sit Deus merces. Sed hucusque de labore suscipiēdo, otioq. uitādo: nūc de uoluptatibus carnis fugiendis, seu de caste viuendo aliquid dicamus.

Bart. Cassan. par. 12 consid. 48.

Pierius lib. 12. hyer.

Deu. 49

Franc. Geor.

QVOD igitur ad vitam caste degendam attinet, quam sub abstinentia a venere indicauit Flaccus, nolo hic longum facere, cum nemo sit ingenio ita obtuso, atque obscuro, qui non intelligat, nullum esse vitium quod ingenium magis obtundat, mentem magis obscuret, & vt vno verbo dicam, quod studijs magis aduersetur, quam vitium castitati contrarium: cum nihil præclarum nihil sublime nihil purum cogitare possit is, qui mentem ad rem tam abiectam atque contemptam abiecit; & in isto cœno, tanquam sordidissimus, sus sese inuoluit, & ad rem tam fetulētam adhærescit, in eaque computrescit; vt non sine caussa fuisse eius

in diuinis literis Hebræis fuerit interdictus, vt sordidissimi vitij designaretur fuga: cum sus nihil limpidũ, nihil purũ amet, sed sordida & immunda sectetur, & omnia odorata ac munda conculcet: Hinc prouerbium ὗς διὰ ῥόδων, id est, sus per rosas, quas pedibus proterere & conculcare solet. Et cum diuinæ Philosophiæ dogmata atque præcepta, sint veluti margaritæ quædam, quis eas ante istos impuros homines proijciat? id cum diuino prohibitum sit mandato. Huc facit, quod quidam scribunt, in Arabia odoramétorum altrice, nullum suillum genus viuere posse. Et ne istius vitij putore, atque fœtore legentem offendamus, vniuerse de corporis voluptatibus, quas quãtum fieri potest, vt lues & pestes Philosophiæ candidatus vitare debet, cum Tullio dicamus, eas relinquendas esse bestijs; & maximas uirtutes iacere omnes necesse esse, voluptate dominante, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere: qua qui incitatus est, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi potest, cum adeo mentis oculos perstringat, nihil vt videre sinat. Ideo ab antiquis dictum fuit, Musas, quibus cum philosophus versari debet, virgines fuisse, vt indicarent eos qui sapientiæ vacant, caste viuere debere. Hinc Cupido apud Lucianum.

Lucr. — Pier. lib. 8. — Lib. 2. de fin. — De Senec. — In suo Cupid.

Aonides vultu sunt, ó Cytherea pudico;
Vnice & istarum nomina sacra colo.
Et quoniam semper studijs retinentur honestis,
Iuris in has plane, nil meus ignis habet.

OMNIS itaq; corporis voluptas a philosophorum schola abijcienda est; non secus atque Mithecus olim apud Græcos celebratissimus coquus a Spartanis inhonoratus, explosus fuit: vt quæ ipsum corpus destruit, a quo suscipitur, animique ingenitos igniculos extinguit, atque doloris & pœnitentię caussas, quę perpetuo excruciant relinquit. Cum igitur voluptas sit corporis animique inimica, qui diu animo corporeque valere volunt, bellum indicant voluptati, & diu

corpo-

corpore & animo incolumes seruabuntur in vita, vt omnes meliores Philosophi fecere.

QVOD vero ad Bacchi abstinentiam attinet, quibus verbis admonetur puer, vt ventris vitium fugiat, studiorum capitalissimū hostem, qui non modo ingenium hebetat, sed etiam corpus insalubre reddit, uitamque minuit. Ideo Plato cum Syracusanorum uiuendi rationem, quod bis in die saturi fierent, uidisset, eam his uerbs improbauit. Nemo enim omnium qui sub cœlo sunt, si in huiusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, quamuis natura & ingenio excellenti præditus, vnquam tamen prudens euadet. Temperatus esse certe nunquam curabit: eademque erit de cęteris virtutibus ratio. Intelligat Philosophiæ candidatus, id philosophi esse maxime proprium, vt bellum indicat omnibus voluptatibus, animique perturbationibus, atque etiam curis, quæ mentem a studijs reuocare possunt; vt præter alias est illa, quam edacitatis vitium secum affert, indigna quæ suscipiatur ab eo, cuius cibus est virtus, & veritas potus; cuius prata & horti, sunt amœnissimi vtriusque Philosophiæ cāpi, quos dies noctesq; colere dēt, vt eas sibi paret escas, quibus non corpus, sed aĩus alitur. Iō quidam Aegyptiorū Rex supra portā bibliothecę, quā sibi parauerat, hanc posuit epigraphē, Animi pabulū. Atq; adeo vita parca vr̄ esse philosophi propria, vt ēt ipse oĩum voluptatū vindex Epicurus tenuē victū nō modo laudauerit, sed ēt amplexus fuerit & vt qđ doceo facilius persuadeā, ea placet adscribere, quæ eleganter de parca vita memoriæ, hac de re agendo, prodidit M. Tullius. Atque ijs similia ad uictum etiam transferuntur; extenuanturque magnificentia & sumptus epularum, quod paruo cultu natura contenta sit: etenim quis hoc non videt, desiderijs ista condiri omnia? Darius in fuga, cum aquam turbidam, & cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundius: nunquam videlicet sitiens biberat: nec exuriens Tolomæus ederat,

Epist. 7.

Cic. Tus. 5.

cui, cum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socratem ferunt, cum vsque ad vesperum contentius ambularet; quæsitumque esset ex eo, quare id faceret; respondisse, se, quo melius cenaret, obsonare ambulando famem. Quid? victum Lacædemoniorum in phiditijs non ne videmus? vbi cum tyrannus cenauisset Dyonisius, negauit se iure illo nigro, quod cenæ caput erat, delectatum. tum is, qui illa coxerat, minime mirum, inquit, condimenta enim defuerunt quæ tandem inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis, his enim rebus Lacædæmoniorum epulæ condiuntur. Et vt hunc locum concludam.

Herru. Bar.

Venter, pluma Venus laudem fugienda sequenti.

De timore & honore erga Magistrum, atque de modestia in loquendo seruanda, si quis discipulos nostrorum temporum, hac in parte, vellet in officio continere, multa contra deprauatas eorum viuendi rationes ei scribenda essent. Ita enim plerique viuunt, vt si quis hoc tempore iuuenem effrenem, immodestum, & petulantem, designare velit, scholaré designet: & nunc scholæ quædam, non tam honestatis, vt esse deberent, quam immodestiæ sunt officinę, id quod etiam parietes ipsi declarant. Sed, ne quid hac de re grauius dicã, si quod est hac in parte vitij, id emendare vellem, non quid reprehendendũ in discipulis esset, sed quid opus sit factu, breuiter indicabo. Bonus itaque discipulus, sit erga suum præceptorem gratus: eum vt alterum parentem colat, & tanquam suæ naturę perfectorem amet; non secus ac amaret eum, quem se singulis diebus maximis fortunæ bonis locupletanté videret: animaduertatque quam sit a ratione remotum, eum habere velle pro vili & inhonorato, quem sibi in suæ vitæ ducé elegit: eum, inquam, non honorare, quem vt se dignũ honore reddat, in magistrum elegit. Et, qui fient in virtute progressus, vbi sublatus erit institutoris timor & reue-

reuerentia? quam sane auferunt illi, qui coram præceptore multum & intempestiue loquuntur; & quod intollerabilius est, etiã eo docente Id qui faciunt, & qui non faciunt? suum petulantiam palam ostendunt, dum prælegente magistro, pedibus, manibus, voceque rumores edũt, eique tanquam importunæ auiculæ, quasi noctuæ, obstrepunt, eundemque deludunt O immodestiam grauissimis publicisque pœnis puniendam, & ab homine graui nullo modo ferendam. Is erit iocorum & iniuriarum scopus, qui summo honore summaque veneratione afficiendus erat? Coram eo discipulus se immodeste aget, ad cuius præsentiam modestissime se gerere deberet? Dicere ne hic magister posset, vt ille fecit, qui a suis discipulis interrogatus, quid facerent, vt nihil vnquam peccarent, si me, inquit, vobis adesse semper cogitaueritis. Sed vt hic calamum excurrere cupientem, contineam, huius sententiæ Tironem perpetuo meminisse velim, Loqui ignorabit, qui tacere nescit. Cur nunc non tantum habent Præceptores auctoritatis, vt vnius horæ silẽtiũ discipulis indicere queãt, vt olim Pythagoras, qui per biennium indicebat?

Et vt hunc locum concludam, Anacharsis Scythe factum adscribam, quo omnia iam dicta vitia fugienda esse plane expressit. Is apud Solonem conuiuio exceptus, ita dispositus decubuit, vt vna manu pudenda, altera vero os obsignaret, palma ad id appressa, daturus quippe per huiusmodi gestum continentię, atque silentij monimenta. Is toto vitæ tempore continentiam, & vitã a delicijs oĩbus alienã est sequutus; vt merito eius statuis inscriptum fuerit, Γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων, κρατεῖν id est, linguam, ventrem, mẽtulamque compesce. Nam ille ante omnes probus est, qui tribus his egregie sibi temperarit. Sed iam ad alias admonitiones tradendas reuertamur.

QVINCTA, quoniam Tirones inter disputandum spirituum calore commoti, non eam seruant modestiam, quam seruare deberent, præter ea quæ supra

dic

de ratione disputandi diximus, volenti cum laude disserere necessum est, vt personarum, locorum, rerumque de quibus, in quibus, & apud quas disseritur, habere rationem: num personæ sint graues, pertinaces, rudes, doctæ; pro quarum varietate, varie etiam respondendum ac disputandum erit: atque idem de alijs circunstantijs dicas, præsertim de subiecta materia, an sit grauis, an leuis, an dubia, an explorata; & qua occasione, & in quem finem de ea disputetur. Et, vt supra monuimus, semper disputationis finem habeat præ oculis, veritatem nimirum, quam cum inspexerit, ei assurget, & nihil vnquam serio contra eam dicet: quod qui faciet pulcherrimũ Pythagoræ seruabit præceptum, Neminem loqui debere facie ad solem conuersa, idest, contra veritatem.

SEXTA, quod supra de sapientia a Deo precibus petenda diximus, id multo magis a Tironibus seruãdum erit: & ne quibusdam minus religiosis hæc admonitio nimis religiosa videatur, eam Ethnicorum au-

Homer. Iliad. 8.

ctoritate muniemus. Huc pertinet in primis catena illa aurea ab antiquis ficta, quam Deum cœlo demisisse dicebant, & neminem, quantolibet nixu, ea apprehensa, eum in terram trahere posse; ipsum uero cuncta eadem catena sursum attollere: qua catena, non nulli rerum cognitionem designari volunt. Nam, & si philosophiæ studia sint quasi gradus quidam ad cœlestium rerum cognitionem: tamen, si quis per eos creatoris naturam indagare velit, id nullo ingenij acumine diligentiaque assequetur, hoc enim esset Deum de cœlo detrahere, & humano ingenio subijcere. At si cuipiam Deus sui cogntionem dederit, is totus ei coniunctus, facillime cœlestia assequetur. Quare non solũ ex philosophorum libris sapientia colligenda, & propria industria comparanda, sed etiam præcibus a Deo petenda erit. Deinde, huius admonitionis, ut alia omittam, grauissimum extat Iulij Cęsaris exemplum, qui media nocte, vt quidam referunt, surgere solebat Mer-

Cœl. Aug. apud Pie. lib. 60.

Amiar.

curium

curium supplicaturus, vt suæ mẽti lumina præferret. Quod si homo ethnicus fictum sapientiæ Deum, ut sapientiam sibi communicaret, orabat, cur vir Christianus verum Deum, ipsamque veram sapientiam non orabit? ut suo lumine suam illustret mentem, vt ad eius, & ad rerum a se creatarum notitiam sibi peruenire liceat. Nam, sicuti sol sine sole non cernitur, ita Dei notitia absque eius lumine haberi non potest. Propterea diuus Iacobus monebat, vt a Deo luminũ parente, apud quem nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, sapientiam peteremus. Id quod magis faciendum esset, si homo in se quasi in quodam domicilio, Deum tanquam intellectum agentem, vt aliqui uoluere, haberet, vnde Manilius, Cap. 1.

Quis dubitet post hæc hominem coniungere cœlo?
Eximiam natura dedit, linguamque capaxq;
Ingenium, voluciemq; animam, quem deniq; in vnũ
Descendit Deus, atque habitat, ipsumque requirit.

Et vt hunc locum cum M Tullio concludam. Nemo uir magnus sine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. Lib. 2. de nat. Deorum.

Septima, qui in sapientię studio proficere voluerit, is rationem studendi teneat, vt suo tempore, loco, modoque in studia incumbat; de quibus rebus noluimus in præsentia accuratius scribere, ut alibi fecimus: solum illud de tempore adnotauerim, Omnia tempora debere esse accommodata studijs, locaque omnia: Quia, si philosophi est beatam vitam agere, profecto, quocumq; loco & tempore licebit esse beatum: cum presertim melior philosophandi ratio sit in rerum cogitatione posita: at vbi, & quando cogitare non liceat? Nec tamen negamus quędam certa tempora & loca debere esse ad commentandum fixa, & speciatim tẽpus matutinum, quod Musis amicum esse dicitur: & magis nocturnum, quem diurnum propter silentium: & magis locum remotum a rumoribus, quam locum inquietum, & frequentem. Ideo de studiosis dicitur: Plus olei, quam vini consumpsisse, & lucubrare, & lu- Lib. 4. de caussis eloquẽtiæ.

cubratio-

cubrationes sapere lucernam. Vt merito præceperit Epicarmus, quod scitu dignum quæras, nocte meditãdum, ἐν νυκτὶ γὰρ βȣλὴ τοῖς σοφοῖς γίγνεται. quo loco illud admonuerim, multos in eo peccare, qui ne videãtur negligentes, vel non intelligere, nihil eorum quæ non capiunt, pręceptorem interrogant. At hoc quid aliud est, quam velle esse discipulum, & nolle discere? velle progredi, & nolle ambulare? velle videre, & nolle aperire oculos? & denique esurire, & nolle famem pellere? Quo quid potest cogitari stultius, & ob omni ratione magis dissentaneum? Hanc qui viam tenent, cum postea se nihil proficere videant, facile studia abijciunt, & cum se prius, & magistrum, ac etiã quodammodo Deum ipsum tentauerint, dum quod in se erat facere noluerunt, ab incepto, non sine detrimento & dedecore desistunt; & vt est in prouerbio, Ab asino se executi sinũt: quod in eos dicitur, qui grauia, vel magna, vel difficilia professi, ab incepto turpiter discedunt. In quo prouerbio, quod est apud Platonem, si verba græca spectes, est etiam iocus quidam, siue potius quædam sarcasmi species, cum ἀπ᾽ ὄνȣ, & ἀπὸ νȣ̃ hoc est ab assino, & mente, idem sonare videantur.

Pla. lib. 3. de le.

OCTAVA, ob id multi in sapientiæ curriculo nõ proficiunt, quod ijs præsidijs instructi nõ accedãt, quibus accedere oportebat; litteris nimirum, quarum appellatione ea cõtinetur doctrina, quæ in scholis humanitatis comparatur, latinæ linguæ bona notitia, poeticæ, & historicæ. Multis artibus, ait Lactantius, opus est, vt ad philosophiam accedi possit. Discendæ istæ communes litterę, propter vsum lęgendi: quia in tanta rerum varietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoque non parum operæ dandum est, vt rectam loquendi rationem scias. Id multos annos auferat necesse est. Nec oratoria quidẽ ignoranda est, ut ea quæ didiceris, proferre, ac eloqui possis. Sunt etiam qui aliquam poeticæ notitiam

Cic. 1. dẽ fin.
Lib. 2. c. 25.
Valer.


tiam in eo qui bonus futurus sit philoſophus requirant. De dialectica omnium bonarum artium organo, & veri falſique quaſi diſceptatrice & iudice, ut contra eius contemptorem Epicurum loquitur M. Tullius, nihil attinet dicere, ob cuius ignorationem, neglectumque multi philoſophando turpiſſime lapſi ſunt. Et vt hunc locum concludamus, huc pertinent ea, quæ ſupra hoc libro, capite primo de Platonica purgatione, & de Ariſtotelea pædia diximus. Quare, & corpore & animo bene inſtitutus ac paratus ad tantam perfectionem abſolutionemque excipiendam, qui recte philoſophari volet, accedat: ne ſi ſecus fecerit, fruſtra tempus, operamque perdat. Lib. 2. de fin.

N ONA, quod attinet ad librorum copiam, illud admonuerim, dum quis in ſcholis verſatur, iis ſit contentus libris, qui ſunt neceſſarij, alij omnes a cubiculo remoueantur, niſi is ſit, qui ſe a non neceſſariorum lectione continere poſſit: cum bona philoſophandi ratio non tam in lectione, quam in commentatione & diſputatione ſit ſita; & librorum fiducia, multi minus diligētes in memoria excolenda eſſe ſoleant, qua non exculta, nihil ſcitur: cum tantũ ſciamus, quantum memoriæ mandamus: vt non ſine ratione Thamus Aegyptiorum Rex Theuthi literarum inuentoris induſtriam, ut minus vtilem non approbauerit. Cuius opinionem Pythagoreorum conſuetudine comprobare licet, ac etiam Druidarum, qui nihil literis committendum putarunt. Idem approbauit Plato, Seneca, & aliquando Quinctilianus, qui tamen & ſcribendi uſum, una cum Ariſtotele commẽdauit. Huc accedit, quod Alexander Aphrodiſienſis ſcriptum reliquit, ideo olim fructuoſiſſimam diſſerendi rationem, & dialecticæ uſum fuiſſe ueteribus familiariſſimum, quia nondum extabant literæ. Et, ut ego exiſtimo, ideo antiqui erant doctiores, quia minorem habebant librorum copiam: qđ mihi ſane adiumento fuiſſe, ſæpe dicere ſoleo. Paucioribus ergo Tyro ſit contentus libris: nec calamo parcat,

Pla. epi. 1. ad Diony. Cęſ. lib. 6. đ bel. gal. lib. 2 Lib. 1. Top.

cat, si minus memoria ualet, & quæ audit, aut legit, sci tu digna ea notet, non ut recondat, sed ut relegat, & in memoriæ penu transferat.

Recensentur antiquorum Philosophorum grauiores in re philosophica errores.
Cap. V.



EX ijs quæ ad recte philosophandum cognitu necessaria mihi esse videntur, est notitia errorum in quos nonnulli male philosophando inciderunt. Nam qui eos cognitos habuerit, sine offensionis periculo, in philosophiæ curriculo progredi potuerit. Et, si verum est id quod quidam dixit,

Horat. epist. I.
Est virtus vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse,

Prima quoque sapientiæ pars erit errores vitasse. Quare non erit a nostro instituto alienum, si præcipuos qui in omnibus philosophiæ partibus sparsi fuerunt errores, notauerimus; vt tutior atque liberior ad sapientiam acquirendam reddatur via. Et quia eorum confutatio non est huius loci, ideo nos simplici enumeratione contenti erimus; & ne rem confusam sine ordine tradamus, eos ad quædam certa capita reuocabimus.

Leg. Tul. de nat deo. Auic.
CIRCA Deum eiusque attributa, hi fuerunt errores: Deum non esse; esse corporeum: non esse Trinũ: non præcedere creaturam duratione: attributa in Deo nõ dicere aliquid in re, sed solũ negationẽ & remotionẽ: Deo esse aliqua possibilia, alia impossibilia: Deũ esse infinitæ virtutis duratione, nõ actione: Deũ esse æternum in agendo, & mouendo, sicuti in essendo: Deum esse mobilem: esse necessariam caussam primæ intelligentiæ: esse infinitum virtute, non quia faciat aliquid ex nihilo, sed quia communicat motum infinitum: primam caussam esse caussam omnium rerum remotissi-

manr

mam: Deum non esse ens positiue, sed priuatiue.

Circa Dei operationé & potentiam in agendo & cognoscendo; Deum nihil agere; non posse generare sibi simile, & generationem in Deo non dicere perfectionem, non posse facere alium mundum; nihil de nouo posse producere sine motu, & sine præuia dispositione in materia, vnde tollitur creatio: non posse separare accidens a subiecto, nec efficere vt dimensiones se penetrét: non posse dare immortalitatem & incorruptibilitatem rei mortali & corruptibili; non posse facere aliquem proxime beatum, & non dare felicitaté vni & non alij: non posse facere plures animas numero, nec hominem sine agentibus naturalibus: non potuisse facere primam materiam sine corpore cœlesti: a voluntate antiqua non posse aliquid procedere sine mutatione præcedente: ab vno agente non posse esse multitudinem effectuum: primum principium esse caussam æternorum, solum quia ea conseruat, & quia nisi esset, ea non essent: non esse caussam efficientem nisi respectu eius, quod est in potentia materiæ: non posse mouere cœlum motu recto, quia daretur vacuũ: non posse aliquid aliter mouere, quam mouet, quia in eo non est diuersitas voluntatis: Ab vno principio non posse fieri multitudinem: Deum non posse facere aliquid de nouo: semper agere, aut nunquam, & quod proxime ab ipso fit, necessatio fieri: non esse caussam proximam rerum generabilium, quia sunt affectus noui: non posse aliud a se producere: Esse primam & necessariam caussam primæ intelligentiæ: non esse necessariam caussam motus corporum superiorum: omnes effectus esse necessarios respectu primæ caussæ: facere contraria respectu corporum cœlestium: non posse in effectum caussæ secundæ, sine ipsa: non posse multiplicare indiuidua sub una specie sine materia: esse caussã remotissimam omnium entium: non posse facere plures intelligentias eiusdem speciei, quia carent materia; non posse facere plures animas, & eas creare, corpora

vero

vero fieri ab Angelis: Non cognoſcere alia a ſe:non curare inferiora,quæ hic fiunt,non reuocari ad prouidẽtiam diuinam,ignorare particularia, in propria forma; & ſolum cognoſcere in vniuerſali,non permittere mala,vt inde colligat bona,ſed euenire ex neceſsitate materiæ,non cognoſcere futura contingentia, aliqua caſu euenire reſpectu primo cauſſæ , non poſſe immediate cognoſcere contingentiã, niſi per aliquam cauſſam particularem .

De Intelligentijs, hi potiſſimum extiterunt errores: intelligentias eſſe æternas ſuo principio: intelligentias ſuperiores creare animas rationales ſine motu cœli inferiores vero animam vegetatiuam, & ſenſitiuam cum motu cœli, intelligentias nullibi eſſe: non mutari in opere, ſeu appetitu , & non eſſe in potentia ad aliquam mutationem : non habere cauſſam efficientem,ſed conſeruantem,vnde non ſunt factæ de nouo:intelligentiam quæ cœlos mouet, influere in animam rationalem,vt cœlum in corpus:nihil intelligere de nouo, habere omne bonum poſſibile,& nihil deſiderare,quo careât:in eis idem eſſe eſſentiam & exiſtentiam : ſuperiores non eſſe cauſſas alicuius nouitatis in inferioribus:ſuperiores eſſe cauſam æternæ cognitionis inferiorum: inferiores accipere eſſe a ſuprema, quæ eſt proxime a Deo:earum ſcientiã eſſe idem quod eſſentia:eſſe actu infinitas,quia immateriales:intelligentias,cum ſint plenæ formarum,eas imprimere in materiam per cœlos,ut per inſtrumenta:eſſe alicubi per operationem, & non poſſe moueri a loco in locum per medium niſi quia volunt eſſe in medio, vel in loco , & nunquam eſſe ſecundum ſubſtantiam: Tot eſſe numero intelligẽtias, quot ſunt cœlorum orbes,vnde alij 20.alij 40.alij 50.ponunt , animas cœleſtes produci ab intelligentijs,& vnam intelligẽtiam ab alia:eaſdem producere corpore cœleſtia, & animas rationales,eaſque gubernare,& beare,omnes formas produci a datore formarum,id eſt,ab ultima intelligentia,

in intelli-

in intelligentijs nihil mali esse posse, vltimam præesse omnibus rebus inferioribus, & ab eadem procedere totam nostram perfectionem, & scientiam, & in eius cognitione consistere nostram beatitudinem: non infundere scientiam per insomnia, nisi mediante corpore cęlesti, quod etiam de Deo dicitur: in eodem instanti posse esse vbique, si velint. Diabolum nunquam habuisse, cur potuerit stare, & angelum malũ semper fuisse malum ab instanti creationis.

De cœlo & mundo; mundum non incepisse: fuisse quoddam mobile ab æterno, & motum, ac tempus. cœlum non fuisse factum, sed esse ab æterno, vnde generatio nunquam cœpit, nec desinet: cœlum esse quoddam animal obediens Deo, eius motum effici ab eius anima, & esse animatum anima rationali: corpora cœlestia esse producta ab animabus corporum cœlestium, ex cœlo, & eius anima fieri vnum per se. corpora cœlestia & eorum dispositiones, in quibus aliquid incipitur habere dominium in illud opus etiãsi sit voluntariũ, a principio vsque in finem: mundum nunquam innouãdum: omnia quæ hic aguntur subesse necessitati corporum cœlestium. Plures esse motores primi cœli: orbes esse caussam voluntatis medici, vt sanet: redeuntibus corporibus cœlestibus ad idem pũctum, spatio 36. millium annorum, redibunt ijdem effectus. Nihil esset nouum, nisi cœlum esset variatum respectu materiæ generabilium: non posse solui rationes philosophi de æternitate mundi: duo esse principia æterna, corpus cęli, & eius animam: cęli motum nunquam cessaturum, quia inferiorum generatio est eius finis, & si cessaret a motu, cessaret ab esse. Vniuersum non posse deficere, quia primum mouens in æternum debet transmutare materiam: Naturalem philosophũ debere negare mundi nouitatem, quia nititur rationibus naturalibus, & rationes quibus probatur æternitas non esse sophisticas: creationem non esse possibilem: non esse verum aliquid fieri ex nihilo, cęlum moueri a sua anima, & ab

Arist. li. de cœl. & gene.

appetitu sensitiuo, cœlos esse instrumenta intelligentiarum, quæ sunt eorum animæ, a cœlis posse produci hominem, & esse caussas omnium formarum: Diuersis cœlorum signis significari hominum conditiones, & mutationes intentionum; ab illis pendere actus humanos, & vitam hominum. Ex cœlorum dispositione pendere omnia futura, & ita si quis eorum dispositiones nosceret, omnia præterita & futura sciret: & omnia necessario euenire.

De anima humana, & homine, eiusque potentijs. Animam simul cum corpore mori, mentem esse Deũ lucidum, animam esse Deum commorantem in omnibus, non totam animam esse æternam, sed eius particulam maiorem, aliam temporalem: animã nihil aliud esse, quam corpus, ex anima & corpore non fieri vnum per se, nisi, vt ex motore cœli & cœlo: animas produci ab vltima intelligentia, animam per imaginationem posse agere in alieno corpore, vt in proprio, hinc fascinatio: animæ pœnam esse separationem a prima intelligentia, & ita non sentit nisi pœnam damni, animam coniunctam cum corpore dolere ob separationem ab vltima intelligentia; non fuisse primum hominem, nec fore vltimum, animam separatam non pati ab igne corporeo, intellectum non esse formam corporis, sicuti nec nauta nauis, & ex sensitiuo, & intellectiuo nõ fieri vnum per se, vnum esse intellectum in omnibus: intellectum humanum esse æternum, animam nullo modo esse mobilem secundum locum, animam & intellectũ non posse produci nisi mediante corpore, formam extrinsecus aduenientem non facere vnum cum materia, animam separatam non esse alterabilem, intellectũ possibilem, non esse vnitum nobis secundum substantiam, nihil sciri ab intellectu post separationem, intellectum esse totaliter abstractum, intellectum agentem esse quandam substantiam separatam a corpore, intellectum speculatiuum simpliciter esse æternum, & corrumpi respectu huius hominis, corruptis eius phantas

matibus, intellectum possibilem nihil esse actu, antequam intelligat, intellectum, sua natura, posse peruenire ad cognitionem essentiæ primæ causæ; quod est falsum, si intelligatur de cognitione immediata: animã educi de potentia materię, non aduenire extrinsecus, hominem per nutritionem posse fieri alium numeraliter, hominem esse hominem per solam animam rationalem, hominis generationem esse circularem, & redire pluries ad easdem materiæ partes, & post certa annorum spatia ad diuersa corpora, animam tandiu esse in corpore, quãdiu est mensura ex decreto naturæ.

De hominis cognitione, libertate, virtutibus, & statu. Peccata esse æqualia: peccatum nefandum contra naturam, esse contra naturam speciei, sed non indiuidui: simplicem fornicationem non esse peccatum: posse facere peccata, esse dignitatem in caussis superioribus: continentiam non esse virtutem, similiter nec humilitatem: castitatem non esse maius bonum, quam perfecta abstinentia: voluptatem corporis esse summũ bonum: felicitatem haberi in hac vita: virtutibus naturalibus hominem esse proxime aptum ad felicitatem ęternam: bonum quod homini contingit, consistere in virtutibus intellectualibus: hominem post mortem amittere omne bonum: non posse idem corpus numero redire: resurrectionem non dari, & philosopho non esse credendam: non dari excellentiorem gradum, quã vacare philosophiæ: peccari solum passione, non voluntate, & potentijs superioribus, voluntatem necessario sequi id, quod ratio proponit, & hoc ex natura voluntatis, & ita sequitur rationem, vt animal brutum sequitur appetitum: voluntaté esse subiectam potestati corporum cœlestium: nullum dari agens ad vtrumlibet, conclusione facta de re aliqua facienda, voluntatem nõ manere liberam, & determinari ab appetibili, vt materia ab agente, cessantibus impedimentis, voluntatem manente passione & scientia, non posse agere contra, Magistri & discipuli scientiam esse vnam, animam co- Stoic.

gnoſcendo ſe, cognoſcere omnia, quia habet ſpecies omnium rerum innatas; de Deo, non poſse cognoſcere niſi eſse; animæ ſcientiam eſse æternam; quia intellectus agens & poſsibilis ſunt æterni, in hac vita nos poſſe cognoſcere Deum per eſsentiam, humanas actiones non regi a prouidentia diuina; liberum arbitrium eſse potentiam paſſiuam, non actiuam; hominem intelligere, eſse propoſitionem falſam & impropriam, multas veritates fuiſse ab ęterno, quę non ſunt ipſe Deus, nec animas glorificatas, nec corpora glorioſa fore in cœlo empyreo cum Angelis, ſed in cœlo aqueo. Sacrificia oblata Deo nihil prodeſse, ſed habere naturaliter vim, ſi ſecundum illa aliquod opus incipiatur, characteres habere vim naturalem circa effectus, ad quos ordinantur, Deum per preces & ſacrificia non poſse placari, Prophetiam eſse in nobis naturalem; orationes & præces ad aliquod bonum conſequendum, vel malum fugiendũ, ex ſe habere vim naturalem ad effectum producendum, vnde continentur ſub ordine naturæ, noſtram beatitudinem conſiſtere in cognitione vltimæ intelligentię.

Auic. Auic. Algaz.

De quibuſdam priuatis erroribus circa philoſophiam naturalem. Res generari ex congregatione atomorum, & ex earundem diſſolutione corrumpi; potentiam producendi non poſse eſse in ſolo agente, & a nullo agente poſse produci contraria, in omni factione ſupponi materiam; omnes formas fieri ab intelligentia datrice formarum, quot ſunt compoſita, tot eſse principia prima, materiam & formam non differre ſecundum eſsentiam, entia declinare ab ordine cauſę primæ, nõ ab ordine ad reliquas cauſsas agẽtes in vniuerſo, formam non poſse fieri niſi ab agente ex materia, cauſsam ſecundam habere aliquam actionem, quã non accipit a prima, in cauſſis efficientibus, ceſsante prima, non ceſsare ſecundam, modo agat ſecundum materiam ſuam agentia inferiora, & elementa nihil agere, ſed omnia fieri a cœleſti harmonia, effectus omniũ

Demo. Auer. Auic.

cauſsarum

causſarum mundi pertingere ad quodlibet indiuiduũ, ex quacunque re plene cognita, poſse totius mundi haberi notitiam tanquam per ſpeculum totius harmoniȩ cœleſtis. Elementa eſse æterna, ſed facta de nouo ſecundum diſpoſitionem, quam habent, vel ex chao, æuum & tempus nihil eſse in re, naturam in cœlis eſse intelligentiam mouentem, formas non diuidi ad diuiſionem materiæ, formam materialem non poſse creari, nihil fieri caſu, ſed omnia ex neceſſitate, ex diuerſitate locorum ſequi neceſſitates euentuum, accidens non poſse ſeparari a ſubiecto, quia implicat contradictionem, & ſi ſepararetur eſset æquiuoce accidens. Alchi.

ATQVE hi ſunt præcipui errores, quos qui ſecure philoſophari voluerit, vitare debebit. Nec me præterit fuiſſe quoſdam alios, quos vel imperita multitudo, vel hæretici de rebus diuinis, & humanis habuere, vt de deorum multitudine, de duobus ſummis principijs bono, & malo, & nonnullos alios; ſed nos eos ſpeciatim numerauimus, quos ethnici philoſophi introduxerunt, præſertim Auenroes, Auicenna, Algazeles, Alchindus, Auicembron, Rabbi Moſes, & quidam alij, Direct. quos apud quoſdam ſcriptores notatos inueni. Ad cau Inq. te legendos antiquos & profanos Philoſophos, & ſpe F.Geor. ciatim Platonem, proderunt Ioan. Bap. Criſpi diſputationes, & priuatim ad cauendos errores circa animam; circa Deum, atque operationes diuinas, circa Angelos, Dæmones, fatum, fortunam; mundum, cœlum, res politicas, ſummum bonum, & alia, ac etiam libri diui Thomæ Aquinatis contra Gentes, atque aliorum quorundam qui antiquorum Philoſophorum errata ſunt proſequuti.

Quam turpe sit philosophando inhoneste viuere.
Cap. VI.



VONIAM uero nihil est, vt ipse existimo, quod magis, vel magistrum ad philosophiam recte docendam, vel discipulum ad eandem vtiliter facileque discendam, commouere queat, quam si vterque, honeste, atque congruenter rationi vixerit: propterea in hac extrema huiusce nostræ Institutionis parte, quam turpe, quamque ab omni ratione alienum sit sapientiam profiteri, & insipienter viuere, demonstrare uolumus; vt huius rei deformitate inspecta, & verbo & moribus omnes philosophari velint. Ad quem finem consequendum, potuissem quidé de laudibus, atque dignitate philosophiæ longum habere sermonem, vt rei honestate Lectorum animi ad id quod volo allicerentur; sed quoniam homines non minus alicuius rei turpitudine, quam honestate commoueri solent; idcirco, quam turpe sit, male viuendo philosophari, & hoc vitæ genere philosophiam suo honore spoliare, atque alijs inuisam reddere, mihi demóstrandum proposui: vt tanti facinoris magnitudine perspecta, omnes honestissime philosophari velint. Vt omittam, quod ex ijs quę supra varijs in locis dixi, quantus sit decor, quanta laus, quantaque philosophiæ præstantia, satis aperte intelligi a quouis potest; si nomen, si natura, si caussæ, si partes, si officia, si vtilitates, necessitates, voluptatesq; quas secũ affert aliquis inspexerit. Et quamuis in suscepto argumento longe lateq; excurrere posset oratio; tamen, cum non tam dicere, quam monere velim, ideo strictim breuiterq; agam.

QVAM igitur flagitiosum sit, philosophari velle, & parum honeste viuere, etiam ex ipsa uocis notatione cognoscere licet. Nam, si Philasophia sonat sapientiæ studium, & philosophari sapientiæ operam dare,

quis

quis ſapiētiæ cognoſcēdę, aut recte docēdę cupiditate eum teneri putet, qui male viuendo ſummæ inſipientię luculentam ſignificationem præbet? cum nulla maior dari poſſit ſtultitiæ ſignificatio, quam contra rationem viuere, & ſibi non ſapere; vt certe non ſapiunt, qui ſummo philoſophiæ bono, dum male philoſophantur, ſeipſos priuant. Quis philoſophi nomine eum dignum iudicet, qui non veram ſolidamque ſapientiam, ſed inſipientiam, hoc eſt vitam, omni virtutis ſapore, & prudentiæ ſale vacuam viuit? qui verbis laudat, quod factis vituperandum docet: qui moribus deſtruit, quod verbis ædificarat: in quo ſane ſapientius quam iſti, ſe geſſit Epicurus inſipientium omnium inſipiētiſſimus: qui etſi corruptam doctrinam traderet, tamen ſatis honeſte, pro ſua ſecta, viuebat. Neque hic mihi dicant, philoſophiam eſſe veritatis notitiam, quæ intacta manet, etiamſi vita ſit parum honeſta: Nam qui ſolam veritatem quæ mente attingitur in Philoſophia ſpectandam putant, iſti non integram, ſed dimidiatam, non abſolutam, ſed imperfectam ſapientiæ formam vident, eamque alijs ſpectandam exhibent. Humana mens ſcientiæ luce ornata, & virtutum luminibus orbata, eſt veluti mens quædam diabolica, quæ multa videt, & omnia malitioſe agit: veluti teterrimus carcer paruæ luce illuſtratus, & omni fætore refertus: veluti infernus quidam, vbi eſt ignis lumen cum tenebris permiſtum: veluti monſtrum quoddam, vna parte formatum, altera vero informe, vno oculo præditum, altero orbatum, vna manu integra, altera obtruncata, vna tibia recta, altera obtorta; & eo deformius atque aſpectu horribilius, quo ſub fucata veri ſpecie, ſe vt pulchrum conſpiciendum præbet: at, ſi quis iſtud tenue veritatis velamen remoueat, quanta ſit turpitudo eius qui ſine pietate atque honeſtate vitæ philoſophatur, haud obſcure cognoſcet.

CAETERVM iſti altero cæcati oculo abſolutam Philoſophiæ formam, aliaſque eiuſdem imagines, vide-

dere minime potuerunt. Eſt eñ, vt meliores Philòſophi docent, Philoſophia ſimilitudo Dei, cõmentatio mortis, omnium bene dictorum & factorum mater, magiſtra vitæ, & vt alias eius formas omittam, omniũ vitiorum expultrix: quarum formarum nulla iſti philoſophorum generi (de illis loquor Philoſophis, qui ſolum verbis & pallio philoſophantur) cõuenit. Etenim, eſt ne fortaſſe Deo ſimilis ille, qui inhoneſte viuendo ſibi impreſſam diuinitatis imaginem fœdat, & quantũ in ſe eſt, delet? Commentatur is mortem, qui de ventre explendo, qui de amica fruenda, qui de pecunia cõparanda, qui de inani gloria colligenda, qui magis de vita propaganda, quam emendanda cogitat? qui inquã, nihil ſublime, nihil diuinum, nihil homine dignum meditatur? Pariet ille honeſte facta, qui ſolis dictis delectatur? ſe uitæ alienæ magiſtrum præbebit, qui inhoneſtæ vitæ exemplum præbet? expellet ille vitia, qui ſe vitijs explet, & vt alios expleat (facinus) verbo, & factis curat? cum eos diſcipulos corrumpat, quos integros acceperat. Abeant igitur a perfectorum Philoſophorum choro, iſti inchoati, imperfecti, ſemipleni, & dimidiati Philoſophi, ueri tamen, & abſoluti, perfectique Sophiſtæ; quorum teterrimam formam, & deprauatas viuendi rationes ſupra ob oculos poſuimus, & quanta ſint vituperatione digni docuimus. Neq; etiã totum Philoſophiæ regnum vniuerſamque ei ſubiectã materiam videre potuerunt: Siquidẽ nõ ſolum rerum naturæ, ſed ẽt hoĩum mores, non ſolum aliorum vita,
Apud ſed etiam ſua, eſt ſubiecta Philoſophiæ materia, & vt
Aria. li. aiebat Epictetus, *ὁ βίος αὐτοῦ ἑκάστου*. Quare ſapienter
1.c.15. dicebat Democritus, optimam doctrinam eſſe, naturæ
Theod. per quam ſimilem fieri: hac traſformari animam, &
lib.4. in melius dirigi, notaſque illas quas natura nobis inſe-
li.10. in uit, quaſi vetuſtate abditas, renouari. Nõ magnum eſt
Io.c.9. virtutem cognoſcere, diuus aiebat Cyrillus, ſed ſtudio
Theoph. ſe agere, certe id magnum eſt. Si verbum nomini in
Alex. grammatica coniugamus, aiebat alius, perfectus ſenſus

efficitur:

efficitur: quod ſane non faciunt, qui philoſophando ſola nominum notitia, reiecta actione, delectantur: quibus illud Epicteteum conuenit, vt vocari poſſint Philoſophi, μέχρὶ τοῦ λέγειν ἄνευ τοῦ πράττειν, hoc eſt, vt verbum verbo reddatur, vſque dicere, ſine facere. Maiorem itaque, & meliorem ſapientiæ partem abſcindunt, & altera ſui regni portione Philoſophiam priuant, qui ſola cogitatione, non honeſtis actionibus eam contineri putant; nec tanti facinoris ſe reos cognoſcunt, cum omnium bonorum parentem a ſua poſſeſſione depellant. Hi Philoſophiæ ſtudioſi, qui Philoſophiam factis euertunt? Hi Philoſophiæ amatores, qui eius dominium minuunt? Hi Philoſophiæ defenſores, qui Philoſophiam lacerant, & vt e ſuo, ita ex aliorum animis, corrupte viuendo, eam eijcere contendunt? Pro ſcelus? Et quod rei atrocitatem auget, hi ſæpe in Gymnaſijs florent, hi audiuntur, hi laudantur, hi ampliſſima ſtipendia conſequuntur: hi qui fucatis quibuſdam lectionibus ſibi imprudentes iuuenes conciliant, vt poſtea a pietate, & a melioribus magiſtris reuocent: hi qui potius philoſophorum erratis, quam veritate chriſtiana auditorum animos imbuere ſtudét. Hos, quos tanquam maleficas ſyrenas obturatis auribus fugere deberent, iuuenes ſtudioſe ſequentur? Hos pro magiſtris habebunt ſapientiæ, quos inſipienter viuere cernunt? Hos ſibi integra iuuentus magiſtros eliget, qui ſermonibus parum pudicis, & vitæ rationibus parum chriſtianis, ſuos ſectatores corrumpunt? Qui cum non animaduertant vnde tantum diuinæ Philoſophiæ bonum hominibus acceſſerit, a Deo nimirum ipſo, ut etiam profani Philoſophi, minore lumine illuſtrati, dixere, eo, ad ignominiam eius qui donauit, abutentur, eodemque offendent eum, a quo acceperunt: quod ſane omnes faciunt, qui nõ ex Philoſophiæ præceptis, contra inſitas rationis notiones viuunt; ſi illi viuere dici poſſunt, in quibus nullus eſt virtutis ſenſus, nulla honeſta uitæ operatio, & rationis motus nullus: Illi, inquam,

inquam, qui diuina gratia orbati, vere in mortuorum numero ponendi sunt. Quod si reprehensione & pœna digni censentur, & perpetua infamia notantur, qui sacras literas contaminant, & diuina mandata transgrediuntur, cur non etiam ęterna infamia digni erunt qui diuinam philosophiam praue viuendo corrumpunt? Ethnici philosopihæ studium vt diuinum coluerint, Chistiani homines inter Christianos male viuendo deprauabunt? Ethnici integris operibus philosophiam commendauerint, & pro magistra vitæ habuerint, Christiani vero homines eandem suis deprauatæ vitæ rationibus odiosam reddent, atque contemnent? Cicero dixerit, vnum diem bene & ex præceptis philosophię actum, peccanti immortalitati anteponendum esse, nostri vero philosophi, sed quid philosophos appello? peccantis mortem, immortalitati honeste viuentis preferendam re ipsa existimabunt? Dixerit olim quidam, & alij dictum approbauerint, Ab Ioue Philosophos & Reges esse; at quis de malis philosophis id vere dictum putet? Quod si non sunt ab Ioue, vnde sint, ipsi videant. Quis igitur ta nta ignorantiæ caligine inuolutus est, qui non videat quantum sit scelus, donum cœlitus ad nostram vtilitatem, sumique parentis gloriam donatum, in suam aliorumque perniciem, & in dantis ignominiam conuertere? Quis ita mente captus, vt non intelligat quanto se paricidio inquinet, qui vitæ parentem corrumpit? Quis ita ingratus, vt tanti boni auctori, pie honesteque viuendo, gratias non agat?

Tus. 5. | Socr. Pont. lib. de obed.

QVID porro de fine philosophiæ dixerim? quem qui non attingit, is beatitudinem omnium bonorum cumulum contemnit; quo quid stultius, quid horribilius cogitari, aut fingi potest? Quis vnquam ita mentis inops est inuentus, qui miser esse velit? vt sane omnes volunt, qui ex philosophiæ præceptis non viuunt, cum vna sola virtus, sit summum hominis in hac vita bonũ, cætera omnia, Nugæ. Qui ita philosophantur, mentem

suam

suam vacuam, sterilem, deformem, stultam, atque contumeliosam Deo reddunt: vanam, quia eam priuant diuina laude, qui est præcipuus Philosophiæ fructus: sterilem, quia ei subtrahunt fructum remunerationis æternæ: deformem, quia ei pręcipuam partem adimũt, & talẽ reddunt, qualem quis redderet pauonem, si ei caudam abscinderet, in qua eius præcipua pulchritudo est collocata: stultam, dum male philosophando magis stulti, quam sapientes efficiuntur: iniuriosam, dum creatoris gloriam, quam per philosophiæ notitiam ei reddere deberent, sibi iniquissime tribuunt, & se aliquid esse stultissime arbitrantur. Atque, hi demum sunt philosophi illi quos diuus Paulus in suis cogitationibus euanuisse dixit: qua sententia nulla grauior, nulla seuerior in hominem qui sapientiam profitetur, pronuntiari potest? Qui, cum veritatem, & Deum ipsum qui veritas est cognouissent, non vt debebant, eum coluerunt, ac proinde eorum cogitationes vanæ fuerunt. Quandoquidem illi proprie vani nuncupantur, qui apposite ad finem consequendum non agunt; vt sane omnes illi faciunt, qui rationi congruenter non viuunt. Quid tibi prodest, dic obsecro, o philosophe, in scholis, domive rerum naturas inuestigare, cœlorum magnitudinem metiri, virtutis vim perpendere, eiusdem vtilitates assignare, eandem sequendam esse verbis docere, & in summa, veritatis lumen alijs præferre; si postea turpiter viuendo, tuam, aut potius omniũ rerum naturam peruertis, tuarum actionum mensurã non seruas, virtutem pro nihilo ducis, eiusdem emolumenta respuis, genere vitæ fugiendam doces, & in peccatorum tenebris versaris. Caue miser, quia sic viuendo, non philosophum agis, sed Sophistam, non philosophiæ studes, sed pseudophilosophiam profiteris. Si istud esset philosophari, etiam nefarij omnes in philosophorum numero ponendi essent. Sed vt admonitio maiorem habeat auctoritatem, grauissimum Poetam hunc in modum canentem introducamus.

Rom. 1.

Pers. sat. 3.

Discite nunc miseri, & caussas cognoscite rerum.
Quid sumus, aut quid victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & unde.
Quis modus argento, quid optare, quid asper
Vtile numus habet, patriæ carisq; propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus, es in re.

At quid de officio dicemus? quod, vt docuimus, est se, & alios recte instituere, seque morum magistrum cæteris præbere. Nam, si verum est, vt certe quidē est, magis & melius homines doceri re & exemplo, quam verbis; quam pessime suo fungetur munere philosophus ille, qui male viuit? qui re impugnat, quod verbis docuerat? quis affirmanti venenum esse perniciosum credat, si eum venenum sumentem viderit? quis fidem habeat dicenti mel esse prædulce, si eo reiecto, absynthio se nutrit? quis eo non pergat, quò qui lumen se præferre ait, ire conspiciet? Neque hic mihi aliquis dicat, non quod fecerint, sed quod docuerint, esse faciendum; quia vt eos eorum magister docuit, Vulgus non distinguit. Et cum alijs medicamentum præbere volent, cur, si ipsi quoque erunt morbo infecti, non timebunt, ne sibi dicatur, Medice cura te ipsum; eijce prius trabem ex oculo tuo: atque etiam hoc, Tu qui cæcus es, te cœcis ducem præbes? tu qui inhoneste viuendo passim impingis, & corruis alios illæsos duces? Sed vt grauior sit admonitio, ethnicū philosophū eos quorum cū vita pugnat oratio, redarguentem audiamus. Quod, inquit Cicero, mihi uidetur esse turpissimum. Vt enim si grammaticum se professus quispiā barbare loquatur; aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: sic philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, deliquit in vita. Aperiant hic aures qui philosophię artem corrumpunt, ad hanc grauissimam hominis solo

Arist. li. 10. ethi. c. 2.

natu-

naturæ lumine illustrati sententiam, & eos pudeat, seque emendent, & officium illud quod in alios se exercere profitentur, in seipsos exerceant prius. Sed vt aliquem ex nostris etiam audiamus, sanctus quidam Pater hanc sententiam huc pertinentem litteris cõsignatam reliquit, Nihil esse calamitosius ea mente, quę de Deo extra Deum philosophatur, quod certe faciũt ij, qui philosophando Deum non colunt, non venerãtur; quem finem philosophiæ assignarunt, qui melius philosohati sunt; vt is certe assignauit, quisquis fuerit, qui tale pręceptum dedit. Diadoc.

Auctor Caton.

Si Deus est animus, nobis, ut carmina dicunt,
Hic tibi pracipue sit pura mente colendus,

Iure itaque optimo, vir grauissimus, & eloquentissimus Firmianus, contra Philosophum, qui Deum non colit, dixit, Omnem doctrinam, quæ sine Deo est, esse veluti corpus sine capite. Hæc, inquit, res efficit, vt philosophi, etiamsi natura sint boni, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina, & omnis virtus eorum sine capite est, quia Deum nesciunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput: quem qui nõ agnoscit, licet videat, cęcus est: licet audiat, surdus: licet loquatur, elinguis est. Cum vero conditorem rerum, parentemque cognouerit, tũc & videbit, & audiet, & loquetur. Habere enim caput cœpit, in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est oculi, aures, & lingua. Nam profecto is videt, qui veritatem in qua Deus est, vel Deum in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: is audit, qui diuinas uoces, ac præcepta vitalia pectori suo affigit: is loquitur, qui cęlestia differens, virtutem ac maiestatem Dei singularis enarrat. Quare, non est dubium, quin impius sit, q̃squis Deum non agnouerit: omnesque virtutes eius, quas habere, aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiuntur, quæ est tota tenebrarum. Quapropter, nihil est quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes virtutes adeptus est: quia non tantum miser, qui bonis præsentibus careat, sed etiam stultus sit, necesse est, qui la

bores

bores in vita sua maximos suscipiat incassum. Nam, dempta spe immortalitatis, quam Deus pollicetur in sua religione versantibus, cuius assequendæ gratia virtus appetenda est, & quidquid malorum acciderit perferendum, maxima erit profecto vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini calamitates afferunt, & labores. Hucusque Lactantius: cuius sane doctrinam ab ijs diligenter considerari velim, qui sola rerum gloriantur cognitione, & quibusdam ciuilibus moribus adeptis, se absolutos philosophos esse arbitrantur, si id quod cognoscunt ad pietatem, & Dei laudem non referunt; quod qui faciunt, ij tandem viuere, videre, audire, & loqui, ut docte citatus auctor ait, censentur. Ad quod faciendum suo exemplo sapiens nos excitauit, cum ornatissimam & summo artificio contextã orationem in Dei laudem ex intima philosophia de-
Eui. 42. promptam his verbis exorditus est. Memor ero operum Domini, & quæ vidi annuntiabo in sermonibus
Lib. 7. Domini opera eius: cuius orationis artificium nos ali-
de orat. quando accurate explicuimus. Non ergo, ut hunc lo-
diuino. cum cum eodem Lactantio concludam, ideo nascimur, ut ea quę sunt facta uideamus, sed ut ipsum factorem rerum omnium contemplemur idest mente cernamus. Quare, si quis hominem qui uere sapit interroget, cuius rei gratia natus scit; respõdebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generauit, ut ei seruiamus, seruire autem Deo, nihil aliud est, quam bonis operibus tueri, & conseruare iustitiam: quæ nihil aliud est, nisi pietas, pietas autem nihil aliud, quam Dei parentis agnitio. Summum igitur bonum hominis in sola religione est. Quid ergo philosophiæ magister scholam aperit? quid discipulus eam frequentat? quid ille in prælegendo, quid hic in audiendo tot tantosque in cassum sumit labores? dum uterque totius naturæ, & humanæ uitæ notitiam, ad laudem eius qui fecit omnia non refert? Quæsiuit aliquando uir antiquissimus, grauissimus, doctissimus,

idemque ſanctiſſimus Iobus unde,nam ſapientia, quā cunctis rebus præferendam eſse dixit,ueniat,& ubi nā ſit locus eius ,& cum neque in abyſſis,neque in mare eſſe,& omnium oculos latere,& ſolum Deũ eius locum noſcere,dixiſſet,concludendo ab eodem Deo homini manifeſtatam fuiſſe his uerbis docuit . Et dixit homini . Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere a malo intelligentia. At,quidnam eſt Domini timor,niſi reuerentia & cultus ille,ac laus, qua perpetuo ab ęternis mentibus in cœlo,& ab omnibus rebus creatis in hoc mundo celebratur ? in hunc enim finem omnia a ſummo illo huiuſce uniuerſitatis artifice fa- Iob.38.
bricata fuere.Ideo aliquando de rerum molitione loquendo dixit, Cum me laudarent ſimul aſtra mattutina,& iubilarent omnes filij Dei Cœli , ut regius Propheta cecinit,gloriam Dei enarrabunt,magnitudinem operum eius firmamentum indicabit:cęleſtes illi ignes lucem inacceſſibilem in qua eorum opifex habitat, oſtendent : tanta frugum copia qua omnes animantes paſcuntur,eiuſdem munificentiam patefaciet, tot tan- Pſal.
tarumque rerum ordo , & certa uiciſſitudo diuinam 103.
prouidentiam prædicabit , & denique omnia quæ in cœlo,quæ in aere quæ in aquis , quæ in ſuperficie , & uiſceribus terræ ſunt,& fiunt,pruinæ,pluuiæ,piſces,arbores,lapilli,& armenta, res inquam omnes ratione & ſenſu carentes Deum laudabunt, & gloriam eius enuntiabunt,& illi qui iſtarum rerum omnium,numerum , pondus,& menſuram ſe inueſtigare , & noſcere profitentur,elingues erunt , & rebus omnibus diuinas laudes conclamantibus, ipſi ſoli conticeſcunt ? Et honore præfato , tanquam aſini ad liram erunt ? dum a rebus omnibus,quarum uoces nulla eſt natio quæ non intelligat,ad diuinas laudes celebrādas mirifice imitantur . Et hæc eſt prima cauſſa philoſophandi,quam pie,ut ſolet,attulit Gulielmus Pariſienſis , cuius uerba hic adſcribere placet:Qua ſua,inquit,altera eſt honor, & gloria creatoris,qui eſt finis præcipuus , & ultimus totius

ſapien-

ſapientialis, diuinaliſque magiſterij : propter hunc finem enim philoſophantes in rebus huiuſmodi ſoli recte, vereque philoſophantur in illis. Non enim hac de cauſſa ſola inueſtiganda ſunt magnalia & mirabilia creatoris, vt cognoſcantur; quia potius vt ipſum magnificetur & agnoſcatur eſſe Deus, ac dominus ſæculorum, & ſuadeatur per hoc, vel potius ingeratur animabus humanis honorificentia cultus ipſius. Cognitio quippe ſola, & enarratio laudum, atque magnalium ipſius, non ei debetur, nec ſola perficit animas noſtras; ſed veritas, atque ſinceritas vltimæ venerationis eſt ei debita propter eminentiã gloriæ ſuæ, & altitudinis: & animabus etiam noſtris debita eſt ſicuti nobilis perfectio earum; & ipſa etiam eſt humanæ vitæ decus vnicum, & decus eximium. Eſto igitur, Chriſtianus præſertim philoſophus, honeſte viuendo, pieque docendo, veluti quidam bonus concionator, qui diuina attributa in creaturis collucentia laudet ac celebret; & ad idem faciendum ſuos auditores commoueat, vt uir doctrina & pietate inſignis Titelmannus ſuos Lectores commouet, vt pulcherrimum pronuntiatum per eos adimpleatur, Bona Phyſica, facit bonam Ethicam. Ridebunt, hic fortaſſe aliqui, ſed eorum riſus ſtultitiæ & paruæ pietatis ſignificationem dabit. Sit philoſophiæ ſchola in qua de diuinis operibus agitur, earum virtutum magiſtra, quibus Deus colitur. Sit bonorum morum officina eius domus, in qua ea tractatur ars, quę eſt morum magiſtra, & cunctorum benedictorum & factorum mater. Nihil iocoſum, nihil impudicum in eo exaudiatur loco, vbi bonis moribus formanda eſt iuuentus. Hæc ſi fierent, maior eſſet docentium auctoritas, maiorque diſcentium in præceptores reuerentia, & ita vtriq; lõge maiores ſuorũ laborum perciperent vtilitates, nec tam ſæpe inurbane dicta, & immodeſte facta in ſcholis audirentur, & viderentur, vt quibuſdam in locis videntur, & exaudiuntur. Ex qua deprauata philoſophandi ratione, factum eſt, vt Philoſophia, quę vt res quædam

diuina

diuina colenda esset, male audiat, & vt philosophi nomen ingratum quiddam, & odiosum sonet, & vt parum illæ scholæ nunc frequententur, quæ olim erant celeberrimę. Si itaque ex recta philosophandi ratione tam multa vitantur incommoda, & tot proficiscuntur commoda, & quidem multo plura, quam quæ enumerauimus, verus philosophiæ amator, nomen, rationem, regnumque philosophiæ conseruet: donum tam sublime a summo parente datum non contemnat: ad propositum philosophiæ finem omni contentione adspiret: suo illo præclarissimo fungatur munere: diuinum numen ex creatis rebus cognitum perpetuo colat, ne in suis cogitatis euanescat; quo, de homine sapientiam profitenti nihil dici potest absurdius: atq; suæ arti pristinum honorem restituat: quam, vt omnium humanarum & bonarum disciplinarum dignissimam, omni tēpore, apud omnes nationes prudentiores homines coluerunt, quam diuinitus accepimus. Eam dico artem, quæ rerum præstantissimarum notitiam præbet, quæ vtilitates maximas secum affert, quæ mirificis delectationibus animum explet; quæ est omnium virtutum mater, & vitiorum expultrix: quæ nos Deo similes reddit, & felices efficit: quam qui ignorat, se ipsum non cognoscit, qua inscientia nulla est mgis damnosa & maiore vituperatione digna; cum a natura omnes hoīes, velint, nolint ad rerum caussas cognoscendas sint propensi, easque cognoscere vehementer expetant: quam appetitionem qui explere non student, hi cum natura pugnant, sibique sunt inimici Per hanc denique disciplinam ea ab omnibus cognoscuntur, quæ cuique honeste viuere, & æternam felicitatem consequi volenti cognoscenda sunt; vnde veniamus, quid simus, vbi simus, quo, & per quam viam pergamus: ex quarum rerum ignoratione, quidquid est erroris in humana vita committitur, ex earum vero notitia, grauis illa, magnifica, constans, illustris, ac prope diuina fit Sapientis persona. Qui solus, vt vere & sapienter disputat M. Tul-

Lib. 3. de fin. in fine.

lius, rectius dicetur Rex, quam Tarquinius: rectius magister populi, quam Sylla: rectius diues, quam Crassus: rectius eius dicentur omnia qui scit vti solus omnibus: recte etiam pulcher, cum animi lineamenta sint pulchriora, quam corporis: recte solus liber, cum nulli dominationi, & cupiditati pareat: rectius etiam inuictus, cũ eius animo nulla vincula inijci possint. Quod si hi illustrissimi tituli, etiam seiuncti, & singuli ab omnibus tantopere desiderantur, & tot tantisque laboribus quæruntur, & sæpe quidem numero frustra; cur omnes in vna philosophi persona coniuncti, non quærentur? qua persona nemo est, modo velit, qui se induere non queat. In summa, ille doctus, ille clarus, ille nobilis, ille gloriosus, ille sublimis, ille Rex qui Deo seruiens, dedignatur seruire peccatis. Et vt hic cũ M. Tullio concludatur locus, ad tantorum bonorum parentẽ conuersi dicamus, O vitæ Philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrisque vitiorum; quid non modo nos, sed omnino vita hominum, sine te esse potuisset? tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti; tu eos inter se primo domicilijs, deinde coniugijs, tu literarum & vocum communione iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti: ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos nunc totos penitus tradimus. Atque hæc sunt quæ in hac Institutione, in Dei gloriam & philosophari cupientium commoditatem, alijs quibusdam, vt minus necessarijs omissis, scribenda duximus.

Libri quarti finis.

Laus Deo & Beatæ Virgini Annuntiatæ.

CATALOGVS EXPOSITORVM

OMNIVM LIBRORVM vniuersæ Philosophiæ Aristotelis, atq; aliorum Scriptorum de rebus ad eosdem libros pertinentibus.



CVm nemo sit tam perspicaci ingenio præditus, vt non modo in vniuersa artium cyclopedia, sed nec in vno quidẽ genere, etiamsi in eo diu fuerit versatus, omnia quæ ad absolutam illius cognitionem pertinent, se solo plene cognoscere queat; hinc est, vt aliorum inuentis, iudicijsq; & scriptis omnino egeamus. Quorum Scriptorum etsi laudabilis sis selectus, vt meliora potissimum legantur: tamen, cum nullus sit adeo malus scriptor, qui aliquid boni non afferat, ideo omnes legendi sunt, præsertim ab ijs, qui alios vel legendo, vel scribendo docere uolunt. Quæ cum ita sint, ideo nos huic nostræ Introductioni hunc catalogum expositorum in omnes Aristotelis de Philosophia libros, & aliorum scriptorum de rebus ad philosophiam pertinentibus, non sine magno labore, paucorum dierum spatio adijcere curauimus. Ex qua industria, id commoditatis philosophię operam daturi capient, vt sciant, quos auctores sibi comparare possint. Magni namque semper referre, & hinc, bona parte, nostram doctrinam pendere existimaui, scire ubi nam, & a quibus res de qua quęrimus tractetur. Et quamuis, vt libere fateor, hunc laborem non plene confecerim, uel plures afferendo qui afferri

potuissent, vel de ijs quos attuli iudicium ferendo, vel etiam accuratius citando, speciatim docendo quid, a quouis diligentius tractetur, cum id per tempus, & alia impedimenta mihi facere non licuerit nihilominus, id quod præstitimu, non erit inutile, nec fortasse ingratum. & occasionem alijs dedimus, vt aliquid magis absolutum in hoc genere præstent. Quod si incitandis librorum titulis, & argumentis non ita exacti fuimus, ea caussa fuit, quia non omnes quos citauimus ipsi legimus, sed multos ab alijs relatos retulimus. Quare, si qua in parte, peccatum fuerit, is nos excusabit, qui quæ dixi, nouerit. Accusabit autem eorum nemo, qui iuuandi studium animaduertet. Erat etiam in animo adscribendi eos qui de rebus Mathematicis egerunt, sed tempus non permisiit, alias fauente Deo.

SCRIPTO-

SCRIPTORES DE PHILOSOPHIAE VNIVERSE,

De origine, natura, vtilitate, neceſſitate, laudibus, &c.



Drianis Cardinalis de vera Ppiloſophia lib.4.

Antonij Poſſeuini Apparatus Philoſophiæ.

S.Auguſtin. lib.8.de ciu.Dei.

Auguſtini Dathi Senenſ.orationes 7. in laudẽ Philoſ.

Auguſtini Valerij de recta ratione philoſophandi lib. 2.

Eiuſdem præfationes in varias partes Philoſophiæ.

Qua ratione in Ariſtotele verſandum ſit.

Bartholomæi Colonienſis de laudibus Philoſophiæ li. 1.

Boetius Seuerinus in libris de conſolatione Philoſoph.

Cœlius Rodig. variis in locis.

Danielis Hofmani de vſu Philoſophiæ in Theologia.

Euſebius Cæſariẽſis in li. 11. & 12. de præparat. Euang.

Franciſci Piccolominei in prima parte lib. de ſcientia naturali.

Franciſci Petrarchæ lib. 2. de vera ſapientia.

Georgius Pachymerus de ſex Philoſophiæ definition.

Georgij Gemiſti de Platonis, & Ariſtotelis Philoſophiæ differentia.

Hieronymi Sauonarolæ tractatus de diuiſione, ordine, & vtilitate ſcientiarum.

Iacobi Carpentarij comparatio Platonis cum Ariſt.

Iacobi Sadoleti de laudibus Philoſophiæ lib. 2.

Ioan. Franciſci Pici, de ſtudio diuinæ, & humanæ Philoſ.

Ioan. Iacobi Breureri procœmium peripateticum.

Ioan. Iacobi Figurini bibliotheca Philoſophorum claſſicorum chronologia.

Iodoci Clichthouei introductio in Phyſic. Metaphyſ. & Politicam.

Ludou. Carbonis Introductio in vniuerſam Philoſ lib. 4.

M. Tullius olim in Hortensio, cuius fragmenta leguntur, in qq. Acad. de Finibus, in quincta Tusc. & alijs in loc.

Nicolaus Cusanus de sapientia idiotæ.

Nicolai Tauxelli, Philosophię triumphus, hoc est de Metaphysica disputandi ratione, &c.

Petri Franci Zini orat. de laudibus Philosophiæ.

Petrus Langerius.

Robertus Folieta de nonnullis in quibus Plato ab Aris. reprehenditur.

Richardus a S. Victore de studio diuinæ & humanæ Philosophiæ.

Richardus Pacæus de fructu, & vtilitate artium & scient.

Seneca lib. 13 epist. 89. & lib. 14. epist. 90.

Sebastiani Foxij de natura philosophiæ, seu de Platonis & Arist. consensione lib 5.

Theodoret. de curandis Gręcanicis affectionibus, & alij quos lib. 3. cap. 1. nos hoc opere citauimus.

In summa omnes fere auctores, qui in libros, vel vniuersos, vel priuatos Arist. scripserunt, in suis præfationibus, & prolegomenis.

SCRIPTORES qui in omnes fere Aristotelis libros aliquid exararunt.

AEgidius Romanus in 8. lib. physi. &c.

Albertus Magnus.

Alberti de Saxonia qq. in omnes lib. naturalis philos.

Alexandri Aphrodisensis cõmentaria.

Alphõsi a vera cruce explanatio physica in omnes lib. naturales.

Andreæ Cæsalpini Aretini peripateticarum quæstionum lib. 5.

Auerros, siue Auenroes, & Aueroys.

Augustinus Niphus Suessan. in omnes.

Bernardi Copij idea, siue partitio totius Philosophiæ ex Platone & Aristotele.

Chrysostomi Iauelli qq. & epitomæ.

Conimbricensis collegij societ. Iesu cursus.

Frat. Petri de Castrouol Ordinis Minorum in omnes naturales & morales.

Georgij Pachymeri paraphr.

Hermani Raiani Veldaslij scholia in omnes lib. Arist. naturales.

Iacobi Fabri Stapulens. paraphrases in omnes physicos, metaphy. morales, Politicos, & œconomicos.

Ianduni quæstiones in phys. & metaph.

Ioachini Perionij versiones omnium fere librorum cũ suis adnotationibus.

Ioannes Duns Scotus.

Ioannes de Magistris in phy. cœl. & alios.

Ioannes Maioris in omnes.

Ioann. Versorij commentum vtile in lib. de cœl. &c.

Iulij Palamedis tabulæ in omnes lib. Arist.

Ludouici Ioã. in Philosophiã Arist. dictata.

Louanienses doctores.

Nicolaus Dorbellus, vel Orbellus in phys. Gen. met. anim. metaph. & ethicam.

Petrus Tartaretus in omnes natur. metaph. & morales. 6

Tiberij Bacilerij Bononiensis in omnes Physic.

D. Thomæ Aquinatis commentaria octo phys. de cœlo. &c. & in metaphy. & in omnes morales.

Thomas Bricot in oẽs phys. metaph. &c.

Sunt & alij qui in omnes fere scripsere, qui suis locis citabuntur cum scriptores in singulos lib. recensebo.

IN OCTO LIBROS Physicæ Auscultationis.

ANtonius Montecatinus in librum octauum.

Antonij Poli dilucidationes in procemium physicorũ.

Burlei, comment. & qq. in octo libros.

Caietanus Tienensis canonicus Patauinus.

Cæsaris Cremonini pædia in procem. phys.

Conradus Summethrat.

Dominici á Soto cõmẽ. & qq.

Fortunati Crellij in octo lib. comment.

M. Francisci Sansos in 8. lib. physi. quæstiones.

Francisci Toleti comment. & quæstiones.

Franciscus Vicomercatus.

Franciscus Vallesius.

Fratris Samuelis minorum in octo lib.

Genuæ Patauini lectiones.

Godofridus Cornubiensis in octo physic.

Gratia Dei in lib. physicos & in quosdam alios.

Guido Perpinianus.

Gulielmus Ocamus.

Henricus Gandauensis.

Hidelgardis in 4. lib. physic.

Iacob. Almaynus in tres lib.

Io. Bapt. Rubei commentaria in octo lib.
Ioan. canonicus.
Ioan. Echius.
Ioann. Friderici Schroteri in lib. 1. annotat.
Ioan de Magistris.
Ioan Grammat. in 4.
Ioan. Versorius.
Io. Ludouici Cartarij in proęmium de physico auditu.
Linconiens.
Ludouicus Buccaferrus.
Ludouici Cornel Hispani perscrutationes in octo li. phys.
M. Anton. Maioragij paraphr.
Michal Psellius.
Parisienses D.
Paulus Venetus.
Simplicius.
Siluestri Ferrariensis q. cum annot. Aquarij.
Themistius.
Thomas a Vio Caietanus.
Et alij, quos supra in communibus posui.

ALII SCRIPTORES de rebus ad octo lib. physicos pertinentibus.

ALexandri Piccolominei Philosophia naturalis, Italice.
Andreæ Fricij Modreuij physicæ Arist. compendium.
Archangeli Mercenarij dilucidationes.
Augustini Steuchi Eugubini libri de perenni philos.
Auicenna Hispalensis, medicus insignis.
Bassiani Landi Placentini opuscula de motu, loco & tpe.
Benedict Pererij soc. Iesu lib.
Bessario Cardinalis de natura & arte.
Christophori Pezelij epitome Philosophiæ naturalis.
Claudij Cāpesij Philosophię naturalis libri tres.
Cornelij Valerij Vltraiec. physi. instit. de natura.
Francisci Titelmani compēd. Philosophiæ naturalis, seu de cōsideratione rerum naturalium libri 4 priores.
Francisci Bonamici lib. 10. de motu, lectione digni.
Francisci Piccolominei, parte 1. & 3. de scientia naturali.
Georgij Vallæ Placentini de Physiologia lib. 4. & quædam metaphysica.
Gerardi Matthesij epitomæ de rerum principiis.
Girelli Brixiensis de primo cognito.
Gulielmi Adolphi Scribonij rerum physicarum methodica explicatio in tres libros distincta Basil.

Gulielmi

Gulielmi Hirſaugienſis philoſophicarum inſtitutionum lib. tres.

Hermolai Barbari compendiũ Philoſophiæ naturalis.

Hieronymi Balduini quæſtio de forma corporeitatis, & primo cognito.

Hieronymi Sauonarolæ compendiũ totius Philoſophiæ naturalis & moralis.

F. Honorati de Robertis, quæſtiones tres, de ſubiecto philoſophiæ, de primo cognito, & an intellectus cognoſcat ſingulare.

Iacobi Aduberti Vindonij inſtitutiones phyſicæ in 4. partes diſtributæ, quæ ſunt veluti commentaria in lib. 8. phyſ. Lugd.

Iacobi Carpentarij deſcriptio vniuerſæ naturæ: in præfatione late de ordine phyſiologiæ.

Iacobi Nanclanti de creatione reum, de animæ immortalit. & de infinitate vnius principij.

Iacobi Zabarellę de rebus naturalibus in prioribus libr.

Eiuſdem de conſtitutione naturalis Philoſophiæ.

Ioan Franciſci Pici de appetitu materiæ lib. 1.

Ioan. Loriceni compendia librorum Ariſt. phyſicę. Genera. anim. paru. nat. de moribus & encomium phyloſophiæ.

Ioa. Pauli Pernumia Patauini phyloſophia naturalis ordine definitiuo tradita.

Ioan. Piſcatoris ſcholæ in lib. phyſic.

Ioan. Tinnuli Peruſini hortulus.

Ioan. Thomæ Fregij quæſt. phyſicę.

M. Antonio Zimarę contradictiones, & conciliat locorum Ariſt.

F. Mori Saraceni a Foro Sempr nio compendium phyſicum in tria commentaria diſtinctũ; in primo de cauſſis rerum, in 2. de effectibus naturalib. generatim. in 3. de corporibus ſpeciatim, de cœlo, elementis & miſtis. Lug.

Mag. Nicolai Peruſini de materia prima.

Pachymerij epitome ī Ariſt. Phyloſophiam.

Pauli Veneti compend um Phyloſophiæ.

Petri Aemonis compendium Phyloſophiæ.

Pet. Ram. ſcholarum Phyſic. lib. 8. ſed permiſſu.

Petri Nacherij ſoc. Ieſu diſputatio philoſophica de loco.

Ra-

Raphaelis volaterani Isagog. in singulos lib. 8 physic.
Vincentij speculum naturale lib. 33.

SCRIPTORES in libros de cœlo.

ALbertelli siue Albertucij quæstiones.
Alexan. Aphrodisens.
Augustinus Niphus.
Bonauenturę Vulanij scholia.
Caietanus Tienensis.
Collegium Conimbr.
Genesius Sepulueda.
Genuæ lectiones.
Iac. Fab. Stapul.
Ioan. Argyropoli argumenta in singulos libros quos latinitate donauit.
Ioa. Damiani lib. duo de cęlo.
Ioan. Ianduni quæstiones.
Ioan. Versorij qq. de cœlo & mundo.
Lucillus Philaltheus late, qui interdum platonizat.
Maynetti, Maynetij comment in lib. 1.
M Ant Maioragij paraphras.
Nicolaus Teatinus in lib. 4. de cœlo.
Paulus Venetus.
Poli Lauredani i li. 4. de cęlo.
Simon Gryneus in lib. Arist. de mundo.
Simplicius.
D. Thomas, & alij supra communiter citati.

ALII SCRIPTORES de rebus pertinentibus ad libros de cœlo.

ALexander Achillinus de orbibus, elementis, & Intelligentiis.
Alexand. Picolom. de stellis.
Aristotelis lib. de mundo, sed dubitatur, an sit Theophrasti, de qua re Cœlius Rod. & Steuchus.
Auenroes de substantia orbis, in quem Niphus, & Maynettus.
August. Steuchi Cosmopęia.
Benedictus Pererius in Gen.
Bernardini Calelli de mundi creatione secundum Aris.
Christophori Clauij Sphera.
Cleomedes de mundo græce & Latine.
Crinitus de quincta essentia ad vniuersum orbē disponendum, &c.
Dionysius Carthusian. lib. de corporibus cœlestibus, in primo tomo.
Federici Pendasii de substantia cœli.
Francisc. Piccolomineus parte

te secunda, & tertia.
Gaspar Contarenus de elem.
Gerardi Matthisij epitome li. 1. de cœlo.
Gulielmus Parisiensis in lib. vniuerso.
Iacob Zabar. lib. de natu cœli.
Ioan. Ferrerius Pedemõtanus contra Arist. de æternitate mundi, & de Idæis Plat.
Ioan. Francisci Pici de elemẽtis lib. 1.
Ioan. Iouiniani Pontani tomo tertio, qui est de cœlo.
M. Iosephi Mangoli disputatio de mundo.
Nicolaus Orbellus de orbib.
Titelmanus in suo compend. lib. 7.

IN LIBROS de generatione.

AEgidius Romanus.
Alberti de Saxonia q.
Augustinus Niphus.
Dominicus Bãnes in li. duos.
Flaminius Nobilius in primum & secundum.
Franciscus Toletus.
Gerardus de Monte.
Ioan. Grammaticus.
Ioan. Versorius.
Ludouici Buccaferri cõmen.
M. Anton. Maioragius,
Marsilii comment.
Nicolaus Orbellus.
Paulus Venetus.
D. Thomas, & alii supracitati.

ALII SCRIPTORES de rebus ad eosdem libros pertinentib.

CArolus Bouillus lib. de generat. eiusdem de nihilo, vbi de materia prima, & creatione.
Ioan. Iacobi Pauisij disceptatio de acretione.
Iacobi Mart. Scoti de prima simplicium corporum concretorũ gener. disputatio.
Iacobi Zabar. de gener. & interitu, react. misti.
Petrus Tartoretus de intẽsione & remiss. formarum.
Titelmanus in suo compẽdio libro 5.

IN LIBROS Meteororum.

ALberti Magni de mineralibus, & rebus metallicis, lib. 5.
Alexander Aphrodisens.
Aristoteles lib. de mundo.
Augustin. Niphus.
Caietanus Tienensis.
Cœlij Calcagnini Paraphras.

Cœlii

Cœlij Rodigini Paraphras.
Fortunati Crellij de subiecto metereologiæ adhuc igno rato, & de putredine.
Franciscus Vicomercatus.
Georgius Agricola.
Gerardus de Monte.
Ioan. Versorius.
Ludouicus Buccaferrus in 4. meteor.
Nicephorus Blemmides,
Olympiodorus.
Petrus Pomponatius in librũ 4. dubitationes.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Tymonis quæstiones, & alij communiter supra citati.

ALII SCRIPTORES de ijsdem rebus.

Alexandri Piccolominei meteor.
Alexan. lib. 4.
Carerij Patauini quæstio an metalla artis beneficio mu tari possint.
Antonius Galatheus de origine fluminum.
Antonij Poli veneti digressio de circulo lacteo.
Antonij Mizaldi metereologia, siue rerum aeriarum commentariolus.
Augustini Gallesij de terremotu. Bonon.
Balthasaris Hagelij societatis Iesu de meteoris, metallo, lapide, &c.
Balthasarris Pisanelli methodus vniuersa meterorum omnium. Romæ.
Claudij Alberici de terremotu oratio analytica.
Cœlij Rodigini paraphrasis in lib. met.
Felicis Accoromboni tractatus de refluxu maris.
Francis. Titelmanus in suo compendio libro 6.
Frãciscus Piccolomineus parte quarta.
Frãcisci Vierij in libros meteororum, Italice.
Fridericus Delphinus de fluxu & refluxu maris, & de motu octauæ spheræ.
Gerardi Dornei de natura luce physica.
Hieronymus Borrus Aretinus de fluxu, & refluxu maris, & de Nili inundatione, Italice. Et de caussa motus grauium & leuicũ.
Iacob. Zabar. lib. de motu ignis, & libri de motu grauium & leuiũ regionibus aeris, qualitatibus elemẽt. colore cœlesti &c.
Ioan. Baptistæ Flauij paraphrases in lib. meteor.
Ioan. Felischerus de Iridibus.
Ioan. Pontanus de meteoris carmine.

Ioan.

Ioan. Carcei Metereologia.
Isidorus libro 13. Etymologiarum.
Iulius Cęsar Scaliger in lib. de subtilit. cōtra Cardanū.
M. Ioa. Martini Ephimerides meteorologicæ.
M. Ioa. Fran. Ephimeris Metereologica.
M. Michaelis Stanhusij de meteor. lib. duo.
Nicolai Taurelij de putrefatione.
Petri de Aliaco Tractatus super lib. meteororum, ubi de omnibus impressionib.
Seneca in quæstionibus naturalibus.
Theophrastus de igne & odoribus.
Theophili Kentmanni de exalationibus fumosis, & vaporosis, flatuosisque spiritibus.
Vuolfangi Meureri metereologia quæstionibus informata, &c.

IN LIBROS DE anima.

AEgidius Romanus.
Alexandri paraphrases cum quæstionibus natural.
Alphonsi Archiepiscopi Toletani qq. in lib. de anima.
Antonij Poli in lib. 3. de ani.
Apollinaris Offredi cōment.
August. Niphus.
Caietanus Tinensis.
Chrys. Iau. Epit. & quęst.
Francisci Toleti comment. & qq.
Francisci Vicomercati in lib. 3. de anima.
Ianduni quęstiones.
Ioan. Grammaticus.
Lucilius Philaltheus.
Nicolaus Tignosus.
Petri Francisci de Syluestris quæstiones in lib. de anim.
Quinctiani Brixiens. ord. Præd. comment. simplicius.
Theophilus Zimara in librū 3. comment.
S. Thomas, & alii supra citati.

SCRIPTORES alij.

ALberti Magni summa de homine.
Andreæ Duodi de habitibus intellectus lib. 6.
Antonius Mocenicus de anima, vel de transitu animæ ad Deum.
Ant. Montecatin. in lib. 1. de anima.
Antonius in prima parte suæ summæ, in primis titul.
Antonius Zeno Policola de natu-

natura humana.
S. Augustinus lib. de immort. animæ lib. de quantitate animæ. lib. de vera relig. c. 29. de origine animę. epist. 157. lib. de ani. & eius orig. ad Renat.
Balthasarri Pisanelli de anima lib. duo, Italice.
Cardanus de immortalitate.
Caroli Bouilli de intellectu & sensu, & lib de sapiente.
Christophori Marcelli Veneti vniuersalis de anima tractationis opus libris sex contentum.
Chrysostomi Iauelli Tractatus de immortalitate animæ secundum Arist. vbi refellit eos qui cõtra sentiũt.
Claudij Alberici oratio de immortalit.
Dionysius Carthusian. de anima & sensibus tomo 1.
Dominici de Flandria recollecta, in libros de anima.
Fratris Calixti Neapolitani ordinis obseruantiæ de triplici statu aĩæ iuxta Theologorũ Philosophorũ principia.
Fracastori opuscula de intelligentia & anima.
Fornarius de immortalit. aĩæ.
Franciscus Piccolomineus parte quinta.
Franciscus Venerius.
Franc. Titelm in suo compendio sex lib. posterioribus.
Genua de immortalit. animę.
Georgij Scroetelij disputatio de sensibus internis.
Iacobi Zabarellæ de facultatibus animæ in posterioribus libris.
Ioachini Curei de natura & differentijs colorum, sonorum, odorum, saporum, & qualitatum tangibilium.
Ioan. Francisci Pici docta disputatio de immortalitate animæ.
Ioan. Ludou. viues de anima & vita lib. 3. & de somno & vigilia.
Iulij Castellani disputationes, siue commentarii in libros Aristo. de humano intellectu ex doctrina Christianorum auctorum.
Mar. Antonij Marescalchi Bononiens. de humana perfectione lib. 2. vbi, de anima.
Mar. Tulij Cicer. de immorta. animæ & reminiscent. Tuscul. 1.
M. Aurelij Cassiodori de anima lib.
Marsilius Ficinus de Theologia Platonis.
Michaelis Sophiani lib. 3. de anima.
Nemesius episcopus libro de natura hominis, qui falso adscri-

adscribitur Gregorio Nisseno.
Nicolai Taurellii de anima & eius facultatibus.
Nicolai Carpentarii disputatio de anima in communi deque vegetatiuę, & sensitiuæ naturis, & propriis affectionibus.
Petri Duodi peripateticarum disputationũ de anima. li. 7.
Petrus Martinez a Bera.
Priscianus Lydius in Theophrast. de sensu, Phant. & intellectu.
Proclus in Alcibiadem Platonis de anima & Dęmone.
Rinaldi Odonis discursus de mortal. & immortalit. animæ secundum Platonem Italice.
Simõ Portius de humana mẽte & de coloribus.
Tertullianus lib. de anima.
Themistius.
Theophrastus de sẽsu, phantasia & intellectu cum expositione Prisciani Philosophi Lydii.

IN PARVA naturalia.

ALberti Magni parua naturalia.
Alberti de Saxonia q̃stiones.
Alexander Aphodis.
Aristot. in lib. 2. de anima.
Augustinus Niphus.
Buccaferrus.
Buridani quæstiones.
Cælii Redigini comment. de de sensu & sensili.
Collegium Coinbri.
Gerardi de monte.
Ioan Versorius.
Leonicus Maynettus de sensu a sensili.
Leonicus Tonięus.
Lucretius Charus libro 4. de somno & insomniis.
Michael Ephesius de longit. & breuitate vitæ, & respirat.
Petri de Aluernia comment. in parua naturalia.
Simonis Simonii comment. in lib. de sent. & sens. & mem.
Temistius lib. de sõno & vig.
S. Thomas, & alii communiter citati.

ALII SCRIPTORES

ARtemidorus lib. de somnijs.
Augustini Ferrerij lib. de insomnijs.
Cœlij Calcagnini dialogus de memoria. & paraphras. in lib. de sensu & sens.
Cœlius Rodiginus, de somnijs, in lib. 14. a cap. 40.
De fascino libri tres, vbi late Paris. 1583.

Gulielmus Grattarolus de somnijs.

Iulius Cæsar Scaliger in Hippocratem de somnijs.

Nicolai Taurellij de vita & morte libellus.

Synesius de somnijs, cum Artemidoro.

IN LIBROS DE historia animalium.

Albertus magnus

Auicenna.

Michael ephesius.

ITEM ALII Scriptores.

Aeliani de historia animalium libri huc pertinent.

Cæsaris Odonis lib. de animalib. in quo Aristot. scripta ad ordinem redegit.

Eoduardus Vuottornus de differentijs anim. libri 10. Lutetiæ. 1552.

Epiphanij Episcopi Cyprij de animalium naturali bellus. Romæ.

Hugonis presbyteri & Monachi de natura animalium, lib. 1.

Kirandæ cuiusdam lib. 4. d remedijs & affectionibu animalium.

Nicolai Leonici Thomæi paraphrasis in lib. de animalium motione, & quæstiones naturales.

Paulus Belmissenus duos libros priores de animalibu Arist. elegijs expressit.

Plinius libro 8.

De ruminantibus, liber editus Venetijs.

Vlissis Androuādi de historia auium libri 12.

IN LIBRIS DE partibus & gener. animalium.

Auenroes.

Daniel Furlanus.

Ioan. Grammaticus in lib. 1. de part.

Michael Ephesius, & alij citati.

IN PROBLEMATA

Petrus Apponensis consiliator.

ALIORVM PROblemata.

Alexandri Aphrodisens.

Antonij Ludouici medici

dici problematum lib. 5. opus absolutum.

Ioan. Bapt. Montani problematum partim physicorũ, partim medicorũ liber.1.

Leonis Nolani quæstionum, siue problematum liber.

M. Ant. Zimaræ problem.

Problemata Arist. philosophorum, medicorumque plurium cum alijs quibusdam. Francof.

IN LIBRVM DE Physionomica.

AVgustinus Niphus.

Benedictus Pererius cõtra Astrologos Iudiciarios lib. 3. seu de diuinatione.

Ioan. Picus, & alij.

Ioan. Baptistę portæ de physion. lib. cum figuris,

Louanienses in lib. 2. priorũ.

SCRIPTORES de rebus memorabilibus & occultis.

ARistotelis libellus.

Aegidij Corrozet memorabilia italice.

Antonii Mizaldi de arcanis naturæ lib. 4.

De memorabilium naturæ Sylua Sympathiarum rerũ mundi.

Antonii Ludouici medici lib. 5. de ocultis proprietatibus.

Cardanus, sed emendatus.

Cæsaris Euolii Neapolitani de caussis Antipathiæ & Sympathiæ rerum naturalium.

Franciscus Petrarcha.

Gaudentij Merulæ lib. 4. rerum memorab. sed expurgati.

Ioã. Baptistæ Portæ magia naturalis libri 4.

Ioan. Fernelii de abditis rerũ caussis.

Leuinius Lennius, Solinus.

Thomę Thomæi Idea viridarii mundi, italice.

De plantis & herbis.

ARistotelis de plantis lib. 2. de falso ei adscripti, cum commentar. Iulij Cæsaris Scalig.

Adami Louicerii naturalis historiæ opus, stirpium, animantium, gemmarum, & metallorum.

Adrianus Turnebus Lugdun.

Aemilius Macer.

Andreæ Cesalpini de plant.

Castor Durantes de plantis.

Cœlius Rodiginus.

Christophori a Costa historia aromatum.

Dioſcorides, & qui in eũ ſcripſere, ut Mattiolus.

Iacobus Dalechampius, Lug. an. 1585.

Iacobi Greſcherii diſputatio de planti ex Ariſt. collecta.

Macri Philoſophi libellus de virtutibus herbarum.

Plinius, a lib. 10 ad 17. & in Plinium extant expoſitiones, ſiue annotationes Hermolai Barbari, Pinciani Hiſpani, Gulielmi Budæi, & Stephani Aquæi.

Theophraſti libri de plantis, in quẽ ſcripſit Cæſar Odonus, Felix Acorambonus annotationes, Ficinus paraphraſim. Item Iulius Cæſar Scalig. ſed purgatus.

ALII SCRIPTORES de rebus ad Philoſophiam naturalem pertinentibus.

De Piſcibus.

AElianus lib. 17.

Benedictus Iouius Paulli frater, de lacu Lario, & eius piſcibus.

Cœlii Apicii lib. 10. de obſoniis & condimentis, ubi de mari & piſcibus.

Franciſcus Maſſarius in lib. 32. Plinii, qui eſt de piſcib.

Gulielmi Rondelitii de aquatilibus Lugd.

Hippolyti Saluiani Romani de piſcibus liber.

Iulius Cæſar Scaliger in lib. da ſubtilit. contra Cardan, vbi multa de aquatilium natura.

Malateſta Fiorandus Ariminenſis, de natura, & qualitatibus omnium piſcium adhuc cognitorum, Italice.

Oppiani halieutica a Bodino verſus Lutetiæ.

Paulus Iouius epiſcopus Nouocomenſ. de piſcib. vrbis.

Petri Bellonii Cenomani de aquatilibus libri duo cum iconibus Pariſiis.

Eiuſdem liber Gallicus de piſcibus, & de obſeruationib. ſingularum rerum in variis locis viſarum.

Petrus Gillius Gallus piſciũ hiſtoriam illuſtrauit. Lud.

Theophraſti Lesbii libellus de piſcibus.

Xenocrates de alimento ex aquatilibus, latine verſus.

DE COLORIBVS.

ARiſtotelis liber.

Simon. Pontij commentar.

DE FOSSILIB. ſiue mineralibus, & lapillis.

ALbertus Magnus de lapidũ virtutibus & rebus mine-

mineralibus.

Antonius Brasauola, in examine simplicium.

Auicennæ liber fossilium, siue mineralium.

Benedictus Arias Montanus de lapidibus vestium sacrarum, in suo apparatu ad sacram scripturam.

Cœlius Rodiginus, lib. 22. c. 21. & alibi.

Dioscorides.

Erasmus stella de Gemmis.

Euax Rex Indiæ de Gemmis.

Franciscus Rubeus de Gémis nonnullis

Galenus lib. 9. de simplicium facultate.

Georgius Agricola lib. 6. de lapidib. fossillib. & metallis.

Ioan. Monchemius de Gémis & lapidib.

Ioã. Scotus, vel Chrysostomus de naturis omnium rerum.

Iosephus a costa, de natura noui orbis.

S. Isidorus libro 16. & 17. etymolog.

Iulius Cæsar Scaliger. aduersus Cardanum passim.

Leonardi Pisaurensis de Gemmis, siue speculum lapidũ.

Leonicenus de Polycratis Gémis lib. 1. c. 63.

Ludouicus Dulcis lib. 3. de varijs speciebus Gemmarum.

Morbodeus, alias, Morboldus.

Plinius de lapidibus & Gém. lib. 37. per totum, & alibi.

Polydorus de primo gemmarum vsu.

Polyphilus in hipnerotomachia de varijs gemmis, sed caute legendus.

Raphael Volateranus de Gem. lib. 27.

Solinus in Polyhistore.

Theophrastus de lapidibus.

Tzetzes de sulphure lib. 12.

Vincentius in speculo. lib. 7.

DE THERMIS, & aquis.

ALoysij Luscinij quæstiones de balneis.

Andreas Baccius Elpidianus de Thermis, & balneis, totius orbis lib. 7.

Bartholomæus a Cliuio de Balneis.

Gabriel Fallopius de aquis fossilibus.

Matthæi Bandinelli Tractatus de Balneis.

Plutarchi libellus de fontium, & montium appellatione.

IN LIBROS METAPHYSICOS Aristotelis.

ALberti de Saxonia quęstiones.

Alexandri Alensis in 12. lib. dilucida expositio.

Alexander Aphrodiseus.

Alexander de Alexandria.

Antonij Andreæ quæſt.

Antonij Scaini, paraphraſis annotationes, & quæſt.

Antonij Madij Raguſei in librum 12. metaphyſ.

Antonij Balduini Soc. Ieſ. diſput. in primam phyl.

Auguſt. Niphus, & eius elucidar.

Dominici de Flandria quæſt.

Flaminij paraphraſes in 12. li.

Franciſ. Ricomer. in partem libri 12.

Franciſcus Soarez, in Met. latiſſimæ.

Gabrielis Zerbi quæſt.

Godofridus Cornubienſis in 12. met.

Gualtherus Burleus.

Iacobinus Barges.

Iacobi Pauiſij quæſt.

Ioa. Duns Scotus.

Ioa. Philoponus in omnes.

Ioan. Piſcat. Scholę.

Fr. Matthæi Aquarii quæſt.

Nicolai Cruchij in libros metaphyſ. Scholia eruditiſſima.

Pauli Soncinatis quæſtiones.

Petri Fonſecæ tomi duo.

Petrus Feltrius in 12 lib.

Simon Ardeus Venetus.

Syrianus, Venetiis.

Themiſtius.

D. Thom. Aquinas, & alij communiter citati.

ALII SCRIPTORES de iiſdem rebus.

ALberti Magni opuſcula, de cauſſis, intelligentijs & de proceſſu vniuerſitatis.

Alexander Alenſis in prima parte.

Bartholomæi Spinæ defenſiones.

D. Thomæ, commentar. in lib. metaphy. contra Ant. And.

D. Bonauenturæ. opuſcula, de reductione artiũ ad Theologiam, & itinerarium animæ ad Deum.

Cęlius Rodiginus lib. 1. ubi multa de Deo.

Gaſparis Contareni Compendium primæ Philoſ.

Gulielmus Pariſienſ. in lib. de vniuerſo.

Iacobi Gretſcherij diſputatio, Ariſtotelica, de intellig. & dœmonibus.

Iani Matthæi Tractatus, an ſint dęmones.

Ioan. Lodou. Viues Metaphyſica.

Iulij Carrarij Syreni de ſubiecto primæ Philoſophiæ diſputatio ampliſſima.

M. Anto. Nattæ. de Deo libro 15.

Eiuſdem lib. ſex de pulchro, & vniuerſi mundi fabrica

hominis

hominis', aliarumque rerũ structura.

Mer. Trismegistri Pymander cum commentarijs Hannibalis Rosseli.

Pet.Rom.schol. permissu.

Scholastici in lib.1.& 2.sen.q de rebus phylosophicis subtiliter disputant.

S.Thomæ prima pars. & contra gentes.

Teophrasti metaphysica.

Scriptores nõnulli quorum opera sunt parãda,& quidam alij qui p̃termissi fuere.

Achilleni opera varia.

Alberti Magni opera.

Andreæ Chioui quęstionum philosophicarum & medicarum libri tres.

Antonii Musæ Brasauoli opera varia.

Antonii Bernardi Mirandulani libri de euersione singularis certaminis, in quibus varia continentur.

Aristotelis lib. qui decimus historiarum inscribitur,versus & illustratus scholiis a Iul.Cæsare Scalii.

Barnabæ Riccobini Rodigini lib.3.disputationes tres,de suprema omniũ natura diuina, de felicitate, de sententiarum communicatione,& variarum opinionum cognitione.

Bartholomæi Anglici ordinis minorum de rerum proprietate, lapidibus , herbis arboribus, & animalibus.

Bartholomæi Cassanei catalogus gloriæ mũdi,vbi de laudibus rerum naturalium & moralium, diuinarum & humanarum.

Bernardini Telesii lib.9.de rerum natura ex propria sententia,sed expurgati.

Bessario contra calumniatores Platonis.

Conradi Coci Vimpine de sophorum erramentis.

Cardani de rerum varietate, & subtilitate , sed purgati.

Cornelii Valerii opera philosophica.

Desiderii Iacothii Vandaperani lib. de doctrina philosophorũ exCiceronis scriptis, cum sentent. Ciceronis.Lugd.

Felicis Accorõboni interpretationes obscurorum locorum & sententiarum omnium operum Arist.& Gal.

Francisci Valesii de sacra philosophia.

Frãcisci Patricii discusiones peripateticæ &c.

Galeni varia opera ad philo-

sophiam pertinentia.

Gasparis Sardi Ferrariens. de triplici philosophia commentariolus.

Hortulus sanitatis, vbi de herbis, plantis, auibus, animalibus, lapidibus, & vrinis.

Iacobi Mazonii de triplici hominum vita actiua, contemplat. & relig. concl. 5177.

Eiusdem in vniuersam Plat. & Arist. philosophiã, siue Platonis & Arist. comparatio.

Ioan. Pici opera.

Ioan. Fran. Pici opera.

Ioan. Iouiani Pontani opera.

Iulii Cęs. Scal. exercitationes.

Libellus de caussis incerti auctoris cum comm. Aegid. & Iauelli.

Margarita Philosophica perfecta Cyclopædia.

Marsil. Ficini opera in Plat. cōmen. & de Philos. Platon.

Mar. Anton. Zimaræ tabulæ, Theorem. & cōciliationes.

Nicolai Contareni de perfectione rerũ lib. 6. vbi varia.

Petri Abani conciliat. controuersiarũ inter Philosophos & Medicos.

Pomponatii uaria.

Pompilius Azalus de omnib. rebus quæ continentur in mundo, cœlestibus, & terrestrib. & math. Ven.

Plotini opera.

P. Gregorii syntaxis art. mir.

Rationes methodicæ discendi omnes artes minimo quidem labore, Paris.

Sebastiani Foxii opera.

Simonis Portii opera.

Scriptores in decem libros de moribus ad Nicomachum.

ALberti Magni tractatus in omnes 10. lib. ethic.

Auenroes.

Audomarus Taleus in lib. primum ethic.

Buridani quæst. in 10. lib. eth.

Burlei cōmen. & dubitation.

Chrysost. Iauelli epitome.

Cœli Calcag. paraphr. in li. 1.

Conradi de Susata notabiles quæstiones in 5. lib. ethic.

Donati Acciaiolii comment.

Eustratius cũ aliis Græcis expositoribus, quos Io. Bern. Felician. restituit, & uertit.

Gerardi Odonis cōmē. & qq.

Guidonis Ariminen. scriptum in omnes.

Hectoris Foresti in lib. ethic. prælectiones.

Hermolaus Barbarus.

Henricus de Vicmara.

Iacobus Faber Stapul. cum annotat. Clichthouei.

Ioan. Maioris commentaria.

Io. de Celaya exposit. in eth.

Io.

Io.Lud.Analysis lib.5. ethici.

Ioan.Thom. Fregius lib. ethi. perbelle; exposuit per qq. Addidit carmina ethica ex poetis collecta ad mores pertinentia.

Eiusdem analytica dispositio librorum Cic.de offic.& li. de amicitia,& de senectute per quęst. Additis quinque orationib. de morali philosophia Aristotelis.

Mar. Antonij Mureti in librũ 5.ethic.

M.Ioannis Casij speculũ moralium quæst. in vniuersam ethicen.

Michael Angrianus.

Petrus de Spira.

Raphaelis Volaterani argumẽta in omnes lib.ethicos.

Samuelis Neilãdi quæst.in li. 10.ethic.quos,per quæstiones exposuit Theod. Zuinger. scholijs & tabulis illustrati.

Stephanus Hocest.

S.Thomæ expositio.

Theodori Zuingerij tabulæ,& comment.permissu.

Alij Scriptores de reb. ad ethicen pertinentibus.

ADriani Cardinalis lib.4. de vera Philosophia.

Alexandri Piccolom. Italice.

Almayni quęstiones morales.

S.Ambrosij lib.de officijs.

S.Antoninus in tertia parte.

Ant. Bernardus Mirandul. in lib.de euersione sing. cert.

Antonius Posseu.

Arriani ex Epicteto.lib.quattuor,ubi Stoicorum doctrina continetur.

Aristotelis alij libri ad mores pertinentes: libellus de virtutibus, quem Andræas a Lacunas scholijs & exẽplis illustrauit. Item moralium eudemiorum li. 2. Rhetorico, de affectib.

Augustinus Valerius de ortu & partitione philosoph.mor.

Carolus Bouillus, lib. de sapiente.

Chrysostomi Iauelli philosophia moralis christiana.

Cœlius Calcagninus.

Cornelij Valerij Vltraiecta. opera moralia.

Dionysius Carthusianus de virtutibus,tomo 1.

Epictetus cum commentarijs simplicij.

Felix Filiuccius,Italice.

Flaminij Nobilij de felicitate li.3.de uera & falsa volupta te,& de honore.

Francisci Piccolominei vniuersa Philosophia de moribus per

per decem gradus explicata.

Frãciscus Petrarcha de utraq; fortuna & uita solitaria.

Georgius Gemistus de quattuor virtutibus.

Georgij Vallæ Placentini de morali philosophia, lib. 1.

Gulielmus Parisien tract. virtutibus.

Gulielmi Adolphi Scribonij Ethica ex Aristot. & aliis summis Philosophis.

Hermolai Barbari ethicæ cõpendium.

Henrici Aquilij moraliũ li. 2.

Henrici Ariminensis de quattuor virtutibus cardinalibus tractatus ad ciues Venetos totam philosophiã moralem complectentes.

Iacobi Stobei eclogæ morales ex varijs philosophis collectæ.

Ioan. Iouin. Pant. opera moralia.

Ioan. Baptistæ Posseuini dialogi de honore, italice.

Ioan. Rodigni ethicorum libri tres.

Ioan. Spinæi de tranquillitate animi.

Iodoci Badij Ascentij syluæ morales ex varijs poetis collectæ.

Isidorus Hispalensis de summo bono.

Iulij Barbarani Promptuariũ. tomo tertio, ubi de uirtutibus.

Leonardi Aretini dialogi de moribus.

Ludouicus Carbo. lib. de pacificatione, vbi de iniurijs de honore, &c.

Eiusdem de amore & concordia fraterna.

Ludouici a Granata collectanea moralis philosophiæ in tres tomos distributa, ex Seneca Plut. & aliis Philosophis.

Mar. Tullij lib. de officijs, amicitia, paradoxa, de finibus, & Tusc. quæstiones.

M. Ioan. Cassij speculum moralium quæst. in vniuersam ethic.

M. Io. Rigerij ethicor. libri 2.

M. Oueni Guntheri libri ethicorum ad Nichoma. latinis versibus comprehensi.

Martini Dumẽsis lib. de virtu tib. falso Senecæ adscriptus.

M. Martini magistri quæstiones de fortitudine.

Philippi Mocenici lib. de vniuersalibus institution.

Philonis Hebræi opera.

Platina de uero et falso bono.

Platonis varij dialogi.

Plutarchi opuscula varia, de vitio et virt. amicitia, &c.

Remundi Sebundi dialogi de

natura

natura hominis, &c.

Sebastiani Foxij ethicæ philosophiæ compendium.

Senecæ opera.

Simon Portius, an homo bonus, vel malus volens fiat.

Thesaurus Philosophiæ moralis gæco latinũ. Lugd.

Theophrasti characteres ethici, siue descriotiones morũ cum commentario.

Theodor. Zuinzerii morũ philosophia poetica, permissu.

D. Thomas in 1. 2. & 2. 2. qui omnium exactissime.

Vincentii speculum morale lib. 3.

Vitæ & mortis compendium diuersorũ ad morum honestatem.

In libros Politicos Arist.

Antonius Montecatinus in lib. 1. late. Eiusdem paraphrases in Platonẽ de rep. & quinque veterum publicarum fragmenta.

Antonii Scayni quæstiones in octo libr. politicos.

Buridani quæstiones in eosdem lib.

Chrysostomi Iauelli epitome polit. Arist. & Platonis.

Cœli Rodigin. paraphrasis.

Cyriaci Sotroziæ lib. duo, nonus & decimus, additi illis octo quos Aristoteles scripsit; quos prius græcos, tũ latinos fecit.

Donati Acciaioli cõmẽtaria.

Iacobi Fabri stapulen. introductio in Polit. cum commentariis Iodoci Clichthouei, & in omnes lib. annot.

Ioan. Genesii Sepuluedę enarrationes in omnes lib. poli.

Ioan. Versorii in lib. polit. cõment.

M. Ludouici Valentię eptome librorum politicorum.

Martini Borrhai, alias cellarii annotationes permissu.

Pedro simon Abril commentaria, hispanice.

Petri victorii scholia, siue cõmentaria.

S. Thomæ commentar.

Theodori Zuuingerii Tabulæ, cum scholijs Lambini, eiusdem comment.

Alij auctores, de rep. regno rege principe, &c.

Aegidius Romanus de regimine principum.

Alberti Magni Polit. lib. 8.

Alphonsus Tostat. de optima rep.

Eiusdem de regim. principũ.

Alexander Piccolomineus de institutione hominis in libera ciuitate nati. Ethi-

ca,& œconomica Italice.

Alexius Salmanca Zamorensis de rep. Christi dialogi tres.

Andreas Cęcus de monarchia.

S. Antoninus in tertia parte summæ.

Antonij Posseuini iudicium de scriptis Naue militis Galli.

Ioan. Bodini, Philippi Mornei & Machiauelli.

Eiusdem, miles Christianus.

Eiusdem de honore, & duel.

Antonius Palearius, de rep. ad senatum Lugdun.

Baptistæ Alberti de repub. italiæ

Basilij Imperatoris Roman. Præcepta ad Leonem filiũ.

Bartholomæi Philippe de consilio, & consiliarijs principum, ex hispano sermone, italice. Venet.

Bartholomæus Diecius de consilio principis.

Belarminij de translatione Imperij

Berardi Baldi Vrbinas dialogi de Principe, italice.

Caroli Sigonij de rep. Hebræorum & Atheniens.

Commentariorum de regno & principatu recte administrando contra Macchiauellum. In quem impium hominem multi Scriptores stylum merito acuerunt, cum errores impietatis plenos disseminauerit, & rationē euertendarũ non cōseruandarũ ciuitatũ docuerit.

Cyri Spontoni Corona principum, italice.

Eiusdem de remigine statuũ.

Cunerij Petri de Christiani principis officio.

Dionysius Carthusianis de vita & regimine præsulũ, principum, & militum.

Emanuelis Palelogi Imperatoris præcepta eruditionis regiæ. Basil.

Faustus a Lōgiano de institutione filij principis, italice.

Fernandus Diaconus, qualis esse debeat Dux religiosus.

Frachettæ Idea de regimine statuum, italice.

Francisci Patritij Senensis de regno lib. 9. & de repub. totidem cum annot. Ioan. Sanguinei.

Francisci Raguelli leges politicæ.

Franciscus Lucius de optima reip. gubernatione, & de laudibus Venetiarum, & de earum gubernatione.

Fran. Panicarolę speculum militiæ, italice.

Frater Paulus Arrighius de bonitate Principis

Frat.

Frat. Stephani a Lusignano collecta quinque discursorum inscripti. coronę Regum & principum, Italicæ.

Gasparis Contareni de rep. Veneta.

Hieronymus Agerianus de miseria principum.

Hieronymus Cagnolus de recta principis institutione.

Hieronymi Osorij de regis institutione lib. 8.

Eiusdem de nobilitate ciuili. & Christiana lib. 5.

Eiusdem de gloria lib. 5.

Hieronymi Garimberti, de publicis regiminibus ciuitatum italice.

Horologium principum italice.

Iacobi Fabri stapul. Hecatonnomiarum lib. 7. in quibus Socratis & Platonis leges summatim colliguntur.

Iacobi Simance Episcopi pacensis collectanea de rep. & regno.

Iasonis de Nores institutio Principis

Ioa. Antonij viperani lib. de regno & rege.

Ioan. Auilæ epistola ad Assistentem Hispalensem. extat in lib. epistolarum spiritualium.

Ioan. Iouin. Pont. liber de principe tom. 1.

Ioa Baptistæ Pignæ princeps.

Ioannes Boterus lib. tres de regia sapientia.

Eiusdem de ratione status, italice

Eiusdem relationes, italice.

Ioan. Carnotensis episcopi polycraticon lib 8. vbi multa continentur pertinentia ad materias morales & ciuiles.

Ioan. Gigas de magistratu politico, & ei subiectis.

Ioa. Mariæ Memmi de Principe, rep. & alijs personis ciuilibus, Italice.

M. Ioa. Casij sphæra ciuitatis, hoc est de rep. recte administranda, sed emendata.

Ioannes Opperius de principis institutione, in suis lib. de legibus.

Iulij Barbarani Promptuariũ, in verbo Princeps & miles.

Iulij Pollucis Imperat. & Regis conditiones & dotes.

Iusti Lipsij politicorum, sine ciuilis doctrinæ lib. 6.

Leo Damno Saraceno de regimine regnorum. italice.

Mar. Ant. Nattę de principis doctrina.

Marci Fratæ de nobilitate, & uita nobilis & de Principe, italice.

Mambrinus Roseus de principe

cipe

cipe Christiano.

Marius Salonius de principatu.

Mutij Iustinopolit. catholica disciplina principũ, italice.

Nicolaij Biesij de rep. lib. 4.

Omphalij ciuilis politiæ lib. tres.

Olosander Platonicus de optimo duce & officio eius. Italice, Iolitus.

Pauli Parutæ Veneti, de vita politica, & Discursus politici, italice

Petrus Bizarus de optimo Principe, bello & pace.

Pet. Gregorij Tolos. de repub. lib. 26.

Platonis lib. de rep. cum comment. Sebast. Foxij, & Beni Eugubini Decades.

Platina de optimo ciue.

Plutarchi opuscula nonnulla.

Matthæus Bossus de regendo magistratu, iustitiaq; opusculum. Eiusdẽ opera moralia.

Pogij Florentini de officio Principis.

Propositiones, siue considerationes ciuiles Guicciardini, Lutini, & Sansouini, italice.

Pythagoreorum fragmenta de rep.

Oracula politica, cum floribus ex Plutarcho collectis, Italice. Aldo.

Sebastianus Foxius de Principis Institutione.

Synesij episcopi de regno bene administrãdo ad Archadium Imperat.

S. Thomæ Aquinatis de regimi. Principum opusculum.

Thomæ Bozij, de imperio virtutis, siue imperia pendere a veris virtutibus contra Macchiauellũ lib. 2. De ruinis gentium & regnorum, de antiquo & nouo iure Italiæ.

Xenofontes pedia Cyri.

In libros œconomicos Aristotelis.

Alberti Mag. œcon. lib. 4

Chrysostomi Iauelli Epitome.

Iacob. Faber Stap.

Ioan. Versorius.

Leonardi Aretini explicatio.

Leonardi Metini cõmẽtar.

Petrus de Castrouol.

S. Thomas, & alij citati.

Alij scriptores de rebus ad œconomiã pertinentibus.

Alexander Piccolomin. œconom. italice.

Aristotelis lib. de re familiari.

Chryso. Iau. œconomia Christiana.

Georgius Viuennus de officio

ficio probi patris familias.

Georgij Vallæ Placent. de œconomia lib. 3.

Ioan. Ludouic. Viuis de institutione fęminę Christianæ.

Eiusdem de officio mariti.

Laurentij à Villauincentio ęconomia circa pauperum curam a Christo tradita

Ludouici Carbonis de amore & concordia fraterna.

Nicolai Titi de regimine familiæ, italice.

Plutarchi opuscula quædam, vt precepta nuptialia, de pueris educandis.

Tiraquellus de legibus connubialibus.

Xenophontis œconomicum Raphaele Volat. interpr.

De liberis educandis.

IAcobi Sadoleti libellus.

Mapheij Vegij de ducatione puerorum, & claris eorum moribus lib. 6.

Plutarchi opusculum de pueris educandis

De nobilitate Honore & iniurijs.

ANtonius Poseuin.

August. Hiphi de inimicorum lucro commentariolus.

Flaminius Nobilius de nobili.

Ioan. Bapt. Posseuinus de honore.

Iodocus Clichthoueus de vera nobilitate.

Ludouicus Carbo in lib. de pacificatione, vbi de iniur. & honore & inimicis amandis. Eiusdem opusculum de amore & cõcordia fraterna.

Marci Fratæ de nobilitate & vita nobilis, & de principe, italice.

Onufrij Zerabini de nobilitate ciuili & Christiana lib. 4. italice.

Osorij de nobilitate ciuili & christiana & de gloria.

Platina de vera nobilitate.

Plutar. de utilit. ab inimicis capienda.

Stephanus Foxius de honore

Tassus. italice.

Tiraquelli tractatus de nobilitate, vbi latissime.

De honore & duello multi scripsere, quos citatos inuenies in nostro lib. de Patificatione.

Scriptores exemplorum moralium.

Baptista a Campo Fulgoso.

Ioan. Baptista Egnatius.

Nicolaus Hanapus ex script.

Roberti Folietæ elogia Genuens.

Sabelllicus

Vallerius Max.

QVONIAM amice Lector, vt initio dixi, ob temporis angustias, non potui hunc Catalogum maiore cum diligentia foras dare, vrgebat enim Typographus, ideo, quamuis vel omnino prohibitos, vel suspectos scriptores citare noluerim, tamen fortasse aliquis irrepsit; neq, enim omnes videre potui, quod si vnum vel alterum suspensum, vel suspectum citatum inuenies, obseruabis etiam modum, quo citatur, vt non nisi emendatus, vel permissu legatur. In summa, cum inter alias admonitiones quas ad recte philosophandi dedi, hanc posuerim, vt libri prohibiti non legantur, nec habeantur, si quis hac in parte peccare noluerit, indicem librorum prohibitorum consulat: & si aliquo suspenso, aut prohibito auctore vti voluerit, id non sine superiorum permissu faciat.

Finis Catalogi.

Francisci Abbatis Carrette
Mutinensis.